DE

ESTHERAE LIBRO

ET AD EVM QVAE PERTINENT

VATICINIIS ET PSALMIS

LIBRI TRES

QVOS SCRIPSIT

D. IOANNES ANSELMVS NICKES

ORDINIS SANCTI BENEDICTI E CONGREGATIONE CASINENSI
MONACHVS ET PRESBYTER.

PARS ALTERA

LIBRI DVO, SECVNDVS ET TERTIVS

DE VATICINIIS ET PSALMIS

ROMAE
TYPIS S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLVIII.

PRAEFATIO

Beatissimi homines illi, qui vel ex omnium bonorum affluentia vel e societate propinquorum amicorumque suorum in saltus et silvas, in montes solitudinesque aufugerunt, etsi facile carebant rebus omnibus, tamen unam rem esse intelligebant, cuius omnino inopiam nec perferre possent nec deberent. Nam quum omnia sua laeto gaudentique animo relinquerent, eos accepimus sacrorum librorum codicem secum asportare solitos, quod sibi ad sustentandam vitam divinum verbum magis quam panem necessarium ducerent. Neque enim aliud ullum putarunt munus esse suum, quam divinam misericordiam antelucanis psalmis carminibusque laudare, de Dei promissis vaticiniisque meditari, considerare eius leges et praecepta, sanctae vacare historiae, omnem denique ad litteras sacras operam studiumque conferre. In scriptura sacra incredibilem repositam arbitrabantur sanctae veritatis copiam, ex hoc amplissimo thesauro omnem et ad agendum et ad cognoscendum sapientiam depromere didicerant.

Sed vetera illa sanctissimorum hominum exempla intuitus, saepenumero non sine magno dolore quaerere coepi, quid sit quod haec nostra aetas a pertractandis

litteris sacris usque eo recesserit, ut naturae arcana omnia potius, quam sacrorum librorum mysteria indagare studeat. Cuius rei quum alias causas tum illam reperi gravissimam, quod qui vel in emendandis litteris vel in deducendis verbis vel in Iudaeorum rebus enucleandis plurimum elaborarunt, ei maxima laude cumulantur; illi contra vituperantur, qui ex more patrum cum historica investigatione statuerunt typicam sibi interpretationem esse coniungendam. Sed nobis quum in omni litterarum studio tum maxime in sacrorum librorum explicatione nihil tam propositum fuit, quam ut eam quam sancti patres posuerunt rectam sequeremur veramque explicandi normam. Itaque vaticinia et carmina, non omnia, sed ea quae ad librum Estherae spectant, ex patrum sententia qua essent ratione illustranda, inquirere conati sumus. Quo quidem loco nobis eam videmur viam demonstrasse, quam ingressi non solum sanctorum interpretum duplicem modum explicandi teneremus, verum etiam eorum sententias, si quando inter se discreparent, ad planam possemus perfectamque consensionem redigere. Nam et in universum quibus rebus mundi aetates divisae a Deo distinctaeque sunt, eas res inter se simillimas esse probavimus, et praecipue Mardochaei tempora ac Christi, priorem huius atque alterum adventum inter se congruere mirabiliter. Itaque sic statuimus: Mardochaei rebus gestis significata esse ea, quae perfecerit Christus; praeteritis autem horum utriusque rebus illa portendi, quae futura sint in ultimo iudicio. His autem ita positis ac confirmatis, id perfecimus, ut patres, licet inter se dissideant atque alii vaticinia de quibus dicimus et psalmos ad rem Mardochaicam, alii ad redemptionem, alii ad resurrectionem nostram referant, tamen complecti illos ac sectari possimus omnes.

Neque vero quaerentibus nobis idoneam ad patres omnes sequendos viam accidit, ut ab ipsa patrum auctoritate discederemus. Nam quae sunt de aetatum mundi similitudinibus apud Methodium, ea si legere voles, ne tantulum quidem a nostris differre videbis. Sed vel adscribere Methodii verba iuvat vel etiam paucis explicare. *Et haec exempli causa*, ait, *memorata sunto ad demonstrandum, Iudaeos idcirco quod res quas tractant figuras solum esse putant rerum iam factarum, spe futurorum excidisse, nec figuras imaginum, nec imagines ipsas agnoscere volentes, ut annuntiatrices eventurae veritatis.* Hanc prorsus esse sententiam meam non modo confiteor sed etiam gaudeo. Nam inter Mardochaeum et Christum, inter priorem huius et alterum adventum tantum intercedere similitudinis dicimus, ut Mardochaeus figura sit Christi, perfecta autem ab hoc redemptio imago eius, quae extremo tempore futura est, resurrectionis. At vero Iudaei historico solo genere explicandi probato, e. g. ea quae de Mardochaeo scripta sunt, eam ad rem unam quae tunc facta est revocarunt, at vero aut hanc rem redemptionis figuram, aut redemptionem rursus imaginem resurectionis esse prorsus infitiati sunt. Sed Methodius, *Lex quidem*, inquit, *imaginis est figura et umbra h. e. evangelii, ipsum vero evangelium imago veritatis.* Quemadmodum redemptionem adepti sumus nondum perfectam, quoniam et carnis adhuc mortem timemus et resurectionem speramus: sic quamquam verissima sunt quae credimus, tamen omnibus numeris absolutam nos veritatem iam assecutos negat. In fidei enim locum visus adspectusque succedat necesse est. Sed ne quis aliud legem quam dicat Methodius, aliud rem Mardochaicam esse arbitretur, commemorandum illud est, quod Christus legem docuit pertinere usque ad Ioannem. Evangelii igitur Mardochaica res adum-

bratio erat, evangelium autem ipsum significatio eius saeculi, quod sequetur post extremum iudicium, Iam vero audiamus quae reliqua sunt Methodii verba: *Antiquiores et lex futura prophetantes praenuntiaverunt nobis ecclesiae characteres, ecclesia vero ipsa characteres novorum seculorum. Vnde nos Christo assentientes dicenti: Ego sum veritas, umbras quidem et figuras scimus desiisse, ad veritatem autem festinamus illustres ipsius imagines praenuntiantes. Ex parte enim adhuc et velut per speculum cognoscimus, quoniam nondum venit ad nos quod perfectum est, regnum coelorum et resurrectio, quando destruetur quod ex parte est* [1]). Haec quidem praeclare Methodius. Cuius sententia approbata, vaticinia et psalmos, quos tractandòs nobis sumpsimus, vel ad figuram quod est tempus Mardochaicum, vel ad imaginem quod evangelium dicimus, vel ad veritatem retulimus quae cernitur in iudicio regnoque coelorum. Vtrum autem vaticinationes ad Christum spectent proprie an ad Mardochaeum, id non singulis capitibus sed singulis fere versibus definiendum existimavimus vel etiam in medio relinquendum.

Etenim tria esse vaticiniorum genera, nemo est quin debeat confiteri. Vnum, quod ad solum pertineat Christum; aliud, quod eodem tempore et ad legem spectet et ad evangelium; tertium, quod antiquam tantummodo historiam attingat. Qua quidem ex partitione haec nascuntur explicandi praecepta: ut primum genus numquam aliter accipiatur nisi de solo Christo; ut secundum, quemadmodum Ambrosius dicit, et carnaliter

1) Method. Symp. orat. 9. Bibl. PP. III. 698.

intelligi et spiritualiter oporteat; ut tertium possit ad legem veteremque historiam referri [1]).

Iam vero breviter de duobus vaticiniis dicendum est, ut et ea accuratius intelligantur, quae de rationibus explicandi disseruimus, et vaticinia ipsa magis illustrentur. Vnum est, quod de Emmanuele exstat apud Iesaiam. Ibi quae de virgine eiusque filio dicta sunt, dubium nemini est, quin sint ad Mariam solam ad Christumque revocanda. Ea vera quae sequuntur et a patribus ad Assyriacum [2]) et a nobis ad Mardochaicum tempus relata sunt. Quae quum patrum concessu ad Mardochaeum retulissem, accidit, ut ad eumdem Emmanuelis nomen traducerem. Quamvis autem gravissima *Dei* ac *Domini* vocabula saepius sint ad homines translata, tamen Emmanuel eiusmodi nomen est, ut proprie soli Christo possit tribui.

Alterum quod dixi vaticinium ab his verbis incipit: *Quis est iste qui venit de Edom.* Quod quum patres fere omnes pertinere ad Christum dicant, prorsus dubitari nequit , quin proprie spectet ad Christum. Theodorus quidem Heracleota aliquot huius vaticinii versus proprie retulit ad Assyriorum tempora [3]). Sed huius sententia, etiamsi omnino non est contemnenda, tamen in universum haec vaticinatio nisi allegorice referri ad Mardochaeum non potest.

Romae in monasterio s. Pauli ad viam Ostiensem dominica in albis MDCCCLVII.

---

1) Rhaban. Maur. de universo 9, 1. Io. Chrysost. in Ps. 46. p. 188.

2) Io. Chrysost. in Ies. 7.

3) Theodor. Heracleot. Bibl. PP. edt. A. Mai VI. 235. s. in Ies. 63, 1. 11. 19.

INDEX

LIBER SECVNDVS

DE VATICINIIS

Cap. I. DE EXPLICANDIS VATICINIIS ET PSALMIS §. 1. pag. 1

Cap. II. DE VATICINIIS MOYSIS §. 2. (Gen. 27, 40. 49, 27. Ex. 17, 14-16. Numm. 24, 7. 20. Deut. 4, 26-30. 25, 19. 28, 64-67. 30, 1-7. 32, 25-43.) » 43

Cap. III. DE VATICINIIS EX DUODECIM PROPHETIS.

§. 3. De re Estheriana quae praedixerit Oseas? (Os. 1, 10. s. 2, 14-24. 5, 15. 6, 1-3. 13, 12-14.) . . . . » 51

§. 4. De Ioelis vaticinationibus (Ioel. 2, 18-20. 3, 1-20.) . . . . « 57

§. 5. De praedictionibus Amos (Am. 1, 3-5. 11. s. 4, 1-3. 7, 1-6.) . . . . » 66

§. 6. De vaticinio Abdiae (Abd. 1-18.) . . . » 69

§. 7. De locis quibusdam ex Michaea et Nahum (Mich. 4, 8-14. 5, 7-9. 7, 9. s. Nah. 3, 16-18.). » 73

§. 8. Quid de re Estheriana vaticinatus sit Habacuc? (Hab. 2, 5-17.) . . . . » 77

Cap. IV. DE VATICINIIS IESAIAE.

§. 9. De Mardochaeo (Ies. 7, 13-20. 8, 6-9. 9, 1-5.) . . . . » 80

§. 10. De Damascenis et Scythis (Ies. 17, 1-14. 18, 1-7.) . . . . » 86

§. 11. De Idumaeis et Iudaeis. (Ies. 21, 11-17. 26, 9-21.) . . . . » 91

§. 12. De Leviathan (Ies. 27, 1-13.) . . . . » 95

§. 13. De bruchorum et Idumaeorum caede (Ies. 33, 1-13. 34, 1-8.) . . . . » 100

§. 14. In Scytharum caede Deus populi sui adiutor (Ies. 41, 1-17. 49, 6-9. 51, 21-23.) . . » 104

§. 15. De Idumaeorum peccatis et poenis (Ies. 56, 8-12. 57, 1-13. 20.) . . . . . pag. 110
§. 16. De eo qui torcular calcavit. (Ies. 63, 1-6. 18.). . . . . » 115
Cap. V. DE VATICINIIS IEREMIAE.
§. 17. De Iudaeis eorumque periculo et liberatione (Ier. 30, 4-11.) . . . . » 118
§. 18. De Idumaeis (Ier. 49, 7-22.). . . . . » 120
§. 19. Loci quidam ex Threnis et ex Barucho explicati (Thren. 1, 22. 3, 59-65. 4, 21. s. Bar. 4, 24. s.) . . . . » 124
Cap. VI. DE EZECHIELIS VATICINATIONIBUS.
§. 20. De Thaemanitis et Idumaeis (Ezech. 20, 45-49. 25, 12-14. 32, 29. s.) . . . . . » 125
§. 21. De Mardochaeo et Christo ac de monte Seir (Ezech. 34, 23-26. 35, 1-15. 36, 2. 5.) . » 129
§. 22. De ossibus aridis (Ezech. 37, 1-13.) . » 134
§. 23. De Gog et Magog (Ezech. 38, 1-23. 39, 1-29. Apoc. 19, 11-20. 20, 1-10.) . . » 138

LIBER TERTIVS

DE PSALMIS

Cap. I. AD VICTORIAM ESTHERAE PSALMOS QUOSDAM ESSE REFERENDOS.
§. 1. De testimoniis prophetarum . . . . » 163
§. 2. De quibusdam psalmorum inscriptionibus. » 168
Cap. II. DE PSALMIS LIBRI PRIMI.
Ps. 11. Precatio, ut Deus quod promiserit faciat, sanctum salvet, inimicos perdat . . » 182
Ps. 13. De inimicis Mardochaei et Christi. . » 185
Ps. 22. De typico Mardochaei, de vero Christi convivio. . . . . » 189
Ps. 28. Propheta Deo gratias agit . . . . » 192
Ps. 29. De Mardochaei Christique exaltatione. » 196
Ps. 39. Sacerdotalis oratio Christi . . . . » 199
Cap. III. DE PSALMIS LIBRI SECUNDI.
Ps. 41. De desiderio patriae . . . . . . » 205

Ps. 43. Iudaei venditi Amani hominesque qui in potestate erant diaboli, Deum ut se redimat rogant atque obsecrant . . pag. 209
Ps. 45. Filiis Esavi devictis, suos propheta cohortatur ut ex hac victoria Deum Iacob agnoscant . . . . » 215
Ps. 46. Occiso Amane, proselyti ad synagogam accedunt; superato daemone, gentes ad ecclesiam . . . . » 220
Ps. 47. Deus Gagaeorum victor laudatur . . » 224
Ps. 54. Christi in passione rogatio et vaticinatio. » 228
Ps. 55. Iudaeorum exsuium precatio . . . . » 234
Ps. 59. De regno Mardochaei et Christi . . » 237
Ps. 61. De victo Amane et daemone . . . » 240
Ps. 65. De Mardochaei et Iudaeorum liberatione, de Christi et omnium iustorum resurrectione. » 246
Ps. 67. De Esthera et Maria Virgine . . . » 250
Ps. 68. Mardochaeus et Christus Deum ut e mortis angoribus se eripiat, precantur . . » 267
Ps. 70. Mardochaeus et Christus divinorum memores beneficiorum Dei laudes celebrare numquam desinunt . . . . » 274

Cap. IV. DE PSALMIS LIBRI TERTII.

Ps. 72. De Mardochaei et Christi victoria . . » 280
Ps. 73. De Idumaeorum peccatis et poenis. . » 286
Ps. 74. Dolorum calicem vel a Mardochaeo ad Amanem vel a Christo ad daemonem translatum esse . . . . » 294
Ps. 75. De Idumaeorum et daemonum potestate fracta. . . . . » 298
Ps. 76. De Iudaeorum liberatione . . . . . » 303
Ps. 78. De Idumaeorum peccatis . . . . . » 309
Ps. 79. Ad Susianos exhortatio . . . . . . » 314
Ps. 80. De festo die sortium. . . . . . . » 320
Ps. 82. De innumerabilium hostium conspiratione» 327
Ps. 83. De desiderio patriae . . . . » 332
Ps. 86. De laudibus civitatis Dei, unde Mardochaeus ortus est et Christus secundum carnem . . . . » 337
Ps. 87. De derelictionis doloribus . . . . . » 343

Ps. 88. 1-19. Christi post ascensionem precatio pag. 349
Cap. V. DE PSALMIS LIBRI QUARTI.
Ps. 92. Dominus mari gentium dominatur . » 356
Ps. 93. De impiorum poenis . . . . » 359
Ps. 96. Iudicium regnumque Dei maximam bonis omnibus laetitiam attulit . . . . » 364
Ps. 98. De Dei iudicio et regno . . . . » 368
Ps. 101. De Christi angoribus vaticinium ex re Mardochaica petitum . . . . » 374
Cap. VI. DE PSALMIS LIBRI QUINTI.
Ps. 106. De Iudaeorum periculo et salute . . . » 380
Ps. 108. De Mardochaei Christique hostibus . » 388
Ps. 112. De Mardochaeo et Esthera, de Christo et Maria . . . . » 395
Ps. 115. Laudatio Dei . . . . » 398
Ps. 117. De festo die Estherae . . . . . . » 401
Ps. 119. Israelitarum precatio . . . . » 413
Ps. 120. Precatio filiorum Aaron. . . . . . » 418
Ps. 122. Proselytorum precatio . . . . . . » 420
Ps. 123. Israelitae maximas Deo gratias agunt. » 422
Ps. 124. Carmen sacerdotum . . . . » 425
Ps. 125. Quantum Levitae ex spirituali reversione gaudium perceperint? . . . . . . » 427
Ps. 126. Proselyti caedem Idumaeorum cum salute Iudaeorum conferunt . . . . » 430
Ps. 128. Iudaei Idumaeorum victores. . . . . » 432
Ps. 129. Sacerdotum precatio . . . . » 434
Ps. 132. Sacerdotes de Iudaeorum Israelitarumque coniunctione ac de proselytorum societate gaudent . . . . » 437
Ps. 136. De ardentissimo desiderio patriae . . » 438
Ps. 138. De regenerationis mysterio . . . . » 440
Ps. 140. Precatio vespertina . . . . » 447
Ps. 142. Precatio nocturna. . . . . » 450
Ps. 143. De adventu iudicis . . . . » 453
Ps. 146. De timentibus Deum. . . . . . . » 457
Ps. 147. De hiemali vernoque tempore . . . » 460
Ps. 149. Cantus proelium inchoantium . . . » 462

LIBER SECVNDVS

DE VATICINIIS.

CAPVT PRIMVM

DE EXPLICANDIS VATICINIIS ET PSALMIS.

§. 1.

Qui primum, relicto littore, in altum evehuntur, ubi a terra tantum recesserunt, ut oculis cernere praeter aerem et aquam nihil omnino possint, natura ipsa nescio quomodo perterreri solent. Quamquam enim sibi persuadeant, peritos esse nautas, nihil omnino periculi: tamen numquam aut cogitationes a maris altitudine, ab impetu ventorum ac fluctuum, a fragilitate navis revocare, aut animum ex metu et perturbatione recipere possunt. Itaque uti fluctibus vehementer iactari coepti sunt, evenit, ut vel ipsi sibi vel eis omnia circumagi videantur. Similis animum meum incessit timor, quum mea me ad hunc locum disputatio adduxisset. Nam velim nolim, ex historia transire ad vaticinia cogor. Etenim quod in mari ac tempestatibus accidit illis qui primo navem conscendunt; iddem ex sancti hominis sententia in explicandis litteris sacris usu venit, ut commoveri ac perturbari sit necesse, non quod horribile sit pelagus, sed quia nos tirones sumus rudes et experientia destituti. Sed quamvis immensum sit prophetarum pe-

lagus multaeque ei insint voragines, tamen nos quantum poterimus vel potius quatenus superna gratia fuerit concessum, audacter mare illud ingrediamur [1]).

Sunt autem ea quae ad Estherae librum pertinent vaticinia perobscura ac tot tantisque difficultatibus implicata, ut recentiores scriptores ea se umquam interpretari posse desperarent. Nec mirum. Quum enim ignorarent, quem sibi locum vindicaret historia Estherae: non habuerunt, quo vaticinia illa rite possent referre.

Sed antequam prophetas explicare audemus, dicendum est, utra nobis interpretationis ratio sequenda videatur. Nemo est enim nescius, interpretandi rationes esse duas, alteram quam Graecis verbis dicimus propheticam vel allegoricam, historicam vel propriam alteram. Quodsi Graeci nobis scriptores aut Latini explicandi sunt, non potest esse dubium, utra utri iure anteponatur. Nam eorum, qui Homerum allegorice tractarunt, iamdudum explosa sententia est. Sed sacrorum librorum interpretes quum nostra aetate aut essent philologorum quos proprie dicimus discipuli, aut artem eorum disciplinamque assumerent, factum est, ut spreta allegoria, historiam se praeferre faterentur. Equidem qui gratum me profiteor et memorem philologorum discipulum et eorum quidem, qui summam in Germania laudem assecuti sunt, hos ita sequor, ut in Graecis, in Latinis aliisque scriptoribus ab historico genere recedendum numquam esse putem. At vero qui auctores sacros volet explanare, et libros diversos interpretationem diversam postulare intelliget et alios ad imitandum propositos esse magistros. Etenim populi eius, de quo libri illi et a quo scripti sunt, historia omnis nihil erat aliud nisi allegoria vel, ut Latine dicam, continua rerum futurarum adum-

1) Cf. Ioann. Chrys. de prophett. obscuritate I.

bratio. Quamobrem genus allegoricum in libris sanctis contemnere, caeci hominis est et veritatem non amantis. Nam qui in ieiuno illo historico vel litterali genere haeserit, quum de ceremoniis, de sacrificiis, de rebus gestis quaeritur, ex adumbratione ad perfectionem, ex significatione ad veritatem, ex litteris ad sententiam qui pervenire poterit? At contra qui interpretatione allegorica allegoriam rerum superaverit, quanta cum animi delectatione ex antiqui foederis umbra ad laetissimam lucem evangelii evolabit? Et profecto s. Paulus, clarissimus ille Graecorum magister, quum historicam rationem plerumque sequeretur, allegoricam minime sperneret, nonne utramque exemplo suo et probavit et commendavit? Reliqui autem vel apostoli vel evangelistae, quum veteris testamenti vaticinia partim ad vitam Domini nostri partim ad passionem mortemque referrent, num ab allegorica interpretatione abhorruerunt? Verum ex posterioribus non omnes iustam illam mediocritatem tenuerunt, sed quidam, neglecto genere altero, alterum sibi assumpserunt. Velùti Origenes allegoriam ita amplexus est, ut ab ea ne in Evangeliis quidem explicandis abstinere posset. At vero Hieronymus in ipsis prophetis historicum genus allegorico anteponendum iudicavit. In primis enim operam dare solet, ut historicum quod dicit fundamentum iaciat. Neque vero dubitavit petere veniam, *quod in adolescentia provocatus ardore et studio scripturarum allegorice interpretatus esset Abdiam prophetam, cuius historiam nesciisset* [1]). Quum igitur Hieronymus tanta vir sanctitate sibi adolescens a vera interpretandi ratione aberrasse visus sit: quanto magis nobis ne iddem accidat verendum est? Quamobrem leges utriusque generis propriae constituendae

1) Hieron. in Abd.

finesque describendi sunt. Ac primum quidem mihi Hieronymi exemplo omnino probata est interpretatio historica. In primis igitur indaganda propria verborum vis ac significatio est, deinde videndum, quae res vel prophetae aetate vel paulo post mortem gesta sit, ad quam eius vaticinium vere possit spectare. Etenim magnum praedictionum numerum in ipsa prophetarum vita evenisse, nisi sacrae historiae ignarus negare nemo potest. Quin ex ipso rerum eventu populus iudicare debuit, utrum verus esset propheta et audiendus, an falsus ac condemnandus. Ita enim Moyses: *Propheta, qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quae ego non praecepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur. Quodsi tacita cogitatione responderis: Quomodo possum intelligere verbum quod Dominus non est locutus? hoc habebis signum: Quod in nomine Domini propheta ille praedixerit et non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit et idcirco non timebis eum* [1]). Haec quum legerem, eos miratus sum, qui quum in historia sacra non satis studii operaeque collocassent, ex vaticiniorum difficultatibus effugere se semper ad allegoriam posse opinarentur. Postea autem quam res proximae inventae sunt ad quas vaticinia pertinent, quaerendum est, praeterita sintne futurorum signa atque indicia. Quod si ita est, ad historicum interpretandi genus alterum quod allegoricum dicimus, iure mihi videtur accedere, ut quod primo proprie et historice effecerimus, deinde vel ad redemptionem nostram vel ad iudicium resurrectionemque transferamus. Sed quo facilius quod sentimus intelligatur, aliquo utamur exemplo. Si nobis explicanda sunt verba illa: *In una domo*

1) Deut. 18, 20.

Phase comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras nec os illius confringetis [1], primum quidem historicam rationem secuti, hanc Iudaeorum legem fuisse dicimus, ne agni illius os ullum confringerent. Deinde probandum est, Iudaeorum exitum nostrae fuisse redemptionis significationem, agnum autem signum, τύπον Iesu Christi. Verbis igitur illis proprie contineri legem, allegorice autem vaticinium, quod ad Dominum nostrum referri oporteat [2].

Sed vaticinia, de quibus dicturi sumus, ab ecclesiae patribus aliis aliam ad rem relata esse video. Sunt enim, qui Babylonico exsilio, quum Iudaei Scythas multasque gentes devincerent, ea exitum habuisse scribant. Quidam ea intelligenda esse dicunt vel de Domini nostri supplicio ac resurrectione vel de altera Hierosolymorum expugnatione. Alii denique putarunt ad omnium resurrectionem atque ad extremum iudicium ea transferri oportere. Quoniam patres a spiritu sancto adiuti sunt, spiritus autem unus est nihilque dicit nisi vera, per mihi mirum est, quomodo eorum sententiae ita inter se discrepare videantur. Sed quum multum de hac re cogitarem essemque dubius, quosnam potissimum deberem sequi: tandem plus apud me eorum auctoritas valere coepit, qui vaticinia illa historice de Babylonico exsilio Scytharumque occisione explicarunt. Neque tamen a me impetrare potui, ut eos sequi omnino constituerem. Nam sequi eos iddem est atque ab aliis discedere. Dum ita dubius haesito, illud semper tenendum existimavi, discrepantiam sententiarum illam quidem videri esse, revera esse non posse. Itaque Deo adiuvante rationem ac viam invenimus, qua in prophetis explicandis patres,

1) Exod. 12, 46.
2) Ioann. 19, 36.

nullo deserendo, sequi possimus omnes. Nam quae Babylonico exsilio Iudaeis acciderunt, significant vel adumbrant ea, quae eisdem evenerunt paulo post occisum Christum, utrisque vero item portenduntur ea, quae ultimo tempore omnibus hominibus futura sunt. Quae si ita se habent, eadem prophetarum verba proprie ad prima vel ad altera, allegorice vero ad altera vel etiam ad tertia referri probe possunt. Eiusmodi autem intercedere inter tria illa tempora rationem similitudinemque, singulatim demonstrare, quam in universum dicere praestat.

Sed operae pretium me facturum puto, si ad tria illa tempora adiunxerim alia duo quae eis antecesserunt, atque ita totam generis humani historiam comprehenderim. Sic enim perspicuum fore puto, et quomodo nos Deus educare resque gubernare nostras voluerit, et quibus factis ac miraculis totam historiam distribuerit in partes quinque, et vero etiam quemadmodum praeterita sint signa ac prodigia futurorum. Sed ne incerta disputatio esse videatur, haud incommodum est, haec divina ei verba subiicere quasi firmum quoddam fundamentum:

Simile est regnum coelorum homini patrifamilias qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos et dixit illis: Ite et vos in vineam meam et quod iustum fuerit dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam et nonam horam et fecit similiter. Circa undecimam vero exiit et invenit alios stantes et dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi? Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite et vos in vineam meam. Cum sero autem factum es-

set, dicit dominus vineae procuratori suo: Voca operarios et redde illis mercedem incipiens a novissimis usque ad primos [1]).

Legenti mihi haec et relegenti dubium semper visum est, utrum simplicitas verborum an sententiarum gravitas magis esset admiranda. Nam exemplo illo ad popularem intelligentiam accommodato initia humanarum rerum omnium et fines definire, interiecta praeterea intervalla notare ac designare, educationem denique generis nostri ac benevolentiam Dei iustitiamque tam accurate describere, id certe eius ipsius est, qui divinus procurator appellatur! Etenim generis humani vita et historia omnis inde a primo homine creato usque ad eum, qui postremus moriturus est, unius diei spatio continetur. Primam enim lucem hominum generis ortum, tempus vespertinum indicare interitum, id quidem satis est perspicuum. Nec minus certum, in tertiam horam incidere aetatem Noes, in undecimam priorem Domini nostri adventum. Iam vero ad Abrahamum horam sextam, ad Moysem nonam retulerunt. In quo illud praeclarum, quod interfuerunt totidem generationes inter Adamum et Noen, quot inter Sem et Abrahamum. Erat enim decimus ut ab Adamo Noe, sic a Sem Abrahamus. Sed contraria illorum sententiae temporum ratio est, quae haud facile illi accommodari poterit. Nam inter tertiam et nonam horae sunt sex, inter Noen et Moysem circiter annorum mille. Inter nonam autem et undecimam intercedunt horae duae, inter Moysem et Christum anni mille quingenti. Vnde efficitur, quod sane non est consentaneum, ut spatium horarum sex dimidio minus magnum sit quam duarum. Praeterea inter prima tempora et altera convenientia nulla est. Etenim inter

1) Matth. 20, 1. ss.

Adamum fuerunt et Noen anni circiter mille sexcenti, inter Noen atque Abrahamum non amplius trecenti nonaginta duo. Quae quidem intervalla, quamquam ex illorum interpretatione in evangelico exemplo aequalia sunt, tamen nemo est, qui paria possit iudicare. Quibus ex rebus citius tempora illa oportere exaequari, quam quomodo id possit fieri perspicitur. Equidem, si quid mihi videatur dicendum est, horam sextam ad utrumque et ad Abrahamum et ad Moysem pertinere puto, ita tamen, ut quod uni Deus promiserit paulo ante sextam, id ipsa sexta per alterum confecerit. Nonam deinde non ad Moysem, sed ad Babylonicum exsilium referendam censeo. Ita si horas distribueris, mirum est, quomodo omnia inter se congruere videantur.

Primum enim exivit paterfamilias ἅμα πρωΐ, *primo mane*, non hora prima sed haud ita multo post quartam vigiliam, diluculo, quod tempus luci proximum antecedit. Quoniam autem a primo mane ad tertiam horae plures sunt quam tres; consentaneum est, primum temporis spatium reliquis aliquanto esse longius. Deinde homines visitavit *circa horam tertiam*, quum improbos interire, Noen eiusque propinquos salvos esse voluit. Tum adfuit *circa sextam*, quo tempore Iudaeos ex Aegyptiorum servitute exceptos, multis signis ac portentis factis, in terram sanctam adduxit. Post *circa nonam* venit, ut Israelitas Iudaeosque patria expelleret, emendatos deinde reduceret. Denique *circa undecimam* exire constituit, qua quidem hora infinita misericordia et se digna commotus unicum suum nobis filium misit. Continentur igitur primo intervallo, quod ceteris aliquanto maius esse diximus, circiter mille sexcenti anni, secundo autem mille, tertio nongenti, quarto denique, quod ex duabus horis, non ex tribus constat, anni sexcenti. Postremo rediturus est Dei patris procurator ὀψίας γενο-

μένης, *quando sero factum erit.* Vt primo sic etiam ultimo spatio maior inest quam ceteris, annorum numerus. Nam ὀψία, *sero* non magis alteram vel tertiam significare quam quartam aut quintam noctis horam potest. Dominum venturum certum est; quam horam adventui iudicioque constituerit, nos celare optimum visum; ut penitus mentibus nostris inhaereret illud: *Filioli, novissima hora est,* et alterum: *Dominus prope.*

Iam vero partitione facta, deinceps intervallorum inter se instituenda contentio est. Ac primum praeterire illud non debemus, quoties paterfamilias exiverit, operarios ab eo inventos esse stantes in foro otiosos. Quare dicendum est

I. *De operariorum otio.* Quodsi extremis quibusque temporibus hominum mores qui et quales fuerint, considerare volumus; ad extremam eos etiam pravitatem malitiam turpitudinemque delapsos videbimus. Ac primo quidem tempore quum non esset cervicibus praematura mors imposita, homines superbia sufflati sese efferre, neminem nec Deum nec hominem vereri, vim aliis et iniurias inferre, voluptatibus libidinibus luxuriae totos sese dare coeperunt. Tanta enim et tam taetra erat turpitudo, ut terra adspergeretur impuritatis maculis, ut nefastarum rerum omnia plena essent ac referta, ut vel Deum poenitere creationis videretur [1]). Potissimum autem iniquitas ea re latius manavit, quod in matrimonium improbi filias sumpserunt bonorum. Sed quum pestis illa iam in eo esset, ut inficeret iustos omnes, paterfamilias exeundum sibi esse cognovit.

Iam vero Moysis aetate res humana fere in antiquum statum redierat. Aegyptii ad ferendas calamitates omnes quam ad precandum Deum paratiores erant. Chananaei

1) Gen. 6, 6. 11.

in superstitione deorum vitaeque turpitudine eo usque progressi sunt, ut nisi delerentur, pestem illam per totum terrarum orbem propagarent [1]). Falsis deis vitiisque Israelitae ipsi ita erant dediti, ut non modo miraculorum magnitudine sed ne quadraginta quidem annorum ieiunio ab istis revocari possent [2]). Vbi igitur iam verendum fuit, ne vitia virtutem vincerent, paterfamilias partim iustitia in operarios partim benignitate usus est.

Quid vero? Assyriaco Babylonicoque exsilio nonne eadem ubique nequitia impietas turpitudo? Quod enim genus impuritatis mollitiaeque inveniri potest, quod non cum deis ac mercibus Phoenices Idumaeique in Europam, in Asiam Africamque deportaverint? Aegyptii vero nonne effeminati erant divitiis, debilitati luxuria, impietate depravati? Ninus autem et Babylon urbes copiis omnibus opibusque affluentes, quid aliud censendae erant praeter pestiferas omnium vitiorum magistras? Israelitarum porro tribus illae decem num per saecula quattuor annum unum a falsorum cultu deorum destiterant [3])? Iudaei denique, prophetis occisis omnibus, nonne videntur a deorum turpitudine aliquantum ob eam ipsam causam recessisse, ut Manasse rege ac duce rursus in eam ex omnibus viribus incurrerent quadragintaque annos in ea manerent demersi? Vitia igitur etiam eo tempore hoc usque processerunt, ut haud multum abessent, quin virtutem honestatemque ex hominum vita penitus tollerent. Quod ne accideret, divina benevolentia providit.

Venimus ad illud tempus, quum et naturam sibi Deus et genus humanum admirabili vinculo conciliavit.

---

1) Deut. 9, 5.
2) Amos 5, 25. s.
3) Ezec. 4, 3.

Tum apud omnes gentes, quae Romanis parebant, tanta erat tamque communis morum depravatio, ut viri boni iamdiu stare humanam rem negarent posse, nisi forte deus quis ei subveniret atque opitularetur. Etenim natura humana, quum virtutem ipsa per se saepius conata esset sequi, tandem id se omnino non posse experta est. Quare quasi de se ipsa desperaret, multis inceptis fessa ex voluptatibus quietem ac beatitudinem quaesivit. Homines Graecos ad vitae frugalitatem quamdam conformare magni studuerunt magistri, Socrates Plato Aristoteles alii. Frustra. Neque enim tantum quidem apud suos valuerunt, ut cursum illum, quo Graecorum gens ad civitatis virtutumque interitum praeceps ivit, vel retinerent vel etiam retardarent. Romani autem quales tum fuerint, quum multis aliis ex rebus, tum ex satyris potest cognosci. Iudaeorum vero celebris antea et magna natio divisa erat in partes tres. Quarum una est eorum, qui post Cyrum regem in Media Babyloniaque remanserant, quique et pietatem Iudaicam et superstitionem gentium peraeque sequebantur. Altera eorum est, qui in Aegypto erant, operaeque in humanis rebus plus quam in divinis collocabant. Tertia denique, qui Hierosolyma Palaestinamque incolebant, atque in plures item disiuncti erant partes. Complures, qui Herodiani et publicani vel portitores vocati sunt, partim Herodem Scytham illum adulabantur, partim accesserant ad rem Romanam. Alii, qui conscientiae angore maleficiorumque cruciatu agitati immortalem esse animum negabant, Saducaeos sese profitebantur. Pauci, qui Esseni dicti sunt, ex illa perturbatione rerum ad aridam vitam tranquillamque sese contulerunt. Plerique Pharisaeos sequebantur Iudaicos illos sycophantas, qui quantum a vitae morumque integritate abfuerint, haud parum cognitum est. Ita quidem homines gradatim ad vitia omnia delapsi erant, quum

Deus summum ad perfectionis gradum reducere eos constitueret.

Postremo autem tempore, quando Dominus noster iudex veniet, quanta incontinentia hominum, quanta obstinatio et impietas futura sit, augurari non sine animi tristitia ex praeteritis possumus. Explorata vero haec sunt et ex eis, quae vel libris sacris vel aliis scriptis de Antichristo continentur, et vero etiam ex divina illa voce: *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi. Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* [1]).

Quemadmodum extremo cuiusque spatii tempore operarii in otio, in deliciis voluptatibusque fuerint, satis expositum est. Quum autem turpem languorem eorum inertiamque paterfamilias videret, qua et benignitate semper et clementia erat, non poenam statim sumpsit, sed studia eorum ad opus, ad laborem atque industriam excitare maluit. De hac invitatione accipiendum illud est, quod scriptum legitur extrema parabola: *Multi sunt vocati.* Vocavit igitur ad opus suum πολλούς, *multos, multitudinem, omnes.* Per quos autem ex vitiorum otio ad virtutis obedientiaeque laborem eos singulis temporibus provocaverit, iam dicendum est. Disputabimus igitur

II. *De vocibus vocationibusque divinis.* Vtrum virtutem homines colant beatitudinemque consequantur aeternam, an vitiis dediti post mortem miseri futuri sint, Dei plurimum interest, non quod humana ex virtute felicitateque fructum ullum capiat ipse, sed quia in eo summa est et sanctitas et caritas. Quamobrem maximae

1) Matth. 24, 22. 24.

ei curae esse solet, ut, si singuli se vel universi languori desidiaeque dederint, ex otio eos excitet impellatque ad honestatem atque industriam. Hoc autem per eos fecit, quos et creavit eam ad rem et eximiis facultatibus ornavit. Primo enim tempore misit Enochum, septimum ab Adamo, qui ut Ionas postea Ninevitas, sic hic omnes tum homines a peccatis ad poenitentiam revocaret. Etenim ut mari intumescente, ipsi eius accessui gravis fluctuum sonitus antecedit, qui, ut suis quisque quaestibus relictis confestim in littus ascendat, solet admonere: sic eluvionis praenuntia fuit Enochi vox cohortantis improbos, ut vel propulsarent calamitatem illam vel poenitendo effugerent. Hinc illud praeclare dictum: *translatus est (Enoch) quasi signum poenitentiae generationibus* [1]. Cuius quasi explicatio quaedam est apud Iudam Apostolum: *Prophetavit autem Enoch dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere iudicium contra omnes et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, et de omnibus duris, quae locuti sunt contra Deum peccatores impii* [2]. Sed ut plurimum hic ad commovendos posteros valeret, non, ut ceteri, mortuus, sed vivus a terra est translatus, quum tot vixisset annos quot anno continentur dies [3].

Post eluvionem revertenti Domino praeco anteivit Abrahamus, qui quae hora sexta futura essent non verbis sed factis nuntiaret. Quum enim Palaestinam annonae caritas, deinde fames invasisset, hic in Aegyptum se contulit. Quum autem primum apud Aegyptios maximis in honoribus esset, postea ab eis, quum, iniuria

1) Ecclci. 44, 16. Ἐνὼχ μετετέθη ὑπόδειγμα μετανοίας ταῖς γενεαῖς.
2) Iudas 14.
3) Gen. 5, 24. s. Hebr. 11, 5.

Sarae illata, iure plecterentur, e finibus eiectus et expulsus est. Concessum tamen ei est, ut greges secum ageret aurique vim magnam asportaret. In Chanaan reversus, quantam qui Sodoma et Gemorra incolebant, et quam acerbam poenam darent, vidit [1]). His rebus Iudaeorum usque ad Iosuam facta vicissitudinesque adumbrata esse, quis est, quin statim intelligat? Nam ut cetera omittam, quod tum Sodomorum Gemorrorumque oppidanis accidit, nonne indicio fuit, quid reliquis Chananaeis ab Iudaeorum reditu immineret?

Iam hora nona quum Dominus egressurus erat, eius nuntius fuit admirabilis ille Elias, qui non, ut posteriores, ad Iudaeos solum et Israelitas, sed etiam ad Idumaeos Chananaeosque missus est. Hic enim homo pilosus et zona pellicea accinctus manu promptus et fortis, certamine cum Baalis sacerdotibus inito, quum Dominum paucis precatus ignem de coelo impetrasset, istos omnes, qui diu ad falsos deos frustra clamaverant, gladio interfecit. Hazaelem Idumaeorum regem creavit et ungi iussit. Veri Dei notitiam Sarepta Sidoniis attulit. Neque vero cives suos verbis magis quam vitae duritia adhortatus est, ut a plurium deorum turpitudine discederent, Deum verum morum vitaeque castitate colerent. Sed quum minus ita proficeret, altissimi Dei nomine Palaestinensibus trium annorum ieiunia imperavit. Plurimi praeterea aestimandum est, quod prophetarum disciplinam scholamque instituit. Quare effecit, ut magnus se discipulorum numerus consequeretur. Hi quidem omnes nihil aliud fecerunt, quam ut magistrum secuti, homines suos a desidia ad pietatis studium transducerent. Elias autem, ut perpetua apud Israelitas eius esset

1) Gen. 12, 10. ss. 19, 24.

recordatio, a Deo tamquam fulgur in coelum translatus est [1]).

Vndecima hora ipse Dei filius ad nos venire voluit. Is praeconem sibi praecedere iussit Ioannem, qui nullis faciendis miraculis summum se prophetam praestitit. Hic divini regni praenuntius, quum ad poenitendum omnes hortaretur, viam aditumque redemptori munivit. Iudaeis praeterea, nisi mores emendarent Christumque reciperent, maximorum malorum vates exstitit. Idem autem pluribus de causis alter appellatur Elias. Primum, ut leve quiddam dicam, eisdem, uterque vestibus utebantur. Zona pellicea sese cinxerunt, pilis autem alter natura alter arte vestitus erat [2]). Sed quam duritiam vestimentis indicabant, eamdem in omnibus rebus sequebantur. Ad hoc discipulos ad iddem vivendi genus aridum formaverunt. Denique ut ille hora nona, sic undecima hic advenienti patrifamilias anteivit, vel poenitentiae praeco, vel exsilii interitusque nuntius. Postremo Idumaeos neuter eorum negligendos putavit. Ioannes enim Herodem Idumaeum vituperare non dubitavit, quamquam vinculorum mortisque poenam sibi propositam videret.

Quemadmodum singulis horis omnes ad mores emendandos vocati sint, breviter explicatum est. De futuris autem si quaerimus, tum ex praeteritis aestimare tum cognoscere ex sanctorum scriptis possumus, fore ut haud ita multo ante finem ex ecclesia catholica doctores exsistant Enochi Eliae Ioannisque simillimi. Hi hominis peccatoris adversarii, operam daturi sunt, ut improbos ad officium revocent, verbo et exemplo confirment bonos sanctosque ad martyrium subeundum inflamment.

---

1) III. Regg. 17, 18. IV. Regg. 1, 2.
2) IV. Regg. 1, 8. Marc. 1, 6.

Quamquam divinas voces vocationesque auribus perceperunt omnes, tamen pauci fuerunt, qui singulis temporibus commoveri possent, ut, omni cunctatione abiecta, praeceptis mandatisque Dei parerent. Quare ex multis qui vocati sunt, pauci tantummodo digni fuerunt, qui eligerentur. Vnde illud: *Multi sunt vocati, pauci electi.* Iam brevissime dicamus

III. *De paucorum electione.* Hora tertia quum exiret paterfamilias, homines non amplius octo, Noen et filios tres eorumque coniuges, dignos iudicavit, quos a poena liberaret. Sexta autem Abrahamum quidem et Isaacum, neque tamen omnes eorum posteros, sed solum Israelem eiusque filios elegit, quos in terram sanctam adduceret. Nona vero duae certe partes eorum, qui ab Assyriis Babyloniisque in exsilium ducti sunt, in media Asia remanserunt, tertia a Deo electa in patriam rediit. Iam vero hora undecima ex Iudaeis Palaestinensibus pauci, ex ceteris plures Iesum Christum professi et secuti sunt. Postremo ante huius mundi finem, quum homines tamquam aurum igni probentur, paucissimos credo ex acerrimo discrimine constantes in fide salvosque discessuros.

Clementia in Deo et iustitia ita temperatae sunt, ut ex caritate tamquam ex una radice efflorescere videantur. Itaque clementiam consecuta iustitia est. Quem enim homines patrem amantissimum audire noluerunt, eum iudicem severissimum timere coacti sunt. Nam quod illi singulis horis propter pertinaciam multati sunt, id divinum iudicium et esse et iure optimo vocari puto. Disputabimus igitur

IV. *De divino iudicio, de improborum morte et interitu.* Quodsi diversis temporibus homines a prophetis admoniti, ut Nini incolae, ad deprecationes se ieiuniaque contulissent, atrocitatem iudicii divini certe non essent experti. Sed quum obedientiam abiecissent, in iudicis ma-

nus inciderunt. Nam Noes aetate, quum horribile eluvionis malum terram invasit, improbi ad unum omnes deleti sunt. Chananaei, quum Sodomorum interitu haud admodum commoti essent, postea gladio ab Israelitis omnino sunt caesi. Quod enim reges triginta amplius in proeliis ceciderunt, ex eo potest, quanta militum feminarum infantiumque caedes fuerit, aestimari. Iam hora nona duplex fuit Domini iudicium, quo declarata sunt ea, quae hora undecima et in extremo tempore futura erant. Institutum est enim unum de Iudaeis; alterum de eis qui et Dei et Iudaeorum hostes dicti sunt. Primum enim Iudaei, qui prophetas occiderant, fame peste gladio perierunt. Hierosolymorum urbs expugnata, templum ab Idumaeis incendio deletum. Easdem poenas dederunt ei, qui primum Christum deinde Stephanum Iacobum alios trucidaverant. Dominus enim futurum esse dixit, ut Hierosolyma expugnarentur, templum dirueretur, fames pestilentiaque invaderet Iudaeam, concuteretur diversis locis ingenti motu terra, atque eiusmodi humanum genus exterreretur pavore qualis ab initio mundi numquam fuisset [1]). Tempus autem harum rerum ita definivit: *Non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiant.* Neque vero intercesserunt anni quadraginta, et mala illa Iudaeis acciderunt omnia. Sed iam satis constiterit, priorem Hierosolymorum expugnationem Iudaeis indicasse, qualis futura fuerit altera. Nobis autem duae illae eversiones portento sunt, quales poenas Antichristi asseclae, et quantas sint daturi. Nam quae de fame Iesus Christus, quae de peste, quae de terrore angoribusque vaticinatus est, ea non ad Iudaicae gentis magis, quam ad totius generis humani interitum trahenda sunt.

---

1) Matth. 24.

Sed alterum fuit Babylonico exsilio iudicium, quod de Idumaeis Amalecitisque institutum est. Illi enim homines detestabili impietate pestiferum paederastiae scelus primi in Graeciam intulerunt [1]), superstitionis flagitiorumque magistri in Asia, in Thracia exstiterunt, in Illyria, in Graecia, Italia, Hispania. Neque voluptatum illecebris decepti, quod vera ignorarent, cum tanto studio et aviditate deos falsos sequebantur, sed quia sibi proposuerant, ut verum Deum spernerent flagitiosaque pertinacia impugnarent. Hinc etiam implacabile illud in Iudaeos odium, hinc perpetuae inimicitiae et iniuriae. Sed his superstitionis auctoribus gravissima constituta poena est; Aman horum rex cruci affixus, reliqui gladio trucidati. Portentum autem hac re illud iudicium est, quo salvator noster principem huius mundi fraudisque parentem gloriosa victoria superavit eoque quod sibi arrogaverat imperio expulit. Neque vero ea re illud iudicium solum, sed etiam ultimum significatum atque declaratum est. Etenim ut Amanem sociosque Deus condemnavit, sic etiam principem tenebrarum cum angelis hominibusque improbis in extremam miseriam depulsurus est. Haec de eis rebus dicta sint, de quibus non possumus cogitare, quin vereri pertimescere ac tremere incipiamus.

Iudicium improborum duplex et Babylonico exsilio Christique aetate fuisse et extremo tempore fore, satis explicatum arbitror. Sed ut improbis ac maleficis sic bonis etiam iustisque mortis poena subeunda est. Nam ubicumque peccatum, ibi poena. Atqui Adami peccatum in omnibus inest, qui ex eo nati sunt [2]). Ergo quisquis

---

1) Huius impuritatis apud Graecos auctor erat Thamyris. Appolod. 1, 3, 3. Conon fab. 7. Eum Scytham fuisse, quum ex aliis rebus tum ex matris nomine Argiope satis apparet.

2) Exceptis duobus, Iesu et matre eius.

illius peccati origine est particeps, is sive iustus est sive impius, moriatur necesse est. Sed homines bonos ad novam ac laetam e sepulcris, ad beatam aeternamque vitam scimus resurrecturos. Quemadmodum autem mortis iugum omnibus subeundum prius est, quam resurrectionis consequantur libertatem: sic ex operariis de quibus dicimus, nisi symbolicae mortis interventu vineam intrare nemo potuit. Dicemus igitur

V. *De iustorum morte ac resurrectione.* Primo enim tempore Noe et qui cum eo erant non potuerunt esse salvi, nisi terra, nisi rebus omnibus hominibusque relictis arcam ingrederentur. Primum autem tenebris ipsisque mortis fluctibus obruti, post anni spatium ex arca tamquam e sepulcro in recentem terram evolaverunt. Eadem ratione Iudaei sanctam terram non intrarunt, nisi prius mortis poenam pertulerunt. Primum enim, quantum in Deo fuit, ad montem Sinai omnes quidem mortui sunt, quum in eos haec lata sententia est: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos et deleam eos faciamque te in gentem magnam* [1]). Sed Moyse deprecatore a mortis sententia ac supplicio liberati sunt. Deinde vero quum imperatis divinis audientes esse nollent, in deserto procul a terra sancta omnes e vita decesserunt. Exstitit autem e sepulcris nova generatio pia et digna, quae quod promissum erat, assequeretur. Sed alii tunc mortui, alii suscitati sunt. At vero Mardochaei aetate qui mense primo Amanis sorte regisque nomine morte multati sepultique erant, eidem tertio mense ex sepulcris sunt ad novam vitam revocati. Quibus rebus intelligi debet, Iudaeos aetate Christi, Christianos extremo tempore oportere interire, ut a Deo novus eis vitae halitus reddatur. Nam qui sanctis illis sacra-

1) Ex. 32, 10.

menti undis Iudaei suppressi sunt, ei, accepta vitae novitate, Christiani emerserunt. Ita quidem Hierosolymis eversis atque Iudaica religione cum templi incendio extincta, Christiana ecclesia sancta munda et eadem omni vitio vacua condita ac constituta est. Sed extremo tempore, ut haec mundi forma igni deleatur, ut electi cum certa spe salutis mortis poenam doloresque tolerent, divina voluntate decretum est. At vero hoc quidem corpore ceterisque rebus igni absumptis, futurum est, ut natura divino verbo sanctis corpora restituere cogatur eadem certe sed aeternae iuventutis flore immortalitatisque splendore illustria. Mortui sunt igitur Noe eiusque filii, ut timore iudicii perculsi novi pii sanctique gentium suarum auctores exsisterent. Mortui sunt Iudaei in deserto, ut nova generatio occuparet terram sanctam ac possideret. Mortui sunt eidem Iudaei in exsilio Babylonico, ut a Mardochaeo e sepulcris excitati emendatis moribus ad montem sacrum reverterentur. Mortui sunt cum apostolis electi Iudaei, ut ex baptismatis lavatione mundi, a peccatis liberi ac Christiani exirent. Quicumque denique aetate sua ad ultimum tempus devenient, ei morientur omnes, ut ceteris sanctis coniuncti e sepulcris citati vitam aeternam, beatitudinem summam, regnum Dei et patris consequantur. Sed operae pretium est etiam exponere, quaenam cuiusque resurrectionis primitiae et qui auctores fuerint. Ac primum quidem salutis auctor ducendus est Noe; hunc enim unum Deus vidit iustum coram se in generatione illa [1]). Eum igitur propter iustitiam primum salvum esse voluit, propter eum reliquos septem. Postea in deserto nec Aaroni Dominus nec Moysi pepercit; ceciderunt omnes praeter Iesum, qui unus a communi reliquorum sorte exceptus

1) Gen. 7, 1

populum recens natum in terram victor induceret. Babylonico deinde exsilio Mardochaeus omnium princeps a morte liberatus non duxit quidem hostem de quo triumphavit, sed ornatus purpurea veste ipse ab eo per urbem ductus est. Sed hic, quum primus vitam adeptus esset, ceteris omnibus mortis deprecator salutisque auctor exstitit. Quos autem admirabili illa victoria sibi filios creaverat, eos etiam in urbem sanctam, in civitatem Dei, ad montem Sion adduxit. Postremo tempore quum vaticinia eventum adumbrationesque perfectionem nacta sunt, Christus qui ut Iesus sic etiam Mardochaeus i. e. rex vocatur, ab ipso adversario sanguinea veste indutus non mense tertio, sed die, tenebris superatis fractisque mortis vinculis, e sepulcro victor prodiit. Atque ut Mardochaeus secundus a rege, sic hic proximus a patre per totum terrarum orbem declaratus est. Quemadmodum autem suos ille in patriam, sic nos omnes hic e mortis somno suscitatos ad coelestes sedes triumphans perducturus est. Ac de iustorum hominum resurrectione diximus.

Iam ad exemplum, de quo dicimus, redeundum est. Cum primis operariis conventionem paterfamilias ex denario diurno fecisse dicitur. Reliquis autem quod aequum esset daturum se pollicetur. Quibus verbis perspicuum est, quod cum Adamo Deus foedus icit, ab eo id singulis temporibus esse renovatum. Adamus autem post peccatum fideliter se Deo serviturum fidem dedit; ille contra ei salvatorem pollicitus est. Quod quidem foedus quomodo singulis intervallis data acceptaque fide redintegratum sit, nobis iam est explicandum.

VI. *De foedere cum hominibus icto, promisso dato et accepto.* Hora tertia paterfamilias foedus fecit cum Noe quo ei familiaeque eius salutem ex omnium interitu concessit. Hic enim *Ponam*, inquit, *foedus meum tecum*

et ingredieris arcam tu et filii tui, uxor tua et uxores filiorum tuorum tecum [1]. Quum autem quod pollicitus erat perfecisset, sese numquam in posterum commissurum dixit, ut finibus suis aquae excederent terramque vastabundae invaderent. *Statuam*, ait, *pactum meum vobiscum et nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii neque erit deinceps diluvium dissipans terram* [2]. De hac re Deus fide data, hominibus in universum imperavit, ut naturae leges omnes religiose observarent. Separatim autem ne hominem occiderent inculcavit. Praeterea praeceptum adiecit, ne carnem comederent cum sanguine [3].

Paulo ante horam sextam idem Abrahamo tria potissimum pollicitus est; primum daturum se ei terram Chanaan; deinde posteritatem ita aucturum, ut sint filii eius sicut stellae innumerabiles; denique in eius semine sese benedicturum gentes omnes. Quum autem esset hora sexta, posteros eius Aegyptiorum servitute excepit. Quo tanto in eos beneficio collato, ita de eis constituit, ut non amplius Aegyptiorum sed ipsius inde servi essent, sese autem Deum eorum, Dominum ac patronum praestiturum promisit. Quam quidem pactionem ad montes Sinai et Horeb, deinde in Galaad, denique ad Garizim confirmari voluit. Sed Abrahamo circumcisionis legem dederat. Israelitis vero per Moysem, quomodo mores religiones ceremoniae instituenda sint, accuratissime definivit.

Iam vero hora nona quum populum suum ex mortis periculo eripuisset hostibusque deletis reduxisset in patriam, solemnem fieri foederis renovationem iussit. Per-

1) Gen. 6, 18.
2) Ibid. 9, 11.
3) Ibid. 9, 4. ss.

lectis enim legibus omnibus, per Esdram principes, sacerdotes totumque populum sacramento interposito obstrinxit, ut ne quid ex mandatis suis umquam violarent [1]). Babylonico autem exsilio eos ad eum fidei virtutumque gradum adduxerat, ut ad falsos deos postea non amplius declinarent. Adiunxit autem superioribus institutis leges eas, quas Ezechiel extremo libro perscriptas reliquit.

Vndecima denique hora summa caritate commotus per filium suum novum cum hominibus foedus sancire non gravatur. Quos enim ad id tempus servorum loco habuit, eos iam nati sui fratres agnoscere filiosque habere carissimos coepit. Quamobrem servorum se vocari dominum non diutius patitur, dilectissimus filiorum pater et esse vult et in posterum appellari. Tanto vero tamque singulari foedere ut homines sibi adsciseeret, filium suum mittit unicum. Is totum genus humanum non ab eluvionis sed ab aeternae poena mortis absolvit neque ex Aegyptiorum aut Babyloniorum potestate exemit, sed ex servitute eius, qui funestum illum in tenebris principatum obtinuit. Sublata autem lege timoris infinitam in Deum patrem pietatem, maximam in homines caritatem exemplo et praeceptis docuit. Omnia enim praecepta complexus, *Mandatum novum*, inquit, *do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem.*

Quando autem ad huius temporis finem ventum erit, electos suos Deus a dolore et moestitia, a corporis debilitate animique perturbationibus, a mortis pavore ac voluntatis inconstantia, ab omnibus denique malis in summam beatitudinem vindicabit. Tum in intimam eos familiaritatem adducet admittetque ad osculum paternum

---

1) II. Esdr. 9, 38. 10, 28. ss.

illud ac dulcissimum. Atque eam in societatem assumet, ut sint perfectae ipsius et absolutae beatitudinis participes. Nostrum autem erit eum unice diligere semperque contemplari admirari collaudare. Neque enim voluntatibus nostris ulla imposita erit lex praeter divinam caritatem, qua efficietur, ut animi cum sancta Dei voluntate suavissimo amoris vinculo iuncti, ab ea vi nulla possint umquam divelli.

Vt igitur omnia breviter complectar, Deus quum horis illis quas diximus exiret, Noen ab eluvione, Iudaeos ab Aegyptiorum servitute primum, deinde a Babylonica captivitate, a servili denique legis iugo liberavit. Postremo autem fore dicimus, ut ex humili hac quae nunc est conditione in perfectam nos filiorum suorum libertatem restituat. Veteris autem foederis promissa tribus illis quidem temporibus iteravit, deinde ea perfecit novumque foedus instituit per filium. Quid autem ab operariis suis fieri vellet, per Noen, per Moysem Ezechielemque praescripsit. Caritatis perfectissimum praeceptum per filium suum dedit. Quando autem his rebus finem imposuerit, in eam nos amicitiam inducet, ut numquam ab eo nec velimus discedere nec possimus.

Paterfamilias ut singulis temporibus leges dedit, sic novos etiam sacerdotes elegit, qui sacra facerent, populo praeessent, de causis iudicarent. Neque enim operarios suos sacerdotibus magistratibusque carere voluit. Quare breviter dicamus,

VII. *Paterfamilias quos operariis suis sacerdotes praefecerit.* Primo quidem tempore paterna auctoritas et ex ea quae nascuntur regnum ac sacerdotium penes eumdem erant. Nec iniuria. Nam regalis maiestas auctoritate nititur paterna. Etenim qui principio pater fuit, is, ubi ad senectutem pervenit, gentis suae natura ipsa princeps, rex ac iudex constitutus est. Hic decedens po-

testatem eadem natura magistra tradidit primogenito; quo factum est, ut quam potestatem hic habuit paternam, ille iam regalem in fratres, in eorum filios, in totam gentem obtineret. Sed quum antea sua quisque sacra faceret, tum consequens erat, ut pater pro familia, ut rex pro universa gente sacrificare inciperet. Noe, Iob, alii hostiis Deum precati sunt pro filiis ac nepotibus. Sed Moyses non penes patres sacerdotium reliquit, nec tradidit regi, sed universam gentem Levi Dei iussu sacerdotalem constituit eique consecravit. Elegit autem ex ea Aaronis fratris sui filios, qui iure his muneribus fungerentur. Sed eidem et sacris et reipublicae praefuerunt. Neque tamen legislator illud non praevidit, quod factum est postea, ut Iudaei regem sibi crearent, eique rempublicam committerent. Sacerdotium igitur hoc intervallo ad filios Aaronis, regnum ad Saulum, deinde ad Davidem eiusque posteros delatum est.

Iam vero Babylonicum exsilium ea civitatis consecuta mutatio est, ut, regibus creatis nullis, rerum summa iterum ad pontifices deveniret.

Denique Iesus Christus sacrificandi potestatem, quae ad id tempus penes Aaronis filios fuerat, ad apostolos transtulit. Neque vero eos ex Aaronitis elegit, sed maiorem partem ex tribu Iuda. Ioannes enim et Iacobus et ei, qui fratres Domini usurpantur, illa ex gente nati erant. Iudas vero, nisi fallor, vel Levita vel Aaronita fuit. Oriundus enim erat ex Carioth, quam Bethoron urbem sacerdotalem esse puto. Si ita se res habet, in eo quoque nefandi sacrilegii causa quaedam cernitur, quod Levitas Aaronitasque reliquis gentibus a Domino non modo non anteponi, sed eos etiam sacerdotio privari videret. Praeterea erat ei ita cum sacerdotibus coniunctio ob eamque causam facilis ad eos aditus. Ex diversis igitur gentibus Christus apostolos sumpsit eosque praefe-

cit ecclesiae, ut sacrificium a se institutum offerrent, ut quae facienda, quae fugienda essent praescriberent, ut populum et regerent et iudicarent. Hic enim quum eis summam in ecclesia sacrificandi regendique potestatem traderet, *Ego*, inquit, *dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam* (i. e. *altare meum*) *in regno meo et sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel* [1]. Quam igitur potestatem Moyses Aaronitis concesserat, eam Christus plenam et integram et perfectam ad apostolos detulit. Sed sacerdotium ut antiquitus generatione naturali a patre ad filium pervenit, sic post institutum novum testamentum generatione spirituali i. e. manuum impositione a Christo apostolis, ab his episcopis presbyterisque traditum ad extremum usque tempus propagabitur. Quamobrem episcopos, quod spirituales filios creant, caelibes esse ecclesia et Latina et Graeca iussit.

Sed paterfamilias quum temporibus aliis alios sacerdotes nominaret, diversa etiam sacra sibi facienda constituit. Renovati praeterea foederis certa quaedam signa esse voluit. De utrisque uno loco dicere haud incommodum videtur.

VIII. *De sacrificiis foederisque renovati signis.* Noe post diluvium tantum beneficium non ex iustitia sua, sed divina misericordia datum existimavit. Quare altare exstruxit atque ex mundis animalibus holocausta obtulit. Quo sacrificio et peccatorem se prodidit capitisque damnatum, et sperare ac confidere declaravit, futurum esse Christum, qui se ipsum perfectam patri oblaturus esset hostiam. Sed holocaustum ut Noes sic etiam Christi sacrificium fuit, quod, nulla particula reservata, Deo totum

1) Luc. 22, 29. s.

est traditum. Quod quamquam Deus benigne accepit, tamen in usum hominum fructum eius omnem convertit. Noae enim panem se semper vinumque daturum promisit, quum diceret: *Cunctis diebus terrae sementis et messis, frigus et aestus, aestas et hiems, nox et dies non requiescent* [1]). Quare Noe agros coluisse, ut ceteri, sed vineas primus plantasse traditur. Sed ut hic post oblatum holocaustum panem et vinum, sic nos corpus sanguinemque accepimus eucharisticum.

Sed quis holocaustum se pro hominibus praestaturus esset, et is quibus donis illos decoraturus, Noae accuratius significatum est. Signum enim foederis in nubibus conspexit arcum illustrem. Quod ad explicandum haud sane est difficile. Sol enim Deum indicat, quorum neuter prae maiestatis splendore potest adspici. Huius acerrima lux a nubibus excepta arcum efficit eumque septem colorum varietate distinguit et exornat. Quem quidem adspicere semper et contemplari laetamur. Eadem ratione divina maiestas, quum humanam sibi adsciscere naturam non gravaretur, saluti nobis laetitiae deliciaeque esse voluit, spiritumque largita est septem donorum copia praeditum. Iam vero Abrahamo qualis esset futura Iesu Christi mors et resurrectio, tum quasi ante oculos positum est, quum filium sacrificare ac dein ei parcere iussus est. Etenim ut mortis significatio fuit in Abel, resurrectionis in Seth [2]): sic utrumque Abrahamo indicavit mortuus filius et vivus. Sed Noe quod eucharisticum sacrificium et quale futurum esset, suspicatus est; Abrahamus accurate id perspicere potuit. Nam victis hostibus, ad se venire videt Melchisedech regem Salem sacerdotemque Dei altissimi. Panis is et vini sa-

1) Gen. 8, 22.
2) Ibid. 4, 25.

erum fecit, eamdemque ei, quam Noe filio suo Sem, benedictionem dedit. Erat autem foederis signum circumcisio, qua Abrahamus sese Deo ac posteros suos tamquam sacerdotes addixit.

Quoniam immolatio Isaaci a panis et vini sacrificio separata erat, intelligi non potuit, quaenam coniunctio futura esset inter sacrificium crucis et eius in altaribus renovationem. Quamobrem Deus huius rei indicium esse voluit paschalem agnum. Quae enim hostia immolata est quaeque ad angelum fugandum valuit, eadem postea a Iudaeis tota consumpta est. Ex quo intelligi potuit, Iesum, qui idem pro peccatis nostris sese oblaturus erat, totum integrumque nostrum fore cibum eucharisticumque sacrificium. Sed omissis rebus aliis quae in agno paschali abditae latebant, et quo tempore Iesu mors et quam cruenta foret, eo definitum est. At Christum pro altari crucem habiturum, nullum ad id tempus indicium fuit. Quamobrem Iudaei in deserto quum a viperis laesi morerentur, a Moyse impetrarunt, ut, iubente Deo, serpens aeneus suspenderetur in patibulo, quem qui certa fide et sine ulla dubitatione adspexissent, statim divina manu curarentur. Qua quidem ex re perspicuum fuit, eum, qui serpentis vellet caput conterere, in cruce moriturum. Sed hac re maxime miror, quantopere significata sit nostra cum Christo coniunctio et spiritualis consanguinitas.

Quamquam Deus multa iam instituit, quibus redemptionem nostram antenuntiaret, tamen nova adiecit, ut vetus testamentum his signis quodammodo abundare videretur. Quocirca hora nona effecit, ut Iudaei Iesu mortem, resurrectionem atque eucharistiae institutionem quasi videre oculisque cernere possent. Nam Mardochaeo eam personam tribuit, ut Christi esset quasi quaedam imago. Ille enim ex Sauli regis stirpe natus ab inimi-

cis, quantum quidem in eis fuit, propter iustitiam innocentiamque ingenti cruci affixus est, ut de se posset typice vaticinari: *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea, diviserunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem.* Sed ne deesset resurrectionis significatio, a Deo provisum est. Nam ille quum haud procul abesset, quin ab inimicis mactaretur; tamquam Isaac ex mortis faucibus divino miraculo ereptus est. Neque vero rebus illis Christi resurrectio solum, sed etiam eius triumphus de infestissimis hostibus et ad summos honores ascensio tum ficta quasi et expressa sunt. Nam idem ille de cruce demptus purpureaque veste exornatus proxime et secundum regem summum locum omniumque rerum administrationem obtinuit. Quae quidem omnia ita ad Christi honores quadrant, ut inventa a Deo ipso esse cognoscantur. Quid enim veste illa purpurea admirabilius cogitari potest, qua ab inimicis Christus in passione indutus, a Deo patre in resurrectione decoratus est? Quid vero? quod Mardochaeus per totum imperium rex declaratur? quod summos assequitur post regem honores? quod regali cum sigillo gubernationem suscipit rerum omnium? Haec spectare ad Christum, quis est quin videat? Qui crucifixus in terris e coelis regnare coepit, qui sedet ad dexteram patris, cui omnia et administranda et iudicanda concredita sunt? Sed quum vita Christi his rebus non adumbrata sed omnino depicta esse videatur, quid mirum, quod etiam eucharistiae imago adiuncta est? Nam et resurrectionis Mardochaei et populi conservationis memoriam Deus lauto convivio celebrari iussit. Tempus autem harum rerum ita constituit, ut nisi dies Mardochaicus in ipsum pascha incideret, propius ad eum diem accedere non posset. Paschalis enim et sortium dies constitutus est in decimo quarto, sed dies solemnis alter

in primo, alter in ultimo mense, ita ut non amplius triginta dies interessent.

Iam vero quae his formis ac figuris portenta sint, quis non videt, ea in Iesu Christo evenisse omnia? Hic enim ut Noe holocaustum Deo patri obtulit. Solus erat, ut Isaac, patris filius. Iuste nominatur paschalis agnus, qui a morte nos omnes et a servitute in libertatem vindicavit. In crucem est sublatus, ut serpens aeneus, pependitque in patibulo, ut Mardochaeus. Sed e sepulcro mortis ac tenebrarum victor surrexit, ut Seth, ut Noe, ut Isaac, Iesus, Mardochaeus. Noae panem et vinum dedit naturale, nobis eucharistiam largitus est, quae superat naturam. Quum mortis resurrectionisque memoriam redintegrari, ac sacrificium quod in cruce patri obtulit renovari iuberet: sacerdos evasit in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Tamquam paschalem agnum Deo totum se in cruce tradidit, nobis in sacramento totum se cibum esse voluit. Sacra sortium festa, lautiora sanctae communionis convivia summo cum gaudio per omnem terrarum orbem celebranda instituit.

Postremo autem tempore, quae gaudia eis, qui Deo cari sunt, quae delectationes ac beatitudines parata sint, quis ignorat? Nam ut familiam suam salvam Noe ex arca eduxit in terram novam ac lotam, ut Iesus, depulso servitutis iugo, ex Aegypto cum electo illo populo in loca bona est sanctaque profectus, ut Mardochaeus primum suos ab inferis excitavit, deinde de exsilio in patriam reduxit: sic Iesus Christus vivorum princeps clarissimam sanctorum multitudinem e sepulcrorum tenebris in splendida domicilia adducturus est. Sed quemadmodum quae supra diximus signa portentaque fuerunt eucharistici convivii: sic eae quae nunc in terris sunt deliciae nostrae quasi quaedam praenuntiae ducendae sunt, quantam ex futura in coelis communione non dicam de-

lectationem sed beatitatis abundantiam simus percepturi. Ac rem propositam explicavimus.

Quamquam supra peccatores a Deo deletos esse diximus, tamen ab hac disputatione haud alienum est accuratius quaerere.

IX. *Quomodo singulis temporibus superstitionis vis fracta sit?* Quemadmodum medici interdum, ut aegris medeantur, membra amputare coguntur: sic Deus hora tertia, quum id ageret ut superstitionis pestem a bonis hominibus prohiberet, impios radicitus delevit impietatisque monumenta omnia sustulit. Ad pietatem autem filios Noes ac posteros beneficio novisque legibus adstrinxit.

Iam vero hora sexta quum superstitio denuo augeri et propagari coepta esset, ad eius evellendas radices iustum sanctumque consilium cepit, ut interficerentur ei qui ceterarum gentium in nequitia magistri essent. Adspicientibus igitur Aegyptiis multa et eximia miracula fecit, quibus a deis falsis illos ad veram religionem traduceret. Sed quum benignitatem suam illorum malitia oppugnatam videret, magnam eorum partem morte multavit. Praeterea Israelitarum opera Amalecitas ad montem Horeb, Chananaeos in ipsis eorum finibus occidione occidit. Qui autem tum e victorum manibus in Africam insulasque effugerunt, ei cum fanis et imaginibus, cum lucis arboribusque sanctis etiam deos relinquere coacti sunt.

Iam hora nona quum superstitiones omnem fere terram obscurarent, mirum est, quemadmodum tenebras Deus et quam constanter dissipare studuerit. Primum enim Assyriorum reges in Syriam Paelaestinam Aegyptum misit, qui delicatos principes effeminatasque gentes castigarent, cum urbibus fana templa ceteraque turpitudinis monumenta everterent deducerentque iuventutem

in loca frigidissima. Qui autem e patria, qui a templis penatibusque discedere coguntur, incredibile est, quam facile ad saniores de Deo sententias adducantur. Ita quidem Theglathphalassar Damascum, urbem superstitione nobilitatam, vi cepit militibusque diripiendam vastandamque tradidit. Idem in Mediam Galaaditas, in Scythiam Amalecitas Idumaeosque transtulit, homines deditos superstitionis omnibus turpitudinisque generibus. Quod Theglathphalassar inceperat, id perficere conatus est Salmanassar. Qui, quum esset homo fortis et strenuus, Tyrum per multos annos oppugnavit, Samariam cepit ac diruit, Israelitas cum aliis gentibus in exsilium duxit. Postea Deus in Assyriorum locum Chaldaeos suffecit, qui acerbissimis odiis in falsos deos incensi totam Asiam castigarent. Nabuchodonosor enim nihil antiquius habere visus est, quam ut deleret urbes ac deorum delubra, statuas deiiceret et cremaret, excideret lucos, falsos trucidaret sacerdotes, omnia denique superstitioni adminicula subtraheret. Iudaeam ferro, Hierosolyma igni purgavit; Tyrum post diutinam obsidionem expugnavit, Phoeniciam Aegyptumque facile subegit. Adde quod paulo post a Deo Scythae omnium nequitiarum magistri funditus deleti sunt. Quamdiu enim ista omnium gentium corruptela reliqua fuit, ceterae res ad tollendam superstitionem parum valuerunt. Deinde vero ut alii populi per Chaldaeos, sic Chaldaei ipsi per Medos et Persas ad meliorem vitam reducti sunt. Erant enim apud Chaldaeos Ninus et Babylon mollitiae vitiorumque omnium parentes; quarum urbium unam Cyaxares, alteram Cyrus cepit atque evertit. Quum Asia expiata lustrataque esset, ad Africam Europamque ventum est. Aegyptum, quam antea Nabuchodonosor adortus erat, Cyrus cum victore exercitu ingressus graviter multavit. Graeciae Dareus arma intulit, Athenas, ubi cultus deorum erat an-

tiquissimus, igni vastavit Xerxes. Tenebrae quum ita fugatae essent, quid mirum, si apud varias gentes homines exstiterunt non magis veritate doctrinae quam vitae gravitate illustres? Iudaei praeterea per totam Asiam Aegyptumque diffusi quam multos videntur sibi adiunxisse legis ceremoniarumque socios? Ac sanctissimum Dei nomen nonne ad Nabuchodonosorem videmus, ad Assuerum, ad Cyrum aliosque reges perlatum?

Quemadmodum hora undecima populus Romanus, quum ipse in deos verecundior esset, in aliis verecundiae vim fregerit, animosque ad cognoscendam veritatem praeparaverit, satis est ab historicis dictum. Quare id unum notaverim, maximam ad hanc rem vim habuisse duarum urbium expugnationem Carthaginis et Corinthi, quarum altera Asiaticae superstitionis, altera summae turpitudinis sedes erat. Romae autem superstitionis fundamenta trecentis annis Christiana religio ita subruit, ut quum illa caderet, haec ex subterraneis locis ad laetissimam lucem victrix procedere posset. Sed pergamus ad ea, quae reliqua sunt.

Tonitru ita vehementer aeres percelli solent, ut etiam qui longe absint motum sentire sonitumque percipere possint. Tamquam tonitrua quaedam Deus sua edidit oracula, ut haud fere ulla gens ita esset longinqua, quin aliquam illorum notitiam acciperet. Sed haec res diligentius explicanda est.

X. *Singulae gentes quantopere adveniente Domino commotae sint.* Quantas hora tertia improbi poenas dederint, testes apud posteros fuerunt, qui fuerant spectatores, Sem, Cham et Iapheth. Hora autem sexta discessus Iudaeorum ex Aegypto, difficile dictu est, quantum per totum fere orbem motum excitaverit. Aegyptum enim vehementissime timore pavoreque concussam esse, ex libris sacris satis constat. Quum autem

repentina Israelitarum multitudo in Palaestinam invaderet, veteres incolae partim caesi sunt partim fugerunt. Illorum sese magnam partem in Africam contulisse, memoriae traditum est. Ab eis Africae gentes fere omnes sedibus pulsas, multas etiam in insulas exire coactas, Moversius scripsit in eo libro, quem pari cum industria et doctrina de Phoenicibus coloniis confecit. Sed alteram Palaestinensium partem in Asia mansisse atque in septentrionalia loca recessisse, verisimile est. Ab eis parta videtur emigratio Graecorum, qui ducentis annis post nondum certo loco sedes suas collocare potuerunt.

Iam vero hora nona quanta septentrionales gentes migrandi ceperit cupiditas, supra commemoratum est. Repentinae enim multitudines Cimbrorum Teutonum Scytharum aliarumque gentium Mediam Babyloniam Asiamque invaserunt. Cimbri ex Asia pulsi in Europam transeunt, brevibusque itineribus primum in regiones septentrionales perveniunt, postea Italiam petere coeperunt. Illae autem gentes mihi quidem videntur ob eam causam in Mediam Syriamque adductae, ut improborum interitum, Iudaeorum victoriam viderent, Deum colere festumque diem celebrare discerent.

Hora autem undecima tanto et maiores populorum migrationes et longiores erant, quanto ad numerum populi ipsi auctiores. Nam gentes, quae in septentrione ad magnam multitudinem creverant, eo ipso tempore, quum inter homines Deus erat, sese urgere inter se et de sedibus demovere coeperunt. Quare factum est, ut Scythae Gothi Longobardi alii in Germaniam adducti seculo post Chr. n. quarto et quinto in Italiam, in Galliam, in Hispaniam sese coniicerent. Hi autem omnes divino consilio quum finibus suis pulsi sunt, ut cum patria veteres deos relinquerent: tum vero in loca alia adducti, ut cum litteris humanitatem Christianamque

institutionem consequerentur. Sed populorum migrationes in ea ipsa tempora incidere, quum paterfamilias operarios in vineam suam vocavit, satis expositum est. Restat, ut dicatur,

XI. *Quae adventus sui signa paterfamilias et quae monumenta reliquerit.* Quoniam Deus singulis horis non unum populum sed omnes ad officia revocare voluit, res humanas ita instituit, ut nisi audirent vocem ipsius omnes, tamen aliquam eius notitiam adipiscerentur. Neque vero homines solum, sed etiam naturam quaedam divini adventus redemptionisque exspectatio tenet. Quare aequum erat, ut Dominum haec ipsa terra, quum de coelo advenire sentiret, tremendo veneraretur ac laetabunda exsultaret. Quamobrem non miremur, si ad nostram aetatem singularum horarum monumenta exstare videamus.

Hora tertia ex ingenti illa elúvione aerem, terram, plantas atque animalia magnopere mutata esse, inter omnes constat. Quae quidem illorum commutatio magnam etiam ad genus humanum vim habuit. Deus enim post diluvium hominibus carnem concedere vinumque dare coepit. Praeterea minus multos ad annos aetatem illorum redegit. Qui autem postea nati sunt, eos prioribus corporis magnitudine viribusque inferiores dicere non dubito. Sed multa sunt illius iudicii monumenta quum in montium iugis tum in venis visceribusque terrae, quae tam diserte loquuntur, ut haud fere quisquam aut tam improbus inveniatur aut ita ignarus, ut eluvionem, de qua libri sacri testantur, fuisse neget. Abrahami autem tempore Dei iussu terra ita mota est, ut Sodoma et Gomorra sulphure combustae interirent. Cuius rei dirus testis est lacus mortuus. Iam vero hora sexta terra saepius mota ac concussa est, primum quidem quum de monte Sinai leges ad populum deferrentur, postea quum Core Dathan et Abiron vivi

ad inferos descenderent, denique quum moenia urbis Iericho conciderent. Quibus rebus Deus et creatorem se totius mundi, et perpetuum dominatorem prodidit. Hora nona secuti sunt vehementissimi terrae motus, quorum mentio est in libro Estherae atque in prophetis. Paulo post, Cambyse regnante, antiquam Tyrum eiusmodi motibus convulsam esse scimus. Ea autem tempore, quum expugnarentur Hierosolyma, terrae motus fore per loca, Christus ipse praedixit. Quod eius vaticinium evenisse testantur Pompeii et Herculanum urbes obrutae. Sed ut eluvionis memoria ubique terrarum lapidibus impressa est, qui ex plantis animalibusque facti sunt: sic proximi iudicii Iudaei ipsi testes sunt per totum orbem dispersi, patriae templi sacrificii sacerdotiique expertes.

De futuro autem iudicio divinitus ad nos relatum est: Deum ut Iudaeis ad extremum usque tempus, sic improbis ad aeternitatem repudii improbationisque notam inusturum. Summa enim caritas, qua abusos sese sciunt, intolerabiles eis dolores exhibeat necesse est.

Sed ne divina iudicia ex nostra memoria umquam exciderent, monumenta alia servata sunt, et ea quidem in tribus terrae partibus. In Africa enim Iudaei pyramides obeliscos urbium valla exaggerationesque quasi perpetua servitutis suae signa reliquerunt. Babylone autem eidem cum ceteris captivis coacti sunt, ut aedificarent Nabuchodonosoris aedes hortosque pendentes, quorum ruinae, ut notum est, ad nostram aetatem exstant. Conservatus est Romae Titi arcus triumphalis, quem subire Iudaeos etiam nostra aetate pudet. Verecundia enim vel ira commoti e via declinare quam sub monumentum illud ingredi malunt.

Postremo sciendum est, sanctum numerum *quadraginta* ad significandam animi tristitiam primum conse-

cratum esse eluvionis tempore. Pluit enim Deus quadraginta dies, quibus diebus de peccatoribus poenam sumpsit. Haec causa fuit, cur totidem dies Moyses Elias Christus ad poenas deprecandas ieiuni transigerent. Quorum exempla secuti iddem faciunt Christiani. Hora sexta Iudaei in deserto quadraginta annos impietatis suae poenas dederunt. Quadraginta annos eidem et regnante Manasse et post Christum occisum divina abuti clementia conati sunt. Confecto illo temporis spatio, eorum urbs primum a Chaldaeis deinde a Romanis capta et eversa est. Qua urbe deleta, ut antea qui ex Iudaeis pietatem colebant, sic post Christiani per totum orbem dispersi sunt.

Quoniam diversa tempora inter se comparata sunt, haud alienum est, Estherianam rem pio animo considerare certoque iudicio, quid ad praesignificanda futura valuerit, ponderare. Nam quae postea gesta sunt, mirifice illa quidem re expressa esse puto.

Primum enim Iudaeorum omnino eadem fuit Mardochaei, quae Christi tempore conditio. In utroque enim tempore *ablatum sceptrum fuisse de Iuda et ducem de femore eius* confitendum est. Parebant Iudaei qui ad id tempus liberi fuerant, Medorum regi, parebant Romanorum imperatori. Sed illorum uterque imperium in eos tum Scythico homini commiserat, alter Amani Gagaeo, alter Herodi Idumaeo. Mardochaeum Aman interimere conatur aegre ferens, quod nulla sibi ab eo veneratio exhibeatur; Christum Herodes interficere constituit, quod ad illum regiam dignitatem deferri posse putat. Has res haud fere quisquam fortuitas habere poterit, nisi idem cum Epicuro mundum ex atomis natum arbitrabitur.

Deinde vero contentio facienda est inter Estheram et Mariam virginem. Multa huius sunt in sacra historia exempla; sed haud scio an nihil rationem eam, quae

inter matrem et Iesum filium intercedit, accuratius exprimat, quam Sara et Esthera. Est enim ut natura Christi, sic etiam eius ratio cum matre et coniunctio duplex. Nam secundum humanam naturam Christus est Mariae filius non ut homines alii sed de Spiritu sancto conceptus. At vero si divinam naturam spectamus, filius est matris creator redemptor Deus. Illa quidem ratio, quam humanam possumus dicere, in Sarae vita, altera quae recte vocatur divina, in Estherae cernitur. Erant enim Abrahami uxores duae, Agar ancilla, Sara libera. Illa ab eo, priusquam circumcisionis signum haberet, filium Ismaelem naturali modo peperit. Quamobrem quum contra Saram sese efferre inciperet, domo eiecta est cum filio. Vita autem Sarae a Deo ita instituta est, ut quam proxime ad virginalem matrem accederet. Eius integritas in Aegyptiorum Gerarorumque finibus a regum iniuriis strenue defensa. Quin ab illorum rege mille argenteos accepit, unde velamen oculorum emeret. Sterilitas autem, quae in ea fuit, sanctae Mariae indicavit virginitatem. Neque vero filium ex natura, sed ex gratia divina nacta est. Nam de Agar scriptum videmus: *Abraham ingressus est ad eam*, de Sara vero: *Visitavit Dominus Saram sicut promiserat et implevit quae locutus est, concepitque et peperit filium in senectute sua*. Quibus verbis perspicuum fuit, Christum, cuius Isaacus speciem gessit, non ex viri voluntate originem sed ex Deo habiturum. His expositis, facilius intelligi possunt ea, quae de Esthera dicere aggredior.

Cyaxares Medorum rex ab eunuchis incitatus Astim uxorem dimisit, propterea quod quae ab eo mandata erant facere noluerat. Deus rex coeli et terrae Evam vituperatam reiecit, quia eius praeceptum spernere ausa est. Hanc ad peccandum allexit serpens; ut illa e matrimonio pelleretur, maxime princeps eunuchorum effe-

cit, qui eodem iure aequantur daemonibus, quo caelibes angelis. In locum Astis reginae delecta est Esthera eximia pulchritudine virgo. In locum Evae omnium mater successit Maria virgo illa dulcissima.

Sed videamus de ceteris, ac primum de nominibus. Quae igitur ante Edissa, ea postea non sine divino consilio mutato nomine nuncupata Esthera est. Quod nomen eam vim habet, ut *virginem lucis* i. e. *lunam* significet. Mariam autem i. e. מארים vel verius מאריום dici Latine potest *lumen diei* vel *sol*. Et profecto si Esthera recte ipso lunae nomine vocata est, quae in nocte veteris testamenti, ut luna a sole nondum orto, sic haec a Maria nondum nata luminis nitorem accepit: quid magis consentaneum fuit, quam ut Maria, quae hominibus novi foederis diem lumen splendoremque iustitiae attulit, vel sol vel lux vel stella diei appellaretur.

Iam quaeramus de origine. Nata Esthera est ex regia gente Cis. Quae quidem gens fuit nobilissima, sed propter Sauli peccata longo intervallo expers dignitatis regiae. Sed regnum tunc denuo consecutus Mardochaeus est. Et profecto Maria orta item est ex gente regia, sed eadem ob crimina Manassis inde a Babylonico exsilio regno spoliata. Post longum vero temporis spatium Iesus Christus regnum recuperavit soliumque paternum effecit aeternum.

Praeterea Esthera Mardochaei ex adoptione erat filia, praeceptisque illius observandis ab Assuero regina nominata et assumpta est. Eadem prorsus in Mariam cadere videntur. Erat enim a filio Dei creata et redempta ob eamque causam in filiae locum recepta. Sed eam ille matrem vivorum creaturarumque omnium principem effecit. Nam idem erat, qui beatissimam virginem Deus creavit, et ab ea nasci homo voluit. Quare factum est, ut mater Maria esset Dei coelique regina, quo honore nihil potest maius esse, nihil admirabilius.

Sed quia Esthera, quamvis esset sterilis, salutem tamen vitam conservationemque omnibus peperit Iudaeis, idcirco illorum omnium mater evasit. Quamobrem illud de ea vere: *Deus habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum laetantem* [1]. Sed in hac re ei omnino par et aequalis fuit Maria. Nam quum esset virgo, Christum salutem nostram vitamque genuit, ob eamque causam nos omnes optimo iure tamquam filios vindicare sibi potest. At contra ratione naturali liberos Eva peperit atque Astis.

Esthera denique, cui rex vel dimidiam regni partem dare non dubitavit, omnia ab eo precando impetrare potuit. Quod hoc iddem de Maria exspectari potest, summo nobis est solatio. Ac de Esthera diximus.

Mardochaeum Christi quasi personam gessisse, saepius dictum est. Sed hoc loco quaeramus de eo diligentius. Quod de Estherae gente nobilitateque explicavimus, iddem ad hunc pertinet. Ex eius vita antequam ei capitis periculum allatum est, duo potissimum memoratu digna sunt; quod coniurationis eunuchorum noluit esse particeps, quodque nę adoraret Amanem fortiter recusavit. Vtrumque quadrare videmus in Christum. Etenim princeps tenebrarum, quod in priore Adamo potuerat, id etiam facere se in altero posse speravit, ut nefastam ad conspirationem in Deum defectionemque eum alliceret. Quod bis frustra conatus, tandem postulavit, ut ad pedes procidens ipsum adoraret. Quam ad rem quum sanctum Dei filium adducere non potuisset, mortem ei suppliciumque machinatus est. Itaque ut Aman regem Medorum, sic per Iudaicos sacerdotes hic praetorem Romanum commovere studuit, ut patibulo eum affigeret. Sed idem occiso Christo imperio potestateque,

1) Ps. 112.

ut Aman, privatus, ligatusque tenebrarum catenis ad aeternum supplicium traditur. Ille enim, *Nunc iudicium est mundi,* inquit, *nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Mardochaeus contra, quum brevi tempore in exsilio regnasset, suos in patriam reducit magnamque vim auri in sacrificia templumque impendit. Quod iddem fecit Christus. Namque in hoc exsilio quadraginta non amplius dies victor commoratus in patriam sese contulit patrique laudationum infinita persolvit sacrificia. Sed reversurus est postea, ut nos in coelestia domicilia adducat, quae paratum anteivit.

Denique diras daemonis partes Amanem suscepisse, iam id satis argumenti est, quod est solis daemonisve nomen nactus, cui deo omnium plurimum cultum adhibebant veteres. Hic sine ullo iure repentinam in regnum facit incursionem, arrogantia deinde elatus effususque lascivia vi iniuriisque lacessit omnes, regiam denique non potestatem, sed petulantiam licentiamque sibi arrogare audet. Neque aliter egit daemon. Is enim divinum regnum invadit, seducit Evam, tyrannidem in hominibus occupat. Sed Aman ut Mardochaeum, daemon ut Christum aggredi conatur, a fortiori fortis fractus, armis exutus, imperio exturbatus atque in extremam miseriam coniectus est. Haec de libro Esthera separatim explicata disputationi, quae de temporum intervallis instituta est, adiungenda putavimus.

Sed ut hanc rem absolvamus, primo loco, qui erat de operariorum otio, homines antequam Dominus visitaret, venisse in eam turpitudinem diximus, ut de eis desperandum videretur. Iam per quos ex desidia ad industriam et quomodo provocati sint, loco altero explicavimus. Disseruimus post de paucorum electione, de improborum morte et interitu, de iustorum morte atque resurrectione. Quibus locis cognitum est, quae a Christo

facta, quae extremo tempore ab eo facienda sint, quomodo Babylonico tempore vel etiam Moysis et Noes aetate portenta ac praesignificata esse videantur. Deinde quemadmodum singulis temporibus foedus renovatum, novique apud homines sacerdotes instituti sint, planum fecimus. Tum eo loco, qui erat de signis, proximis quibusque temporibus clarissimae etiam de morte Christi, de resurrectione eucharisticoque sacrificio figurae illustrissimaeque significationes visae sunt. Porro docuimus, quomodo singulis temporibus superstitionis vis novis semper et inauditis rebus fracta sit. Denique dictum est, populos migrare tum potissimum esse solitos, quum paterfamilias ad eos venire constituerit. Postremo quae ille cuiusque adventus monumenta reliquerit, breviter a nobis est expositum. Tot igitur tantisque argumentis probasse mihi videor, quae facta sint aetate Christi, quae fieri extremo tempore oporteat, ea esse omnia temporibus Babylonicis expressa.

Ex quo debet intelligi, quamquam nonnulli patres vaticinia ad Babylonicum exsilium, alii eadem ad Christum, tertii denique ad extremum iudicium referant, tamen dissensionem inter eos omnino esse nullam. Quae igitur vaticinia in disputationem venient, non ad unum tempus nos quidem, sed ad tria illa tempora simul spectare dicemus, neque committemus ut audiamus quosdam ex sanctis interpretibus, sed sectari omnes studebimus. Quorsus autem illa quidem proprie spectent, singulis locis iudicandum erit, vel si id minus fieri potuerit, in medio relinquendum.

CAPVT SECVNDVM

DE VATICINIIS MOYSIS.

§. 2.

Qui factum aliquod ex historia depictum in tabula contemplantur, si rerum gestarum ignari sint, hominum quidem figuras videant, minime tamen possint, qui sint et quo quidque pertineat, perspicere. At rerum peritus quidam si accesserit, non modo totam rem explicare, sed leviores etiam lineae signaque subtiliora quo spectent, docere poterit. De picturis quod dixi, de vaticiniis intelligi velim. Sunt enim vaticinia quasi futurarum rerum imagines quaedam ac simulacra. Quae quidem eis, qui historiam ignorabunt, non poterunt non esse obscurissima; his contra, qui illam diligenter pertractaverint, necesse erit clariora sint ac magis perspicua. Cognita igitur historia Estherae, fore puto, ut nonnulla vaticinia, et ea maxime, quae nondum habuerunt, quo referantur, vel facilius possint intelligi vel certo loco constitui. Ac primum quidem disputandum est de quibusdam vaticiniis Moysis, deinde de nonnullis ex duodecim prophetis, denique de eis, quae sunt apud Iesaiam Ieremiam Ezechielem.

De Moysis igitur vaticiniis dicemus, si pauca prius de instituto meo dixero. Multa sunt, quae in commentariis quaeruntur ab hominibus doctis de explicationum interpretationum ac scripturarum varietate. Sed in his disputationibus nos, forsitan contra ac natura nostra fert, ab eis quaestionibus, quae ad eruditionem criticorum-

Gen. 27, 40. que artem pertinebunt, quantum fieri poterit, abstinere constituimus. Id enim unum spectabimus, ut vaticinia plana quam maxime ac perspicua faciamus. Illa igitur, brevibus interiectis annotationibus, ita ponenda erunt, ut vel se ipsa interpretentur inter se vel a re Estheriana collustrentur. Vt igitur praedictorum nihil omittam, initium capiendum existimo ab Isaaci verbis, quae iam antea attigimus.

Gen. 27. 40. *Vives (tu quidem Esau) in gladio et fratri tuo servies; tempusque veniet, cum excutias et solvas iugum eius de cervicibus tuis.* Iugum Idumaei, id quod patet ex eorum rebus de quibus scripsimus supra, de cervicibus suis depellere saepius conati sunt, nec frustra; at imponere illud quidem Iudaeis non potuerunt nisi Amane regnante et Herode.

Gen. 49. 27. *Beniamin lupus rapax mane comedet praedam et vespere dividet spolia.* Filios Beniamin omnium fortissimos fuisse et in sagittando cum primis exercitatos, nota res est. Quare ex his rex primus creatus. Is Idumaeos persecutus, contra ac Deus imperaverat, ad praedam declinavit. At vero Mardochaeus, hostibus noctu occisis, praedas rapinasque primo mane delevit, *ac vespere dedit cibum* [1]) i. e. instituit sortium convivium. Sanctorum interpretum plerique verba de beato Paulo acceperunt; haud iniuria. Erant enim uterque et Mardochaeus et Paulus nati ex gente illa nobilissima. Quod alter persona sua portenderat futurum, id alter nuntiavit esse factum. Prior ille rex gentium constitutus fortis Dei nomen ac praepotentis omnibus nationibus praedicavit; posterior gentium apostolus creatus eo of-

---

1) LXX: Βενιαμὶν λύκος ἅρπαξ τὸ πρωϊνὸν ἔδεται ἔτι καὶ εἰς τὸ ἑσπέρας δίδωσι τροφήν.

ficio non defuit, ut magister esset omnium. Stigmata Gen. 49, 27.
autem Domini in membris suis eorum uterque portavit.

Exod. 17. [14] *Dixit autem Dominus ad Moysen: Scribe hoc ab monimentum in libro et trade auribus Iosue: delebo enim memoriam Amalec sub coelo.* [15] *Aedificavitque Moyses altare et vocavit nomen eius: Dominus exaltatio mea, dicens:* [16] *Quia manus solii Domini et bellum Domini erit contra Amalec a generatione in generationem.* Amaleciticam gentem omnino Mardochaeus delere non potuit. Quosdam enim ex Idumaeis Deus conservare voluit, quorum filii patrum exemplum secuti Tito in delendo templo subsidio fuerunt [1]). Sed hi quum Gothos in fines nostros adduxissent, ita perierunt, ut nulla amplius Scytharum mentio facta sit. Nomen altaris, quod apud Graecos exstat: *Dominus refugium meum*, in eis carminibus iteratur, quae post Scythicum bellum Iudaei cecinerunt. *Solium* Domini idem est ac *tribunal*, *iudicium*. Scythas ad tribunal suum Deus arcessivit, condemnavit, delevit. Nec spernenda scriptura: *manu occulta* [2]). Pugnavit enim Deus contra Amalecitas manu occulta quum saepe alias, tum vero duce Mardochaeo.

Numm. 24. [7] *(Balaam ait): Fluet aqua de situla eius et semen illius erit in aquas multas.* Fons unde manarunt aquae multae, in somno Mardochaei Esthera est, quae peperit universam Iudaeorum gentem.

Ibid. *Tolletur propter (super) Agag* [3]) *rex eius (Israelis) et auferetur regnum illius.* Saulus et Mardochaeus priscum regem Og fortitudine et belli gloria vi-

1) Flav. Ios. de bell. Iud.

2) LXX: Ὅτι ἐν χειρὶ κρυφαίᾳ πολεμεῖ κύριος ἐπὶ Ἀμαλὴκ ἀπὸ γενεῶν εἰς γενεάς.

3) *Propter Agag* conservatum Saulus regno privatus est.

Numm. 24, 7. cerunt, Agagi vero et Amani cum vita regnum eripuerunt.

Num. 24. [20] *Cumque (Balaam) vidisset Amalec, assumens parabolam ait: Principium gentium Amalec, cuius extrema perdentur.* [21] *Vidit quoque Cinaeum et assumpta parabola ait: Robustum quidem est habitaculum tuum, sed si in petra posueris nidum tuum* [22] *et fueris electus de stirpe Cin, quamdiu poteris permanere? Assur enim capiet te.* Illud vaticinium quod est de Amalec explicatione non indiget. Nam qui ex illo postremi nati sunt, eos delevit Mardochaeus. Cinaei autem, qui cum Amalecitis moribus, institutis, patria, bellorumque societate semper coniuncti erant, cum eis etiam Damasco urbe sunt potiti. Quam etsi optime muniverunt, tamen a Theglathphalassare capti sunt in Scythiamque deducti. Similibus verbis de Damascenis posteriores prophetae usi sunt.

Deut. 4. [26] *Testes invoco (Moyses) hodie coelum et terram, cito perituros vos (Israelitas) esse de terra, quam transito Iordane possessuri estis, non habitabitis in ea longo tempore sed delebit vos Dominus;* [27] *atque disperget in omnes gentes et remanebitis pauci in nationibus, ad quas vos ducturus est Dominus,* [28] *ibique servietis diis qui hominum manu fabricati sunt, ligno et lapidi, qui non vident nec audiunt nec comedunt nec odorantur.* [29] *Cumque quaesieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quaesieris et tota tribulatione animae tuae.* [30] *Postquam te invenerint omnia quae praedicta sunt, novissimo tempore reverteris ad Dominum Deum tuum et audies vocem eius.* Proprie haec ad Babylonicum exsilium spectare, quis non videt? Esthera Mardochaeus ceterique Iudaei magna illa calamitate afflicti incredibili cum angore ex intima animi sententia a Deo salutem

petierunt atque impetrarunt. *Invenies eum, si tamen* etc. Deut. 4, 30.
Neque vero postea ab eo umquam desciverunt. *Audies vocem eius.* Pertinent autem eadem verba etiam ad diuturnum exsilium illud, quod alteram Hierosolymorum expugnationem secutum est. Est enim eorum interpres sanctus Paulus dicens: *Nolo vos ignorare, fratres, mysterium hoc, quia caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret et sic omnis Israel salvus fieret.* Quemadmodum autem primis temporibus Iudaei ex agno paschali potissimum Christum cognoverunt: sic nostra aetate a sortium festo, quod summa religione instituunt, ad veritatem adducendi sunt.

Deut. 25. 19. *Cum (ergo) Dominus Deus tuus dederit tibi requiem et subiecerit cunctas per circuitum nationes in terra, quam tibi pollicitus est, delebis nomen Amalec sub coelo. Cave ne obliviscaris.* Hinc Sauli peccatum et Achabi, quorum alter Agagem, Benadadem alter salvum esse voluit. Hanc legem summa cum religione observavit Mardochaeus.

Deut. 28. 64. *Disperget te Dominus in omnes populos a summitate terrae usque ad terminos eius, et servies ibi diis alienis, quos et tu ignoras et patres tui, lignis et lapidibus.* 65. *In gentibus quoque illis non quiesces neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi cor pavidum, et deficientes oculos et animam consumptam moerore.* 66. *Et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte et die et non credes vitae tuae.* 67. *Mane dices: Quis mihi det vesperum? et vespere: Quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem qua terreberis et propter ea quae tuis videbis oculis.* Iudaeorum moerorem nemo, ne Mardochaeus quidem ipse accuratius describere potuit. Res enim ita verbis expressa est, ut quasi ante oculos posita conspiciatur. Etenim suplicii dies illis sorte erat con-

Deut. 28, 67. stitutus. Litteris magistratus certiores facti. Carnifices ubique parati. Quo factum est, ut Iudaei tamquam capitis damnati et spatium vitae et finem oculis haberent subiectum. *Et erit vita tua quasi pendens ante te.* Quum autem e supplicio incolumes sese eripuissent, de vita sua saluteque ipsi dubitarunt. *Non credes vitae tuae.* Quae denique de pavido animo dicta sunt, ea, ut cetera, etiam aequales nostros attingunt. Nam qui Iudaeis timidiores sint et ignaviores, haud facile invenies.

Deut. 30. [1] *Cum ergo venerint super te omnes sermones isti, benedictio sive maledictio, quam proposui in conspectu tuo: et ductus poenitudine cordis tui in universis gentibus, in quas disperserit te Dominus Deus tuus* [2] *et reversus fueris ad eum et obedieris eius imperiis, sicut ego hodie praecipio tibi cum filiis tuis in toto corde tuo et in tota anima tua,* [3] *reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam .....* [7] *Omnes autem maledictiones has convertet super inimicos tuos et eos qui oderunt te et persequuntur.* Quanta fuerit in Iudaeis moestitia de peccatis ac poenitentia et qualis eorum ad Dominum reditio, res Estheriana testimonio est. *Cum ductus poenitudine cordis tui ... reversus fueris.* Inimici vero quas poenas sumere gravissimas parati erant, ipsi dederunt. *Omnes maledictiones* etc.

Deut. 32. [25] *Foris vastabit eos (Israelitas) gladius et intus pavor, iuvenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene.* [26] *Dixi: Vbinam sunt? cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.* Aman eo usque processit, ut constitueret Iudaeorum gentem internecione delere, diem huius rei definiret sorte, licentiam a rege Assuero impetraret. *Dixi: Vbinam sunt?*

[27] *Sed propter iram inimicorum distuli, ne forte superbirent hostes eorum et dicerent: Manus nostra excelsa et non Dominus fecit haec omnia.* Quanta in ho-

stibus fuerit superbia, et ex Estherae historia intelligi potest et ex Mardochaei verbis: *Quare dicunt, qui nos affligunt, non habent Deum qui salvet eos, et adperiunt os suum ad devorandam partem tuam et ad laudandum idola sua ac templa* [1]. Deut. 32, 27.

28. *Gens absque consilio est et sine prudentia.* 29. *Vtinam saperent et intelligerent ac novissima providerent.* 30. *Quomodo persequatur unus mille et duo fugent decem millia? nonne ideo quia Deus suus vendidit eos et Dominus conclusit illos?* Idumaeorum gentem consilii tum atque intelligentiae omnino expertem fuisse neque internecionem suam providisse etiam posteriores prophetae dixerunt.

31. *Non enim est Deus noster ut dii eorum et inimici nostri sunt iudices.* 32. *De vinea Sodomorum vinea eorum et de suburbanis Gomorrhae uva eorum uva fellis et botri amarissimi.* 33. *Fel draconum vinum eorum et venenum aspidum insanabile.* 34. *Nonne haec condita sunt apud me et signata in thesauris meis?* 35. *Mea est ultio et ego retribuam in tempore, ut labatur pes eorum, iuxta est dies perditionis et adesse festinant tempora.* Haec quamvis proprie de Idumaeis dicta sint, tamen latius patere videntur. Dederunt enim Sodomaeorum poenas paulo post Moysem mortuum Chananaei, Babylonicis temporibus Scythae, brevi post Christum Iudaei improbi, daturi sunt autem homines angelique nequam apud inferos.

36. *Iudicabit Dominus populum suum et in servis suis miserebitur, videbit quod infirmata sit manus et clausi quoque defecerunt residuique consumpti sunt.* Deus, quum suos ab Idumaeis videret oppressos, causam eorum diiudicavit.

1) Orat. Mard. 13.

Deut. 32, 37. 37. *Et dicet: Vbi sunt dii eorum in quibus habebant fiduciam,* 38. *de quorum victimis comedebant adipes et bibebant vinum libaminum? surgant et opitulentur vobis et in necessitate vos protegant.* Caesis Idumaeis, etiam eorum dei fracti ac deleti sunt. Est sancta quaedam in his verbis εἰρωνεία.

39. *Videte quod ego sim solus et non sit alius Deus praeter me; ego occidam et ego vivere faciam, percutiam et ego sanabo, et non est qui de manu mea possit eruere.* Iudaei ab eo poeta, qui de re Estheriana cecinit, admoneri solent, ut ex ea verum unicumque esse Deum suum cognoscant. *Occidit* autem eos Deus per Amanem; ut *viverent*, per Mardochaeum effecit. *De manu* eius Scythas nemo potuit *eruere.*

40. *Levabo ad coelum manum meam et dicam: Vivo ego in aeternum.* 41. *Si acuero ut fulgur gladium meum et arripuerit iudicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis et his, qui oderunt me retribuam* 42. *Inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes, de cruore occisorum et de captivitate, nudati inimicorum capitis.* Cur Amalecitae *hostes Domini* vocari soleant, ex superioribus locis cognitum est. Deus quod iuratus est, perfecit, quum hostes illos Mardochaeo caedendos tradidit. Gladius eius absumsit *carnes* ex *sanguine* inimicorum, et *captionem* fecit ex *principe* eorum, qui praefuerunt inimicis (cf. LXX). Praefectorum principem, quem gladius Domini cepit, Amanem dicit. Si sequimur Vulgatam, nudatum inimicorum caput Aman putandus est in crucem sublatus.

43. *Laudate gentes populum eius, quia sanguinem servorum suorum ulciscetur et vindictam retribuet in hostes eorum et propitius erit terrae populi sui.* Gentes etiam a prophetis et ab auctore psalmorum admonentur, ut ex Scytharum caede Dei fortitudinem magnanimita-

temque cognoscant, admirentur, collaudent. Quum hostes poenas malefactorum luissent, in patriam reducti sunt Iudaei. *Et propitius erit terrae populi sui.* Ex brevissima nostra interpretatione iam perspicuum esse puto, haec Moysis vaticinia ad Scytharum interitum spectare. Quare recte Esthera Deum precata, *Mihi autem narratum fuit*, inquit, *quod tu locutus es per Moysem servum tuum etiam quum essent in terra inimicorum suorum dicens: Non recedam ab eis in regno Babylonis neque derelinquam eos in regno Mediae et Persidis.* Deut. 32, 43.

CAPVT TERTIVM

DE VATICINIIS EX DVODECIM PROPHETIS.

---

§. 3.

De re Estheriana quae praedixerit Oseas?

Quaenam inter Deum sanctum et Israelitas impios ratio intercederet, illius iussu non modo dictis Oseas sed etiam factis expressit. Meretricem enim uxorem duxit, ex qua procreavit filios tres. Primo nomen imposuit: *Iezrael* i. e. *iudex Deus*, quo nomine indicaret, iudicium instare de familia Iehu deque omni regno Israel. Alteram quae erat filia, vocavit: *Absque misericordia*, quod Deum miserendi finem fecisse diceret. Tertio nomen dedit: *Non populus meus*, ab eo, quod Deus foedus cum Israelitis ictum nullum esse vellet. Quibus rebus vates expositis de re Mardochaica hoc modo vaticinatus est.

Ose. 1. [10] *Et erit numerus filiorum Israel quasi arena maris quae sine mensura est et non numerabi-*

Ose 1, 10. *tur. Et erit in loco, ubi dicetur eis: Non populus meus vos, dicetur eis: Filii Dei viventis.* [11] *Et congregabuntur filii Iuda et filii Israel pariter et ponent sibimet caput unum et ascendent de terra, quia magnus dies Iezrael.* Quae verba, ut dixi, primum ad Mardochaica tempora, deinde ad Christum, denique ad rerum omnium finem referenda iudico. Sed singula sunt explicanda breviter. Quum Israelitae in exsilium deducti essent, re ipsa perspexerunt, se *non* esse *populum Dei*, Deum sibi vel nullum esse vel quasi mortuum. Sed quum in exsilio ex hostium manibus praeter omnium exspectationem eriperentur: item re ipsa experti sunt, *Deum* sibi esse *vivum*, seque eius *filios*. Nacti sunt autem Iudaei et Israelitae *caput unum*, regem Mardochaeum. Qui quum quodammodo a mortuis surrexisset, etiam gentem suam e terra, e sepulcris suscitavit. *Et ascendent e terra.* Haec enim propria est verborum Hebraicorum significatio. A qua, non video, cur recedere oporteat. *Magnus est enim dies Iezrael* i. e. *iudicis Dei, iudicii.* Quod dies iudicii a propheta dies Iezrael vocatur; sciendum est, Iehu haud ita multis annis ante a filiis uxoreque Achabi poenas repetivisse in urbe Iezrael. Praeterea יזר proprie idem valet quod *iudicare;* quoniam autem veteres ad iudicem accedentes soliti sunt dicere: *Salva me,* verbum illud etiam *adiuvandi liberandique* vim adeptum est.

Iam vero vates describere aggreditur, quibus poenis in Palaestina ipsa gentem suam Deus affecturus sit. Deinde ita dicere pergit:

Ose. 2. [14] *Propter hoc ecce ego lactabo eam et ducam eam in solitudinem et loquar ad cor eius.* [15] *Et dabo ei vinitores eius ex eodem loco et vallem Achor ad aperiendam spem et canet ibi iuxta dies iuventutis suae et iuxta dies ascensionis suae de terra Aegypti.*

Haec et ea quae sequuntur verba quum a Theophyla- Ose. 2, 15.
cto [1]) recte ad exsilii tempus relata sunt, tum verius a Theodorcto [2]) ad ipsam Scythicarum gentium internecionem. Nos quo referamus, non attinet dicere. Sed veniamus ad singula. Deus igitur reducturum se dicit Iudaeos ad pristinum infantiae statum, quo usi essent tum, quando ex Aegypto discederent. Lactabo eos atque infantium cibum praebebo; praeterea, ut patres, sic ducam eos in desertum. Quo animum a variis cupiditatibus revocatum ad verba mea attendent. *Et loquar ad cor eorum.* Cf. Deut. 4. 30. *Et audies vocem Domini Dei tui.* Sed in exsilio ne omnino cadat animus neve salutis spes omnis deponatur; concedam eis parem victoriam, atque illa erat ad montem Horeb et in valle Benedictionis.

Et dabo ei vallem Achor ad aperiendam spem i. e. *portam spei.* Variae sunt et discrepantes de his verbis interpretum sententiae, quas ob eam causam quam diximus, missas facimus. Sciendum est, vallem Achor fuisse in tribu Beniamin haud procul Iericho, pertinuisse autem ab Engaddi quod oppidum ad ostia Iordanis situm erat, usque ad Hierosolyma. Vnde nomen habeat, ex Ios. 7, 24. s. perspici potest. In ea valle castra posuerant Idumaei et eorum qui socii erant Moabitae et Ammonitae, quum, Iosaphate regnante, Iordanem transgressi contra Hierosolyma proficiscerentur. Ibi Iudaei Deum sibi opem ferre viderunt. Socii enim illi quidem primum in Idumaeos, post alteri in alteros arma converterunt [3]). Eiusmodi igitur victoriam sine sanguine et labore Deus sese daturum pollicetur ac dedit, quum eosdem hostes,

1) Theoph. in h. l.
2) Theodor. in Ezec. 38, 17.
3) II. Parall. 20.

Ose. 2, 15. Mardochaeo duce, Iudaeis occidendos commisit. *Dabo eis vallem Achor portam spei.* Praeclare. Etenim ut Iudaei, quum Iosaphat regnaret, devictis hostibus, praeda vel benedictione onusti domum redierunt: sic ex victoria Mardochaica quasi per portam paucis post annis facillime, ut ex valle Achor, in patriam redituri sunt. Nam ut ex angusta illa valle, quae portae haud dissimilis est, adspectus ad Hierosolyma patet: sic post Scythicum bellum futurum est, ut statim oculi, et gressus paulo post in urbem convertantur. Neque vero ignorandum est, Engaddi totamque vallem Achor vinum tulisse suavissimum [1]). Quare vatis animus a sanguine hominum ad sucum uvarum, a victoribus, qui inimicos caedunt, ad vindemiatores defertur. *Et dabo vindemiatores*, qui hostes colligent ut uvas atque comprimEnt, *ex eodem loco* i. e. ex valle Achor, ex tribu Beniamin. Erat autem, ut saepius dixi, ex ea tribu Mardochaeus.

Et canet ibi iuxta dies iuventutis suae et iuxta dies ascensionis suae de terra Aegypti. De re Mardochaica quae carmina confecta sint, postea dicemus. In eis autem etiam veterum rerum quae sunt Moysis tempore actae, mentio fieri solet. Iam vero quae sequuntur, haec sunt:

16. *Et erit in die illa, ait Dominus, vocabit me: Vir meus, et non vocabit me ultra: Baali.* 17. *Et auferam nomina Baalim de ore eius et non recordabitur ultra nominis eorum.* Haec dicta sunt ex ea allegoria, quam attigimus antea. Vt Deum Israelitae, sic herum servi, sic maritum uxores Dominum suum vocare solebant. Deus igitur foedus cum eis renovavit post exsilium Babylonicum et falsorum deorum nomina ex eorum tum memoria omnino delevit. Cf. Deut. 32, 19.

1) Cant. 1, 14.

18. *Et percutiam cum eis foedus in die illa, cum* Ose. 2, 18.
bestia agri et cum volucre coeli et cum reptili terrae, et arcum et gladium et bellum conteram de terra: et dormire eos faciam fiducialiter. De Scythicarum gentium caede haec probe intellecta sunt. Arcus et חרב, ἅρπη, ῥομφαία tela sunt Scythica. Iudaei autem ab Idumaeis quotidianis fere bellis vexati, tandem, illis interfectis, pacem consecuti sunt. Sed haec perspicua; illa obscura: *Et percutiam foedus cum bestia agri, etc.* De quibus magna est interpretum dissensio. Sed haud ignotum, veteres in foederibus faciendis solitos sacra offerre, ex eisque convivia parare. Quare *foedus icere* iddem ducendum est ac *sacra facere* vel *coenam instituere.* Praeterea ex historia assumendum, quod postea accuratius perspicietur, caesorum cadavera non esse a Mardochaeo illico sepulta. Sed concessa sunt primum bestiis volucribusque, deinde ex eis quae reliqua erant ossa unum in locum coacervata. Verborum igitur sententia haec est: Scythae tamquam hostiae Deo mactati sunt; carnes autem ille, ut is qui foedus icit, non hominibus, sed bestiis consumendas tradidit.

19. *Et sponsabo te mihi in sempiternum et sponsabo te mihi in iustitia et iudicio et in misericordia et in miserationibus.* 20. *Et sponsabo te mihi in fide et scies quia ego Dominus.* 21. *Et erit in die illa: Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam coelos et illi exaudient terram,* 22. *et terra exaudiet triticum et vinum et oleum et haec exaudient Iezrael.* 23. *Et seminabo eam mihi in terra et miserebor eius, quae fuit Absque misericordia.* 24. *Et dicam Non populo meo: Populus meus es tu, et ipse dicet: Deus meus es tu.* Iudaeorum animos Deus eo sibi obstrinxit, quod ut antea Aegyptiorum iugum, sic post Scytharum iniurias ab eis propulsavit. Haec vaticinii pars ad illud spatium quod

Ose 2, 24. captivitatem consecutum est, atque ad Christi redemptionem spectat et ad ea, quae in coelo futura sunt. Singula autem ad intelligendum non sunt difficilia.

Ose. 5. [15.] *Vadens revertar ad locum meum, donec deficiatis et quaeratis faciem meam.* 6. [1.] *In tribulatione sua mane consurgent ad me: Venite et revertamur ad Dominum,* [2.] *quia ipse cepit et sanabit nos, percutiet et curabit nos,* [3.] *vivificabit nos* (Cf. Deut. 32, 39.) *post duos dies, in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu eius. Sciemus sequemurque, ut cognoscamus Dominum, quasi diluculum praeparatus est egressus eius et veniet quasi imber nobis temporaneus et serotinus terrae.* Deus populum suum in exsilium abduxit, et quod eum desertum esse voluit, in locum suum Hierosolyma reversus est. Quum autem maxima ab Idumaeis pericula impenderent, Iudaei Deum suum quaerere coeperunt. Mense autem tertio, ex quo capitis damnati erant, die tertio, ex quo ieiunia facere coeperant [1]), rursus ad huius vitae lucem ascenderunt. Similiter duos dies Dominus in sepulcro, discipuli in luctu erant, die tertio huic vita, illis animi laetitia reddita est.

Reliquum est vaticinium de resurrectione praeclarum illud quidem sed multis difficultatibus criticis implicatum:

Ose. 13. [12.] *Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius.* [13.] *Dolores parturientis venient ei, ipse filius non sapiens; nunc enim non stabit in contritione filiorum.* [14] *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos, ero mors tua o mors, morsus tuus ero inferne.* Septuaginta interpretes, quorum verba sancto Paulo probata sunt, hoc modo: *Coacta est iniquitas Ephraim, reconditum peccatum eius. Dolores quasi parturientis venient ei. Hic est filius tuus sapiens.*

1) Esth. 4, 16.

Cur non sustines in contritione liberum. De manu inferni liberabo, de morte redimam illos. Vbi victoria [1] *tua mors? ubi aculeus tuus inferne?* Beatus autem Paulus ita: *Absorpta est mors in victoria, ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus* [2]? Quoniam nobis propositum est, ut haec vaticinia quam brevissime explicemus, disputationes criticae omnino omittendae sunt. Deus, quod Israelitas non multavit statim, idcirco peccatorum oblivisci minime putandus est. Verumenimvero ea omnia memoria tenet, quo acerbiores poenas expetat. *Dolores* enim *parturientis venient ei.* His doloribus affecti sunt, quum ab Amane opprimerentur eisque cruciatus suppliciique dies ante oculos obversaretur. Verumtamen *non stabunt in contritione liberum*, non diu permanebunt in doloribus matris, quae sibi ex partu mortem advenire sentit. *De manu inferni liberabo, de morte redimam illos.* Quod Deus promisit, id perfecit, quum suos per Mardochaeum ex gravissimo illo periculo vindicaret. Inde prophetae vox laetantis et gaudentis: *Vbi cictoria tua, mors? ubi aculeus tuus, inferne?* Vt Mardochaicam rem, sic nos haec vaticinia omnia iuste ad Christi nostramque omnium resurrectionem referre, ex eis, quae supra diximus, perspectum putamus. Ose. 13, 14.

§. 4.

De Ioelis vaticinationibus.

Quo tempore Iudaei in exsilium ducti sunt, duplex fuit Domini iudicium, unum de eis ipsis alterum de eorum hostibus. Primum enim graviter illi ipsi castigati

1) Νίκη Δίκη.
2) I. Cor. 15, 54. s.

Ioel. sunt, fines eorum vastati, urbs diruta, templum incendio deletum. Quae omnia ab Assyriorum quidem Chaldaeorumque facta sunt imperatoribus, sed per Idumaeos, per Amalecitas. Isti enim Chaldaeis subsidio erant in omni re gerenda, isti avidi praedarum Hierosolyma vi ceperunt incensique nefasta in Deum ira inflammationem templo intulerunt. Quibus rebus peractis, alterum Deus iudicium praeparavit. Idumaeos omnino perdidit, Iudaeos exsules salvos esse voluit. De utroque iudicio vaticinatus est Ioel.

Sed iam ad rem ipsam accedemus, si pauca prius de verbo quodam dixerimus quo propheta non proprio sensu usus est. Eximia quaedam est in Semitis quum in aliis rebus constantia, tum vero in eo, quod quas metaphoras adhibuerunt veteres, omnis dein posteritas retinere consueverat. Vetus scriptor, qui reliquit librum Iudicum, Amalecitas comparavit cum locustis; qua quidem comparatione nihil potest esse aptius. Repentinae utrorumque multitudines advolant, incredibili cum celeritate omnia percurrunt, omnia rapiunt, omnia vastant ac depopulantur. Neque ulla ratio est, qua ab eis quis quid defendere possit [1]). Ita enim auctor ille scripsit: *Ipsi enim Madian et Amalec et universae greges eorum veniebant cum tabernaculis suis et instar locustarum universa complebant, innumera multitudo hominum et camelorum, quidquid tetigerant devastantes*, et paulo post: *Madian autem et Amalec et omnes orientales populi fusi iacebant in valle, ut locustarum multitudo* [2]). Hunc secutus libri Iudithae auctor de equitibus sagittariis ita: *Et profectus est ipse Holofernes et*

1) De agminibus locustarum et vastationibus v. Ios. de bell. Iud. 4, 9, 7. Hieron. ad Ioel.
2) Iudicc. 6, 5. 7, 12.

omnis exercitus cum quadrigis et equitibus sagittariis, Ioel. 1.
qui cooperuerunt faciem terrae sicut locustae [1]). Sed sive haec translatio tam apta fuit, sive is, qui Iudicum librum scripsit, tantum apud posteros auctoritate sua valuit: Ioel, quum de Cinaeis Amalecitisque vaticinaretur, non dubitavit suppresso nomine proprio, locustarum nomen adhibere. Eo enim is tempore fuit, quum Ieroboame regnante Benadad Hazaelis filius haud procul ab eo abfuit, quin Israelitas omnino perderet. Quare quum ille unus tum hostis esset, non obscurum fuit, quem Ioel his verbis vellet intelligi: *Audite hoc senes et auribus percipite omnes habitatores terrae, si factum est istud in diebus vestris aut in diebus patrum vestrorum. Residuum erucae comedit locusta et residuum locustae comedit bruchus et residuum bruchi comedit rubigo.* Deinde poenas describit quas Israelitae Iudaeique luerunt, quae quidem initium ceperunt ab agrorum vastatione expugnationeque urbium, finem autem nactae sunt Hierosolymis temploque funditus sublatis. Terram igitur sanctam hostibus Dominus vastandam dedit, populum exsulem conservatum voluit.

Ioel. 2. 18. *Zelatus est Dominus terram suam et pepercit populo suo.* 19. *Et respondit Dominus et dixit populo suo: Ecce ego mitto vobis frumentum vinum et oleum (post exsilium) et replebimini eis et non dabo vos ultra opprobrium in gentibus, (i. e. exsilio Babylonico).* 20. *Et eum qui ab aquilone est procul faciam a vobis et expellam eum in terram inviam et desertam, faciem eius contra mare orientale et extremum eius ad mare novissimum; et ascendet foetor eius et ascendet putredo eius quia superbe egit.* His verbis eae

1) Iudth. 2, 11.

Ioel. 2, 20. poenae expositae sunt, quas dederunt Damasceni Idumaici. Eidem enim qui antea sunt locustarum bruchorumque nomine nuncupati, hoc loco verbis designantur: *qui ab aquilone sunt.* Posita est enim Damascus ab Hierosolymis aquilonem versus. Tandem igitur desinant explicatores litterarum isti quidem Ioelem mirari, quod Syros Damascenos non cognoverit; desistant commentarios iactare suos et de suis scientiis gloriari, qui prophetam eorum mentionem fecisse ignorant, de quibus unis eius sunt vaticinia omnia. Idumaeos igitur Damascenos Dominus procul removit ab Iudaeis, quum per Theglathphalassarem in Scythiam eos expelleret, *in terram inviam et desertam.* Faciem eorum convertit *ad mare orientale*, ad Caspium, extremum autem *ad mare novissimum* i. e. ad Pontum Euxinum paludemque Maeotim.

Iam vero Oseas caesorum insepulta corpora per aliquot menses bestiis avibusque cibo fore dixit, Ioel autem pestiferum ex eis foetorem exstiturum ait. *Et ascendet foetor eius et ascendet putredo eius; quia superbe egit.* Quanta fuerit in Amane ceterisque Amalecitis superbia, quanta arrogantia, ex eorum factis apparet.

Hostibus caesis, qui agros vineas olivetaque locustarum instar devastaverant Iudaeosque in proximum adduxerant capitis periculum, vates a timore terram revocat atque animalia, filios autem Sion ad summam incitat laetitiam. Dein post exsilium dicit abundantiam fore rerum omnium. Denique ab his verbis: *Et erit post haec*, illustre illud de Spiritu sancto exorditur vaticinium.

Sed significaverat propheta cladem Idumaeorum ea re sola, quae ex insepultis cadaveribus nascitur. Quamobrem ad eorum caedem reversus grande illud de valle Iosaphat et praeclarum edidit oraculum. De quo dicendum est paulo accuratius.

Hanc igitur vaticinationem ad Assyrios, qui a Sannacheribo Hierosolyma ducti sunt, referendam existimavit Rufinus presb. Aquil. [1]). Ad resurrectionem Domini eam et ad diem iudicii spectare dixit Hieronymus [2]). Iudaei continua traditione docti eam retulerunt ad populos Gog et Magog [3]). Quum ad Gog tum vero etiam ad alterum Christi adventum pertinere ait Ephraem Syrus [4]). Theodoretus denique eam item de gentibus interpretatus est Scythicis [5]). Nobis, Rufino excepto, horum sententiae probatae sunt omnium. Nam quod Oseas verbis illis indicavit: *Dabo eis vinitores ex eodem loco et vallem Achor*, iddem Ioel ita exponit, ut iudicium Dei, ad quod Amalecitas Idumaeosque arcessivit, ante oculos versari videatur. Videtur enim id quidem ex historia constare, vallem Achor, quae ab Hierosolymis ad Engaddi vergit, ex clarissima illa victoria, quam Iosaphat Iudaeorum rex de Idumaeis non pugnando sed canendo adeptus est, nominatam esse vel vallem Benedictionis vel etiam Iosaphatis. Quamobrem haec eadem a Ioele 3, 14. recte appellatur *vallis concisionis*, quoniam ibi Moabitae et Ammonitae primum Amalecitas, postea se inter se conciderunt [6]). Sed iam transeamus ad singula. Ioel. 3.

Ioel. 3. [1.] *Quia ecce in diebus illis et in tempore illo, cum convertero captivitatem Iuda et Ierusalem*, Quidam interpretes convertendi verbum de Iudaeorum in patriam reditu acceperunt. Sed intelligenda ea conversio est, de qua supra propheta dixit: *Convertimini*

1) Rufin. presb. Aquil. Comm. in Ioel.
2) Hieron. Comm. in Ioel.
3) Hieron. l. c. 3, 12.
4) Ephraem Syr. Comm. in Ioel.
5) Theodor. Comm. in Ezec. 39.
6) II. Parall. 20.

Ioel. 3, 1. *ad me in toto corde vestro, in ieiunio et in fletu et in planctu.* Ita ad Dominum suum Mardochaeus eiusque aequales redierunt, de quibus in libro Estherae dictum est: *In omnibus quoque provinciis oppidis ac locis, ad quae crudele regis dogma pervenerat, planctus ingens erat apud Iudaeos ieiunium ululatus et fletus, sacco et cinere multis pro strato utentibus.* Neque vero Iudaei se ad Deum, sed, ut praedixerat vates, eos ad se convertit Deus.

2. *Congregabo omnes gentes et deducam eas in vallem Iosaphat et disceptabo cum eis ibi super populo meo et hereditate mea Israel, quos disperserunt in nationibus et terram meam diviserunt.* In primis intelligendi sunt Idumaei Damasceni, qui primo sua sponte perpetuis bellis vexaverunt Israelitas, post ad Iudaeos superandos capiendamque urbem adiuverunt Assyrios. Adducti sunt autem illi in vallem Iosaphatis i. e. in Mardochaicum iudicium simillimum ei, quod in valle illa maiores eorum subierant.

3. *Et super populum meum miserunt sortem.* Sortem de Iudaeis interficiendis misit Aman.

3. *Et posuerunt puerum in prostibulo et puellam vendiderunt pro vino ut biberent.* Scytharum in Media lascivia et licentia quam fuerit effrenata, ante expositum est ex Herodoto. Paederastiae eos deditos fuisse, ex eo apparet, quod id vitium in Graeciam primi intulerunt. Eos autem vino nihil carius habuisse, supra, ut arbitror, satis explicatum est.

4. *Verum quid mihi et vobis Tyrus et Sidon et omnis terminus Palaesthinorum? numquid ultionem vos reddetis mihi? et si ulciscimini vos contra me, cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum.* Phoenices et Palaestinenses paulo post Ioelem, per Nabonassarem et Nabuchodonosorem poenas solverunt.

Quare vere quidem dici potuit, cito eos ac velociter in iudicium venturos. Sed aliter haec verba explicare maluerim. Propheta enim tanta Idumaeorum maleficia secum reputans ad eos ipsos orationem destinat. Non de Phoenicibus, inquit, non de Palaestinensibus, non de incircumcisis amplius agitur, ei enim illico plectuntur; sed vos, qui Iudaeorum estis fratres eisdem parentibus nati, quos odio in se furentes tanta Deus et tam diutina patientia toleravit, vos tandem poenas dabitis. Ioel. 3, 4.

5\. *Argentum enim meum et aurum tulistis et desiderabilia mea et pulcherrima intulistis in delubra vestra.* Hierosolyma Phoenices diripuerunt numquam, Idumaei Damasceni saepius.

6\. *Et filios Iuda et filios Ierusalem vendidistis filiis Graecorum (Iavan), ut longe faceretis eos de finibus suis.* Israelitae ab Armeniis victi Sinopen, quae urbs in illorum finibus erat, deportati Graecisque venditi sunt. Eidem praeterea illorum opera captivi deducti sunt in Mediam superiorem.

7\. *Ecce ego suscitabo eos de loco, in quo vendidistis eos et convertam retributionem vestram in caput vestrum.* Deus autem eos ex sepulcris suscitavit in Media, in Armenia, in Asia, ut hostes suos ulciscerentur.

8\. *Et vendam filios vestros et filias vestras in manibus filiorum Iuda et venundabunt eos Sabaeis genti longinquae, quia Dominus locutus est.* Scythae cum Asiae dominarentur, etiam Sabaeos, (si ea scriptura vera est) praedabundi adorti sunt [1]). Erat autem, teste Origene, Saba urbs Indiae [2]). Haud parvam Scytharnm gentem in extremam Asiam delatam, testatur Herodotus [3]). Sa-

1) Ezec. 18, 3.
2) Orig. in Ps. 71.
3) Herodt. 4, 22.

Ioel. 3, 8. cas praeterea post magnam illam caedem apud Asiaticos in servitio fuisse, veterum testimoniis constat. Pro *Sabaeis* Graeci interpretati sunt *in captivitatem* (a verbo שׁבה).

9. *Clamate hoc in gentibus, sanctificate bellum suscitate robustos, accedant, ascendant omnes viri bellatores.* 10. *Concidite aratra vestra in gladios et ligones vestros in lanceas. Infirmus dicat, quia fortis ego sum.* Ita vates et historiae scriptor inter se consentiunt, ut ad vaticinium explicandum satis sit historici verba adscribere: *Et imperavit rex, ut convenirent Iudaeos per singulas civitates et unum praeciperent congregari, ut starent pro animabus suis. Itaque percusserunt Iudaei inimicos suos plaga magna et occiderunt eos* [1]).

11. *Erumpite et venite omnes gentes de circuitu et congregamini, ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos.* 12. *Consurgant et ascendant gentes in vallem Iosaphat, quia ibi sedebo, ut iudicem omnes gentes in circuitu.* Cimbros, Teutones aliasque gentes cum Scythis in Asiam migrasse diximus. Sed harum gentium enumerationem in Psalmis, de quibus dicendum est postea, inveniemus.

13. *Mittite falces, quoniam maturavit messis (vindemia); venite et descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia, quia multiplicata est malitia eorum.* Elegantissimam Oseae metaphoram Ioel suscipit amplificat exornat.

14. *Populi, populi in valle concisionis, quia iuxta est dies Domini in valle concisionis.* Iudicium Dei populis caedem concisionemque decrevit. Quo die Iudaei de hostibus vindictam sumpserunt, Dominus honore gloriaque affectus est. Quidquid enim illi laude dignum

1) Esth. 8, 11. 9, 5.

effecerunt, in Deum id omne redundavit. Idumaeorum vero clades ignominiaque in ipsorum deos caderet necesse erat. Ioel. 4, 14.

[15] *Sol et Luna obtenebrati sunt et stellae retraxerunt splendorem suum.* Scytharum occisione, Adad (sol), Tanais (luna) et stella Martis dedecore macula turpissimaque contumelia notati sunt. Lucis splendorem illi etiam idcirco amiserunt, quia Dominus quasi in tempestate populo suo auxilio venit.

[16] *Et Dominus de Sion rugiet et de Ierusalem dabit vocem.* Nam ut in monte Sinai suis, ita etiam in Media Armeniaque apparuit. *Apparuerunt enim voces et tumultus et tonitrua et terrae motus* [1]).

[16] *Et movebuntur coeli et terra.* Non modo dei coelestes, sed etiam Atergatis (terra) Scytharum dea ac mater timore Domini concussa est.

[16] *Et Dominus spes populi sui et fortitudo filiorum Israel.* [17] *Et scietis quia ego Dominus Deus vester habitans in Sion monte sancto meo.* Post Mardochaeum magistrum ac regem Iudaei falsos deos non amplius secuti sunt.

[17] *Et erit Ierusalem sancta et alieni non transibunt per eam amplius.* Idumaeis fere omnibus interfectis, neque Iudaei diutius sunt vexati neque templum violatum.

[18] *Et erit in die illa stillabunt montes dulcedinem et colles fluent lacte et per omnes rivos Iuda ibunt aquae et fons de domo Domini egredietur et irrigabit torrentem spinarum.* Vt supra sic hoc quoque loco a terrae fecunditate ad abundantem Spiritus sancti effusionem oratio deflexit.

[19] *Aegyptus in desolationem erit et Idumaea in desertum perditionis pro eo, quod inique egerint in filios*

1) Esth. 11, 5.

Ioel. 3, 19. *Iuda et effuderint sanguinem innocentem in terra sua.* Haec verba testimonio sunt, vaticinia Ioelis ad Idumaeos recte a nobis esse probeque relata. Aegyptii hora sexta, Idumaei nona opprimere populum sanctum conati sunt. Vtrique illi perditi, Iudaei vero conservati.

20. *Et Iudaea in aeternum habitabitur et Ierusalem in generationem et generationem.* 21. *Et mundabo sanguinem eorum quem non mundaveram; et Dominus commorabitur in Sion.* Haec de Iudaeorum reditu.

§. 5.

De praedictionibus Amos.

Quam acerbum hora nona futurum esset Domini de singulis gentibus iudicium, vates etiam exstitit Amos. Quum enim Iudaeos ad illius tribunal Israelitasque vocavit, tum vero eorum hostes, qui eis erant finitimi. In horum numero primi sunt Amalecitae atque Idumaei, qui partim Damascum, partim Bethsan Bozram montemque Seir incolebant. Qui quod infestissima tum Israelitis arma intulerant, in iram Dei prophetaeque imprecationem inciderunt. Sunt enim plura de eis vaticinia, quae vel ad cladem ab Assyriis eis illatam vel ad rem Estherianam pertinent.

Damascenis, ut de eis primum dicamus, expugnationem urbis exsiliumque in Gerros praedixit hoc modo: Am. 1. 3. *Haec dicit Dominus: Super tribus sceleribus Damasci et super quattuor non convertam eum, eo quod trituraverint in plaustris ferreis Galaad.* 4. *Et mittam ignem in domum Azael et devorabit domos Benadad.* 5. *Et conteram vectem Damasci et disperdam habitatorem de campo idoli et tenentem sceptrum de domo voluptatis et transferetur populus Syriae Cyrenen, dicit Dominus.*

De Idumaeis autem, qui iniurias inferre Iudaeis non destiterunt, ita loquitur: Am. 1. [11] *Haec dicit Dominus: Super tribus sceleribus Edom et super quattuor non convertam eum, eo quod persecutus sit in gladio fratrem suum et violaverit misericordiam eius et tenuerit ultra furorem suum, et indignationem suam servaverit usque in finem.* [12] *Mittam ignem in Theman et devorabit aedes Bosrae.* Idumaeos ab Assyriis in ditionem esse acceptos, occisos autem a Mardochaeo, nemo est qui ignoret. Am. 1, 11.

De Basanitarum autem mulierum exsilio vaticinatus est his verbis:

Am. 4. [1] *Audite verbum hoc, vaccae pingues (Basan) quae estis in monte Samariae, quae calumniam facitis egenis et confringitis pauperes, quae dicitis dominis (maritis) vestris: Afferte et bibemus.* Vaccae vocatae sunt Amaleciticae mulieres propter nimium adipem corporisque vastitatem; de qua alio loco dictum est. Vino deditae ipsae viros ad bibendum invitarunt.

[2] *Iuravit Dominus Deus in sancto suo: Quia ecce dies venient super vos et levabunt vos in contis et reliquias vestras in ollis ferventibus.* [3] *Et per aperturas exibitis altera contra alteram, et proiiciemini in Armon, dicit Dominus.* Hic locus plurimum est ab interpretibus explicatoribusque vexatus. Illud quidem minime obscurum est, eum spectare ad deportationem Damascenarum in Scythiam. Mulieres enim, quoniam pingues inhabilesque erant, plaustris sunt deductae. Illis autem necesse erat imponere crates. *Et levabunt vos in crates.* Sed quae ex his natae sunt Scythicae mulieres, ut haud ignotum est, in plaustris degebant tectis ex omni parte et conclusis. Quae quidem vates ingeniose cum piscatorum nassis comparat. *Et posteritatem vestram in nassis piscis* (Hebr.) Descendebant autem ex plaustris per fe-

Am. 4, 3. nestras angustissimas. *Et per aperturas exibitis.* Ductae denique sunt in extremas terrae partes ultra montes Armeniae. *Et proiiciemini ultra Armeniam.* Minutissimae hae quidem res, quae videntur nullius esse momenti, mea sententia vaticiniorum divinitatem maxime comprobant.

Reliqua est vaticinatio ea, quae tempora Mardochaica attingit. In ea Amos eadem quidem, qua Ioel, usus est metaphora. Sed addidit praeterea nomen Agag, Est enim ex Graecorum interpretatione vaticinatio huiusmodi:

Am. 7. [1] *Sic ostendit mihi Dominus Deus: Et ecce foetus locustarum veniebat matutinus et ecce bruchus unus rex Gog.* [2] *Et futurum est, ut foenum terrae omne omnino devoret, Et dixi: Domine, Domine propitius esto. Quis suscitabit Iacob, quoniam solus est?* [3] *Poeniteat te, Domine, super hoc! Et hoc non erit, dicit Dominus.* Verborum sententia aperta et perspicua est. Vates, quum haud multum ab eo abesse videret, quin Scythae Iudaeos omnes occiderent, ipse Deum deprecatum adivit. Quod petiit, impetrasse se ab eo confitetur. Sed videamus singula. *Foetus locustarum* ei habendi sunt, qui sunt a locustis i. e. ab Amalecitis in Scythia procreati. Bruchus autem ducendus est rex Gog, Amadathas eiusque filius Aman. Reliqua ex Estheriana re facile possunt assumi. De eadem re vates alterum oraculum edere pergit:

[4] *Haec ostendit mihi Dominus Deus: Et ecce vocabat iudicium ad ignem Dominus Deus et devoravit abyssum multam et comedit simul partem.* [5] *Et dixi: Domine Deus quiesce, obsecro, quis suscitabit Iacob, quia parvulus est?* [6] *Misertus est Dominus super hoc. Sed et istud non erit, dixit Dominus Deus.* Quum iam in eo esset ignis, ut partem Domini populum sanctum

absumeret: Deus misericordia commotus, ne id fieret cavere constituit. Haec quidem sumpsimus ex Amos. Iam dicendum est Am. 7, 6.

§. 6.

De vaticinio Abdiae.

Prophetae, quo propius aetate sua ad victoriam Mardochaicam accedunt, eo distinctius qualis ea futura sit, eloqui solent. Abdias, qui Achazi Iudaeorum regi aequalis putatur [1]), multo apertius de ea, quam superiores, loquitur. Huius vaticinium quum ad rem aliam alii, tum vero Cosmas et ei quorum is sententiam secutus est, ad Scythas vel ad Gog et Magog retulerunt [2]). Est autem tota eius vaticinatio de Idumaeis, quos Scythas fuisse demonstravimus. Et proprie quidem spectat eam ad rem, quae libro Estherae conscripta est. Sed vates exorsus est ita:

1. *Visio Abdiae. Haec dicit Dominus Deus ad Edom, auditum audivimus a Domino.* Quibus verbis sese verum Dei prophetam profitetur.

1. *Et legatum ad gentes misit: Surgite et consurgamus adversus eum in proelium.* Ad omnes gentes, quae Cyaxari parebant, nuntios misit Aman Idumaeus. Itaque et alienos excitavit et suos: *Surgite et consurgamus*, ut Deo vero, vel quod iddem est, Israel populo eius fratri suo impia arma inferrent. Idumaeus, quum tanta conari inciperet, a propheta, ipsius origo qualis esset, admonetur.

2. *Ecce parvulum dedi te in gentibus; contemptibilis tu es valde.* Quum ex ceteris generatoribus iam natae essent gentes, Edom vix adspexit lucem.

---

1) II. Parall. 28, 9.

2) Cosmas Topogr. Christ. 5. edt. Montfaucon Coll. patrr. 2. p. 232.

Abd. 3. [3] *Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrarum exaltantem solium tuum, qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram.* Ex Idumaea, ex cavernis subterraneis profecti primum Syriae et Armeniae, post toti Asiae dominabantur. Subtilissima ironia superbiam ad ridiculum detrahit.

[4] *Si exaltatus fueris ut aquila et si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* Quod de Cinaeis Balaam, id de Damascenis dicit Abdias. Coaluerunt enim, ut opinor, Cinaei et Idumaei, quum Damasco potiti essent.

[5] *Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses (quum dormires), nonne furati essent sufficientia sibi? si vindemiatores introissent ad te, numquid saltem racemum reliquissent tibi?* [6] *Quomodo scrutati sunt Esau, investigaverunt abscondita eius.* Iudaei quum Idumaeos occidissent, nihil omnino sibi ex eorum bonis vindicarunt, sed penitus perdiderunt omnia. Deinde Abdias ut prophetae alii exemplum a vindemiatoribus sumpsit. Iudaei non, sicuti solent vindemiatores, homines reliquerunt nonnullos, sed quam plurimos potuerant investigare occiderunt.

[7] *Vsque ad terminum emiserunt te, omnes viri foederis tui illuserunt tibi, invaluerunt adversum te viri pacis tuae, qui comedunt tecum, ponent insidias subter te.* Provinciarum praetores ac duces qui fuerunt Amanis socii usque ad diem decimum tertium mensis Adar Idumaeis sese amicos esse simularunt. *Vsque ad terminum emiserunt te.* Deinde spem illorum ita fefellerunt, ut Iudaica in eos arma pararent. *Illuserunt tibi.* Constituto enim die caedes facta est. *Invaluerunt adversum te.* Ad coenam vocavit Amanem Esthera, ad laeta convivia praetores illi Idumaeos. *Qui comedunt tecum, ponent insidias subter te.* Scythae perierunt coenati atque ebrii.

7. *Non est prudentia in eo.* 8. *Numquid non in die* Abd. 7.
illa dicit Dominus perdam sapientes de Idumaea et prudentiam de monte Esau? Iddem de Idumaeorum gente Moyses.

9. *Et timebunt fortes tui a meridie (Thaeman), ut intereat vir de monte Esau.* Cum Scythis in Asia Thaemanitae versabantur et Cedareni. Qui quum tantam illorum cladem viderent, haud immerito, ne ad unum omnes interirent, timuerunt.

10. *Propter interfectionem et proter iniquitatem in fratrem tuum Iacob, operiet te confusio et peribis in aeternum.* Quam Amalecitae ad montem Horeb imprecationem contraxerant, ea manavit ad Idumaeos omnes, quum infestissimo animo Iudaeis officere persisterent. Quot enim illi cum consanguineis suis bella gesserint, quantas eis clades intulerint, supra expositum est.

11. *In die quum stares adversus eum, quando capiebant alieni exercitum eius, et extranei ingrediebantur portas eius et super Ierusalem mittebant sortem: tu quoque eras quasi unus ex eis.* Fortissimos Nabuchodonosoris socios adiutoresque in capiendis Hierosolymis constantissimos fuisse Idumaeos, saepius dictum est. His ita expositis, propheta iam ad eam ipsam diem venit, qua die decretum erat, ut Iudaei in provinciis omnibus interimerentur.

12. *Et non despicies in die fratris tui, in die peregrinationis eius, et non laetaberis super filios Iuda in die perditionis eorum, et non magnificabis os tuum in die angustiae.* 13. *Neque ingredieris portam populi mei in die ruinae eorum, neque despicies et tu in malis eius in die vastitatis illius et non emitteris adversus exercitum eius in die vastitatis illius.* 14. *Neque stabis in exitibus, ut interficias eos qui fugerint, et non concludes reliquos eius in die tribulationis.* Quod paucis

Abd. 14. illis verbis: *non erit*, significaverat Amos, id Abdias, ne de salute Iudaei et conservatione sua desperarent, explicavit copiosius suorumque animis magnopere inculcavit. Deus autem ne calamitas illa populo suo acciderct, eo prohibuit, quod quae impia arma Idumaei aliis paraverant, eisdem eos ipsos iugulari iussit.

15. *Quoniam iuxta est dies Domini super omnes gentes; sicut fecisti, fiet tibi, retributionem tuam convertet in caput tuum.* Quod supplicium Aman et eius socii aliis machinati erant, id subire ipsi coacti sunt.

16. *Quomodo enim bibistis super montem sanctum meum, bibent omnes gentes iugiter, et bibent et absorbebunt, et erunt quasi non sint.* Vt Idumaei Iudaeos, sic hos ipsos reliqui populi conficient perdent tollent. Quod qui fecerunt, non populi ipsi fuerunt sed praetores eorum ac duces. Relictus autem Idumaeorum non magnus numerus est. Quod propheta ita indicavit: *Et erunt quasi non sint.*

17. *Et in monte Sion erit salvatio et erit sanctus. Et possidebit domus Iacob eos, qui se possederant.* Vt Idumaeis Cyaxares Iudaeos, sic rursus vicissim Iudaeis occidendos Idumaeos tradidit.

18. *Et erit domus Iacob ignis et domus Ioseph flamma et domus Esau stipula, et succendentur in eis et devorabunt eos et non erunt reliquiae domus Esau quia Dominus locutus est.* Ad vincendos inimicos suos Iudaei cum Israelitis coniuncti erant. Reliqua ita sunt perspicua, ut illustratione indigere nulla videantur. Denique propheta Iudaeis Idumaeae partitionem, ex captivitate reditum beatumque Dei regnum praedixit.

§. 7.

De locis quibusdam ex Michaea et Nahum.

Vaticiniorum ad Estheram spectantium, mirum est, quanta sit copia et varietas. Qua quidem ex re luculenter apparet divina in Iudaeos cura et summa benevolentia. Nam in ipso discriminis tempore necesse erat eos deseri ac relinqui. Quare ne tum de se desperarent, tot tantisque vocibus ad salutis spem prius inducti sunt, quam in periculum tentationemque venirent. Maxime autem admirandum est, quod singuli prophetae aut novi quid afferunt ad eamdem rem explicandam aut aliam uberioremque adhibent comparationem. Quo factum est, ut divinum consilium obscurum Iudaeis esse nullo modo posset. Sed ut rem propositam ingrediamur, primum nobis dicendum est de vaticinio, quod est Mich. 4, 8-13. Hoc ad Gog et Magog vel ad Scythas referendum Ephraem Syrus putavit, Theodoretus ac Theophylactus; nec id quidem sine causa.

Mich. 4. 8. *Et tu turris gregis nebulosa filiae Sion usque ad te veniet: et veniet potestas prima regnum filiae Ierusalem.* Verba ad explicandum difficilia. Septuaginta ita: *Et nunc turris gregis* (i. e. *confirmatio populi*), *squalida (tristis) filia Sion, ad te veniet; et deveniet principatus, primum regnum ex Babylone ad filiam Ierusalem.* Quae si quis de Esthera intelligenda putaverit, non repugnabo. Ad urbis autem expugnationem populique exsilium pertinent ea, quae sequuntur:

9. *Nunc quare moerore contraheris? numquid rex non est tibi aut consiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor sicut parturientem.* Tantum ex captivitate Iudaei et ex Amanis consilio dolorem ceperunt, ut

Mich. 4, 9. cum uno pariendi dolore posset comparari. Sed moestitiae brevitas animis solatio fore dixit Oseas: *Nunc enim non stabit in contritione filiorum*. Michaeas autem suos, ut bono animo essent, adhortatur, quoniam foret, ut in exsilio ab inimicis liberarentur in perpetuum.

10. *Dole et satage, filia Sion, quasi parturiens, quia nunc egredieris de civitate et habitabis in regione et venies usque ad Babylonem, ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum*. Qui hostes Iudaeorum proprie vocati sint, supra diximus. Ab eis igitur populum suum Deus vindicavit per Mardochaeum.

11. *Et nunc congregatae sunt super te gentes multae, quae dicunt: Lapidetur*, (LXX: *insultemus*) *et aspiciat in Sion oculus noster*. Scythas cum sociorum multitudine venisse Iudaeisque insidias fecisse, ex historia patet. Sed, ut Moyses et Abdias dixerunt, Idumaei obcaecati quid futurum esset ignorabant.

12. *Ipsi autem non cognoverunt cogitationes Domini et non intellexerunt consilium eius quia congregavit eos quasi foenum (manipulos) areae*. 13. *Surge et tritura, filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum et ungulas tuas ponam aereas et comminues populos multos*. Non vindemiae sed messi frumenti comparatur Idumaeorum occisio. Quare Iudaeus victor non vindemiatori sed bovi similis est forti et alacri, quo etiam nostra aetate Italos ad triturandum uti video. Sed est bos quidam singulari robore cornua gerens ferrea, qui aereis pedibus non modo triturat frumentum sed etiam molit ac perdit. *Et comminues populos multos*.

14. *Et interficies Domino rapinas (multitudinem) eorum et fortitudinem eorum Domino universae terrae*. Scythas tamquam hostiam Deo vel consecraverunt vel sacrificarunt. *Substantias autem eorum perdiderunt*. Paulo post propheta ad eamdem rem revertitur:

Mich. 5. [7] *Et erunt reliquiae Iacob in medio populorum multorum quasi ros a Domino et quasi stillae super herbam, quae non exspectat virum et non praestolatur filios hominum.* Praeclare! Iudaei quum ab inimicis sese circumventos viderent, non in hominibus spem suam sed in Deo collocarunt. Mich. 5, 7.

[8] *Et erunt reliquiae Iacob in gentibus in medio populorum multorum quasi leo in iumentis silvarum, et quasi catulus leonis in gregibus pecorum, qui cum transierit et conculcaverit et ceperit, non est qui eruat* [1]). Hostium septuaginta quinque millia a Iudaeis tamquam a leonibus interfecti sunt. Deut. 32. [39] *Et non est qui de manu mea possit eruere.* Idumaei praeterea propter corporis adipem bovibus pecoribusque comparari solent.

[9] *Exaltabitur manus tua super hostes tuos et omnes inimici tui interibunt.* Conferenda sunt Balaamis verba: *Exaltabitur super Agag rex eius* etc. Post hostium cladem supervacanea sunt tela et arma, neque necessariae munitiones. Ad hoc falsorum deorum cultus una cum eius magistris Idumaeis sublatus ac deletus est. Mich. 5, 10–14.

Capite septimo Michaeas primum exponit quanta Iudaei peccata fecerint et quae eis futura sit poena. *Nunc erit vastitas eorum.* Deinde bonorum nomine, *Ego autem*, inquit, *ad Dominum adspiciam, expectabo Deum salvatorem meum, audiet me Deus meus.* Tanta erat spes in Deum, ut Iudaei certo scirent sese, quod peterent impetraturos. Itaque Basanitas et Idumaeos admonet, ne de Hierosolymorum ruina nimia laetitia efferantur. *Ne laeteris, inimica mea, super me, quia cecidi.* Futurum enim, ut Iudaei ex ruina sepulcrisque surgant.

---

1) De Mardochaica victoria hunc locum esse vidit Calmet. Comm. ad h. l.

Mich. 7. *Consurgam cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est.* Neque enim populum suum Deus deseruit, sed propter peccata castigavit. *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam iudicet et faciat iudicium meum.* Illustris erat in Mardochaeo patientia, quum durissimam calamitatem perferret exspectans divinum auxilium. 9. *Educet me in lucem videbo iustitiam eius.* Hoc ita factum esse, testatur libri Estherae scriptor: *Iudaeis autem nova lux oriri visa est* [1]). Propheta orationem item ad Idumaeos convertit: 10. *Et aspiciet inimica mea et operietur confusione, quae dicit ad me: Ubi est Dominus Deus tuus?* Idumaei superbia elati, quum Iudaeos trucidare constituissent, et eos et eorum deum despexerunt, quod ex Mardochaei oratione satis cognitum est. Sed a Deo haec res ita conversa est, ut Iudaei victores essent hostesque suos occiderent: 10. *Oculi mei videbunt in eam (inimicam) nunc erit in conculcationem ut lutum platearum.* Postremo describit, quid futurum sit post Hierosolymorum aedificationem.

Iam pauca dicenda sunt de Nahum cuius totum vaticinium est de Nini expugnatione. Quominus Ninum Cyaxares caperet, prohibuerat Scytharum impetus. Hi enim Nabuchodonosori quum saepius subsidio tum vero eis temporibus saluti fuerant. Paucis annis post horum cladem Ninus, ditissima urbs, caput totius Asiae, funditus sublata est. Quoniam igitur Scytharum occisio cum urbis illius expugnatione coniuncta et connexa fuit, propheta quum de illa diceret, hanc non potuit non commemorare. Eius autem mentionem fecit his quidem verbis:

Nah. 3. 16. *Bruchus expansus est (invasit) et avolavit.* Bruchus est Sacarum rex Amadathas qui quum Nabuchodonosori opem tulisset, paucis post annis occisus est.

---

1) Esth. 8, 16.

17. *Custodes tui quasi locustae et parvuli (equites)* [1] *tui quasi locustae locustarum.* Locustae i. e. Scythae, qui Nini expugnationem impediverant, subtiliter appellantur custodes. Nah. 3, 17.

17. *Quae (locustae) considunt in sepibus in die frigoris. sol ortus est et avolaverunt et non est cognitus locus earum, ubi fuerint.* Elegantissime. Quemadmodum locustae frigore correptae, considunt, deinde primo solis calore avolant: sic repente Scytharum copiae adveniente Deo evanuerunt.

18. *Dormitaverunt pastores tui rex Assur.* Scythae, qui regem eiusque copias defenderant, dormiunt, mortui sunt.

§. 8.

Quid de re Estheriana vaticinatus sit Habacuc?

Habacuc primum vaticinium edidit de Chaldaeis, in quo Idumaeos his verbis tetigit: 8. *Equites (namque) eius (Chaldaei) de longe (ex Scythia) venient, volabunt quasi aquila festinans ad comedendum.* Alterum autem oraculum conscripsit de Amane. Quum enim priores prophetae Scythici populi caedem satis adumbrasseut, reliquum erat, ut Amanis interitus qualis futurus esset, exponeretur. Propheta igitur breviter praefatus, vaticinium ita exorditur.

Hab. 2. 5. *Et quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus et non decorabitur.* Multum discrepant verba Hebraica: *Vir superbus in vino praevaricans non habitabit.* Quibus designatur Aman, qui superbia ductus Mardochaeum, a quo despectum se putavit, interficere studuit. Vinum autem Aman Scythice bibit. Sed quod

1) מפסר iddem quod פרש, satrapa, eques.

Hab. 2, 5. incepit, non *ad finem perduxit* (LXX), neque ex sententia ei *successit* (Symm.) Sed inceptum Amanis moresque accuratius describuntur.

5. *Qui dilatavit quasi infernus animam suam, et ipse quasi mors, et non adimpletur,* Aman, quum consilium caperet ut Iudaicam gentem omnem trucidaret, tamquam infernum eorum animas devoravit. Cupiditas occidendi in eo ut in morte erat insatiabilis.

5. *Et congregabit ad se omnes gentes et coacervabit ad se omnes populos.* Scythae in Asiam venerant cnm magna aliarum gentium multitudine. Aman autem litteris illis, quas Cyaxaris nomine scripsit, populos omnes sibi socios adscivit.

6. *Numquid non omnes isti super eum parabolam sument, et loquelam aenigmatum eius et dicetur: Vae ei, qui multiplicat non sua? usquequo et aggravat contra se densum lutum?* Haec eadem vaticinatus est Abdias: *viri foederis tui illuserunt tibi.* Habacuc autem Amanis avaritiam et praedationes deridet: *qui multiplicat non sibi, et aggravat collare suum graviter* (LXX).

7. *Numquid non repente consurgent qui mordeant te, et suscitabuntur lacerantes te, et eris in rapinam eis.* Iudaei e sommo excitati et quasi novam vitam virtutemque nacti Scythas deleverunt.

8. *Quia tu spoliasti gentes multas. spoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populis propter sanguinem hominis et iniquitatem (rapinas) terrae civitatis et omnium habitantium in ea.* Verba postrema *propter rapinas terrae* etc. vel de terra sancta vel de cuncta Asia intelligi possunt. Occisi sunt autem spoliatores a Iudaeis, spoliati a reliquis gentibus.

Quae sequuntur, 9–12, de aedium urbisque aedificatione, vel ad Damasci munitionem vel ad Amanis

domum, quam fortasse sibi Susis faciendam curaverat [1]), Hab. 2, 8.
referenda puto.

13. *Numquid non haec sunt a Domino exercituum? Laborabunt enim populi in multo igne et gentes in vacuum et deficient.* 14. *Quia replebitur terra, ut cognoscant gloriam Domini, quasi aquae operientes mare.* Scythae imperium opes divitias non sibi paraverant sed *igni*, *in vacuum*, frustra, ut ea ab igne, qui omnia delet, consumerentur. Quum Iudaei vincerent, apparuit gloria Dei.

15. *Vae qui potum dat amico suo, mittens fel suum et inebrians, ut adspiciat nuditatem eius.* Qui ad supplicium ducebantur, ne dolores sentirent, vino vel aceto fortissimo et felle, solebant inebriari ac dein nudi patibulo affigi. Avebat Aman Mardochaeum felle ebrium vestibusque spoliatum suspensumque in cruce adspicere.

16. *Repletus es ignominia pro gloria*, quum ad regem Assuerum accederes rogatum, ut Mardochaeus crucifigeretur.

16. *Bibe tu quoque (ipse) et consopire (denudare praeputium).* Quo die Mardochaeo patibulum paraveras, eodem ipse es suspensus. Praeputium autem tibi iam ita probro ignominiaeque est, quanto magis nudo in cruce pendenti.

16. *Circumdabit te (vertitur ad te) calix dexterae Domini.* Non dilecto suo Dominus, sed tibi calicem porrigit, plenum, abundantem, quem bibere sine vomitu vix poteris.

16. *Et vomitus ignominiae super gloriam tuam.* Qui dominati sunt mundo, Aman et Satana, quum sanctum Israel ad extremam ingominiam detraxisse putarent, ipsi

---

1) Esth. 8, 1. 7.

Hab. 2, 16. turpissima macula notati in aeterna tenebrarum vincula coniecti sunt.

17. *Quia iniquitas Libani operiet te.* Aphecae in Libani iugis celeberrimum Damascenis erat Cereris Venerisque fanum.

17. *Et vastitas animalium deterrebit eos de sanguinibus hominum et iniquitate terrae et civitatis et omnium habitantium in ea.* Haec etiam ita reddi possuut: *Et vastitas animalium conteret te proper sanguinem hominum*, ut supra v. 8. Mortuorum corpora animalibus pastui data sunt.

Denique Idumaeos increpat, qui in deis sitam salutem crediderunt suam multasque gentes alias ad falsam religionem seduxerunt. *Deos vanos esse dicit et inanes. Dominus autem*, inquit, *in templo sancto suo, sileat a facie eius omnis terra.*

Capite tertio Habacuc de Domino cecinit; qui per Mardochaeum et per Iesum Christum suos ab inimicis liberatum venit. Singula proprie non de Cyro sed de Idumaeis et de victoria Estherae explicanda sunt.

CAPVT QVARTVM

DE VATICINIIS IESAIAE.

---

§. 9.

De Mardochaeo.

Quoniam superiores prophetae multum de Mardochaeo eiusque victoria vaticinati sunt, certo statuere possumus ea de re non reticuisse posteriores. Iesaias igitur tum primum de Idumaeorum clade loquendi occasionem na-

ctus est, quum eorum rex Rasin una cum Phacee Hierosolyma oppugnaret. Etenim Achaz Iudaeorum rex a fide alienus divinum auxilium recusavit neque suis viribus vincere Idumaeos potuit. Quamobrem Iesaias fore dixit, ut Mardochaeus alia tribu ortus ex Idumaeis victoriam referret. Huius autem vaticinii pars una proprie ad Iesum Christum spectat, altera vero ad Mardochaeum. Iudaei autem vaticinium totum ad Ezechiam regem retulerunt, ut Christianorum de Messia argumentationes vitarent [1]). Quidam vero ex veteribus Christianis de Emmanuele filio Iesaiae interpretati sunt, quem ullum fuisse nescimus [2]). Recentiores autem de eo Iesaiae filio, cuius mentio est in capite octavo. Sed iam de loco ipso videamus. Ies. 7, 13.

Ies. 7. 13. *Et dixit (Iesaias): Audite ergo domus David, numquid parum vobis est, molestos esse hominibus quia molesti estis et Deo meo.* Reges non modo prophetas ne vaticinarentur deterruerunt, sed Deum ipsum impietate sua impedire conati sunt, quominus miracula faceret, victoriam daret, potentiam hostibus declararet.

14. *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Haec ut dixi proprie ad Iesum referenda sunt. Peperit enim Maria sine voluntate viri ex Spiritu Sancto.

15. *Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum.* Infantium cibo nutrietur, ut infantium animum retineat, innocentiam conservet, humilitatem colat et obedientiam. Illuminati sunt oculi Ionathae, quum paullulum de melle gustasset [3]). Illuminati

1) Hieron. in h. l.
2) Idem.
3) I. Regg. 14, 27.

Ies 7, 15. oculi Mardochaei, ut divinum quod Saulus neglexerat, imperium conficeret. Graeci interpretati sunt hoc modo: *Butyrum et mel comedet antequam sciat* etc. i. e. Emmanuel, dum infans erit, in patria terra, quae lacte et melle fluit, morabitur; puer autem iam in exsilium migrabit. Mardochaeus, octo vel decem annos natus, in Babyloniam deductus est.

16. *Quia antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris a facie duorum regum suorum.* Iuda terra illa est, de qua Achaz timuit a facie regum Rasin et Phacee. Mardochaeus puerulus in exsilium pulsus est cum rege Ioachimo [1]. Qua de re in Regnum libro ita scriptum est: *Et transtulit (Nabuchodonosor) omnem Ierusalem et universos principes et omnes fortes exercitus decem milia in captivitatem et omnem artificem et clusorem, nihilque relictum est, exceptis pauperibus populi terrae.* Sed dum Mardochaeus Emmanuel in Babylonia exsulabit, rex Assyriorum per Idumaeos Amorraeosque terram vastabit, urbem evertet, templum delebit. Haec iam explicanda sunt, ut dein quae pro tantis maleficiis Idumaeis poena futura sit dicatur.

17. *Adducet Dominus super te et super populum tuum et super domum patris tui dies, qui non venerunt a diebus separationis Ephraim a Iuda, cum rege Assyriorum.* Davide et Salomone regibus Iudaeorum res floruerunt. Post Salomonem mortuum magis magisque in deterius sunt delapsae. Sed urbs numquam eversa, nec templum deletum aut regnum Davidis posteris detractum.

18. *Et erit in die illa sibilabit Dominus muscae quae est in extremo fluminum Aegypti, et api quae est in*

---

1) Esth. 2, 6.

terra Assur. Muscae et apes vocantur populi sagittarii Ies. 7, 18.
propter sagittarum cum aculeis similitudinem. Flumen Aegypti (LXX) ab Aegypto Idumaeam dividit. Muscae igitur illi Idumaei sunt, qui montem Seir incolebant. Apes qui sint, ex aliis libris discendum. Ita enim appellantur Amorraei (Sacae) et Amalecitae Deut. 1, 44: *Itaque egressus Amorraeus (et Amalec), qui habitabat in montibus et obviam veniens persecutus est vos; sicut solent apes persequi*. Et Ps. 117, 12. qui psalmus de Idumaeis victis in valle Iosaphatis recitatus est: *Circumdederunt me sicut apes*. Apes igitur Amalecitae et Amorraei sunt, qui in Scythiam extremam Assyriae partem pulsi, inde Nabuchodonosori subvenerunt.

19. *Et venient et requiescent omnes in torrentibus vallium et in cavernis petrarum et in omnibus frutetis et in universis foraminibus*. Idumaei et Sacae, quorum utrique, domiciliorum ratione habita, Troglodytae vocandi sunt, ad pristinas sedes redibunt, ut Iudaeos opprimant.

20. *In die illa radet Dominus in novacula conducta in his, qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum caput et pilos pedum et barbam universam*. Arabes, ut Dionyso similes essent, capillos, ut testantur Herodotus et Ieremias [1]), tondere solebant. In hanc eamdem consuetudinem sine dubio Amalecitae inducti sunt, qui etiam Dionysum coluerunt. Quare Idumaei, qui ab Assyriis sunt manubiarum mercede conducti, apte comparantur novaculae, quae Iudaeos summa ignominia afficiat. Neque enim Idumaei barbae dimidiam partem solum, quod in Davidis servis Hanon fecit [2]), sed totam barbam Iudaeorum et pilos pedum raserunt, ita ut vestibus et eo

1) Herodt. 3, 8. Ierem. 9, 26. 25, 23. 49, 32.
2) II. Regg. 10, 4.

Ies. 7, 20. tegumento quod natura dedit spoliati gentibus risui et illusioni essent. Sunt autem haec poetice dicta. Eiusmodi enim verecundia erat, quam Iudaei senserunt, quum urbe capta, templo sublato, rege occiso in captivitatem ducerentur.

His ita expositis, vates vv. 21–25 vinetorum excisionem urbium agrorum depopulationem ac totius terrae vastitatem describit. Sed tanta in Iudaeos crimina poena consequitur. Quare proximum esse dicit 8, 1–4. ut ab Assyriis Damascus destruatur. Deinde futurum, ut tamquam flumen magnum Assyriorum exercitus quum reliquam terram tum vero tribus Iuda et Beniamin inundet. Quo facto, fore magnam Iudaeorum victoriam. Prophetae autem verba haec sunt:

Ies. 8. [6.] *Pro eo quod abiecit populus iste aquas Siloe quae vadunt cum silentio et assumpsit magis Rasin et filium Romeliae,* [7.] *propter hoc, ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes et multas regem Assyriorum et omnem gloriam eius et ascendet super omnes rivos eius et fluet super universas ripas eius.* [8.] *Et ibit per Iudam, inundans, et transiens usque ad collum veniet.* Tribus Iuda nihil ex hac inundatione salvare potuit praeter caput, praeter vitam. Sed pertinebat inundatio etiam ad tribum Mardochaei.

[8.] *Et erit extensio alarum eius et implens latitudinem terrae tuae, o Emmanuel.* Sed nomen Emmanuel salutem Iudaeis fore victoriamque indicat.

[9.] *Congregamini populi et vincimini, et audite universae procul terrae: confortamini et vincimini, accingite vos et vincimini.* [10.] *Inite consilium et dissipabitur, loquimini verbum et non fiet, quia nobiscum Deus.* Amanis et Idumaeorum machinationes frustra susceptae, his verbis ante oculos positae sunt.

Si superiora Iesaiae vaticinia et ad Mardochaeum et

ad eum, cuius ille quasi partes gessit, recte probeque Ies. 9, 1.
retuli; non dubito de eisdem Ies. 9, 1–7. interpretari, qui locus superioribus maxime coniunctus est.

Ies. 9, 1. *Primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Nephthali; et novissimo aggravata est via maris trans Iordanem Galilaeae gentium.* Plerique haec de Theglathphalassare accipiunt, qui tribus Zabulon et Nephthali in exsilium duxit. Equidem aliam interpretationem proponere non audeo. Haec tantum commemoraverim, Zabulon et Nephthali Iudicum tempore, Debbora adhortante, de Amalecitis gloriosam illam viriam reportasse; novissimo autem tempore i. e. Mardochaeo duce, easdem tribus in delendis Scythis et sepeliendis maxime virtute ac forditudine excelluisse. Graeci ita: *Hoc primum bibe, velociter fac terra Zabulon et Nephthali etc.* Quibus verbis admonentur, ut primum miseriarum calicem bibant, deinde velociter ad ulciscendos inimicos accedant.

2. *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis.* In tenebris atque in umbra mortis versabantur Iudaei omnes, quum eis ab Amane dies supplicii constitutus esset. Mardochaeus, ut alius propheta vaticinatus et libri Estherae scriptor testatus est, eis tamquam lux oriri videbatur. Gerebat autem ille quidem similitudinem Christi, quare eadem illa verba ad Iesum salvatorem nostrum transferri oportet.

3. *Multiplicasti gentem et non magnificasti laetitiam. Laetabuntur coram te sicut qui laetantur in messe, sicut exsultant victores capta praeda. quando dividunt spolia.* Ut laetissima *messe*, sic Idumaeorum caede gaudebant. Eadem metaphora etiam apud prophetas superiores. Exsultabant *ut victores*, propterea quod spoliatores ceperant, non spolia.

Ies. 9, 4. [4] *Iugum enim oneris eius et virgam humeri eius et sceptrum exactoris eius superasti sicut in die Madian.* Celeberrima erat Gedeonis non de Madianitis solum sed de eisdem etiam Amalecitis reportata victoria. Eidem illi, ut tunc a Gedeone, sic postea a Mardochaeo devicti superatique sunt.

[5] *Quia omnis violenta praedatio cum tumultu et vestimentum mistum sanguine erit in combustionem et cibus ignis.* Hostium vestimenta sanguinea praedamque omnem non diripuerunt Iudaei sed igni tradiderunt; qua de re supra a nobis accuratius dictum est. Quae sequuntur ad eum spectant, cuius speciem gessit Mardochaeus.

§. 10.

De Damascenis et Scythis.

Magna est de capite decimo septimo, maior etiam de eo quod sequitur interpretum dissensio. Postremam prioris capitis partem Eusebius de impiorum gente a diabolo agitata explicavit. Hieronymus autem et Ephraem Syrus eam de Sannacheribo intellexerunt. Huius memoriae scriptores retulerunt ad ipsos Israelitas. Caput autem XVIII. quidam ad Aegyptum, nonnulli ad Iudaeam spectare dixerunt, complures ad Aethiopiam, alii ad Indiam. Neque defuerunt, qui ad insulas Americanas id pertinere putarent. Nos his duobus capitibus unum iddemque contineri vaticinium dicimus. Pertinet enim totum ad Amalecitas, qui primum Damascum postea Scythiam incolebant. Praedicuntur autem duo Amalecitarum iudicia, quorum unum in Damasci eversione cernitur, alterum in ea caede, quae a Mardochaeo facta est. Haec quidem in universum.

Ies. 17. [1] *Onus Damasci. Ecce Damascus desinet esse civitas et erit sicut acervus lapidum in ruina.* Iam

antea Iesaias 8, 4. tribus fere post annis Damascum ca- Ies. 17, 1.
ptum iri dixit.

2. *Derelictae civitates Aroer gregibus erunt, et requiescent ibi, et non erit qui exterreat.* Civitates Aroer in Moabitarum finibus, qui eo tempore Syris parebant. Belli socii quum essent, etiam interitus societate coniuncti sunt. Haec videtur esse causa, cur proxime post Moabitas de Damascenis loquatur ad eosque in hoc vaticinio respiciat.

3. *Et cessabit adiutorium ab Ephraim et regnum a Damasco.* Rex Rasin interfectus, populus in exsilium pulsus. De priore iudicio propheta dixit; quale futurum sit alterum, iam aggreditur exponere.

3. *Et reliquiae Syriae sicut gloria filiorum Israel erunt; dicit Dominus exercituum.* Qui ex Syria reliqui erant, in Scythiam sunt translati. Inde reversi atque a Mardochaeo interfecti *filiis Israel gloriae fuerunt.*

4. *Et erit in die illa attenuabitur gloria Iacob et pinguedo carnis eius marcescet.* De his verbis alio loco dictum est.

5. *Et erit sicut congregans in messe quod restiterit, et brachium eius spicas leget et erit sicut quaerens spicas in valle Raphaim.* Quidquid Theglathphalassar reliquit, id collegerunt Iudaei; quum eos occiderent, qui antea in valle Raphaim i. e. in valle Bethsan habitaverant.

6. *Et relinquetur in eo sicut racemus et sicut excussio oleae duarum vel trium olivarum in summitate rami, sive quatuor aut quinque in cacuminibus eius fructus eius, dicit Dominus Deus Israel.* Praeclare. Qui olivas colligunt, in extremis ramis vel in summa arbore paucas, quas attingere nequeunt, coguntur relinquere. Iudaei Scytharum nonnullos, quos comprehendere non potuerunt, inviti reliquerunt. Ex illis nati sunt Idu-

Ies. 17, 6. maei ei, qui Tito in expugnandis Hierosolymis opem tulerunt.

7. *In die illa inclinabitur homo ad factorem suum et oculi eius ad sanctum Israel respicient,* 8. *et non inclinabitur ad altaria, quae fecerunt manus eius, et quae operati sunt digiti eius non respiciet lucos et delubra.* De Iudaeorum conversione ad Dominum morumque emendatione diximus, Ioel. 3, 1. Iam propheta quo tempore futura sit Scytharum occisio, accuratius definit.

9. *In die illa erunt civitates fortitudinis eius derelictae sicut aratra et segetes (Amorraei et Hevaei) quae derelictae sunt a facie filiorum Israel, et eris deserta.* 10. *Quia oblita es Dei salvatoris tui, et fortis adiutoris tui non es recordata.* Vt Amorraeorum Hevaeorumque urbes desertae et eversae erant, quum Israelitae Iosue duce terram sanctam invaderent: sic Israelitarum tum et Damascenorum oppida sublata erant, quum in Asia Scythae trucidabantur. Iam nonnulla propheta adiungit, ex quibus captivorum in exsilio ratio et conditio cognosci possit.

10. *Propterea plantabis plantationem fidelem et germen alienum seminabis.* 11. *In die plantationis tuae labrusca et mane semen tuum florebit; ablata est messis in die hereditatis et dolebit graviter.* Incredibilis scripturarum varietas. Septuaginta ita: *Ideoque plantabis plantationem infidelem et semen infidele. Quacumque die plantaveris, errabis. Mane autem si seminaveris, florebit in messem, quacumque die hereditaveris et tamquam pater hominis hereditatem distribues filiis tuis.* Iam quantam hominum multitudinem Damasceni vel Scythae adducturi sint, propheta antenuntiat.

12. *Vae multitudini populorum multorum ut multitudo maris sonantis, et tumultus turbarum sicut sonitus aquarum multarum.* 13. *Sonabunt populi sicut sonitus*

aquarum inundantium. Scytharum in Asiam incursio erit quasi quaedam terrae inundatio. Ies. 17, 6.

13. *Et increpabit eum et fugiet procul et rapietur sicut pulvis montium a facie venti et sicut turbo coram tempestate.* Sed Dominus mari illi ventisque imperavit, et repentina nec exspectata tranquillitas consecuta est. Scythas enim multitudinis duces subito trucidavit. Sed quo tempore id a Domino factum sit, accuratius exponitur.

14. *In tempore vespere et ecce turbatio; in matutino et non subsistet.* Qui ad coenam invitati erant eos Iudaei adoriuntur. In omnibus provinciis perturbatio. Noctu eos interficiunt. Mane inimici supersunt nulli.

14. *Haec est pars eorum, qui vastaverunt nos et sors diripientium nos.* Ac de Damascenorum exsilio et exitio propheta dixit. Sed haec nimis breviter. Quamobrem ea magis explananda et in describenda re Estheriana diutius commorandum putavit.

Ies. 18. 1. *Vae terrae cymbalo alarum, quae est trans flumina Aethiopiae.* Hebraicum צלצל, quod Latine *cymbalum* dictum est, haud multum a חסיל differt significatque *gryllum* vel *bruchum.* Deut. 28, 42: *Omnes arbores tuas et fruges terrae tuae rubigo (bruchus) consumet.* Est igitur *bruchus alarum* iddem quod locusta alata, quo verbo poetice etiam ab aliis prophetis Scythas designari scimus. Scythiam ergo hoc loco intelligendam dicimus. Sed quid sibi illud: *quae est ultra flumina Aethiopiae* (כוש)? Nonne in errore videtur esse propheta? Hic quidem minime, sed ei potius qui sunt geographiae et historiae parum periti. Aethiopes enim erant Colchi, qui ad Pontum Euxinum habitabant. Nomen eorum *Coxi* vel *Cochi* Graeci, interposita littera *l*, paulum mitigarunt. Maxima fuit in eorum finibus urbs Cuth-a (כוש, כות). Sed haec res propriam commentationem postularet. Nunc de ea lectores velim Herodotum inspi-

Ies. 18, 1. ciant. Terra igitur bruchi alati illius trans Phasim Cyrumque flumina sita est.

2. *Qui mittit in mare legatos et in vasis papyri super aquas.* Ab Amane datae sunt ad omnes praetores litterae. *Mare* et *aquae* item de populorum multitudine accipienda sunt. Sed mirum est quomodo Deus totam rem converterit. Paulo post nuntii a Mardochaeo missi non ad hostes sed ad Iudaeos ipsos currunt.

2. *Ite angeli veloces ad gentem convulsam et dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius, ad gentem exspectantem et conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius.* Omnia perspicua. Iudaeorum terram gentium flumina inundaverant, vastaverant diripuerant. cf. 18, 7.

3. *Omnes habitatores orbis, qui moramini in terra, cum elevatum fuerit signum in montibus, videbitis et clangorem tubae audietis.* Iudaei quasi dato signo uno eodemque tempore in omnibus provinciis in hostes impetum fecerunt.

4. *Quia haec dicit Dominus ad me: Quiescam et considerabo in loco meo, sicut meridiana lux clara est sicut et nubes roris in die messis.* Quum Aman Iudaeorum caedem decrevisset, Deus primum quasi ea de re non curaret, quietus ac tranquillus in coelo remansit. Subito autem super hostes descendit sicut *calor (irae) splendidior igne,* super Iudaeos autem veluti *nubes roris in die aestus.*

5. *Ante messem enim totus effloruit et immatura perfectio germinabit et praecidentur ramusculi eius falcibus et quae derelicta fuerint, abscindentur et excutientur.* Cf. Ies. 17, 11. Qua metaphora reliqui prophetae usi sunt, eamdem etiam Iesaias adhibet, sed paulum immutatam. Quo tempore flos parvam uvam effert, agricolae supervacaneos ramulos resecare solent. Similiter

Deus ad Idumaicam gentem accedet, ut non modo su- Ies. 18, 5.
pervacaneos sed necessarios etiam ramos cum uvis recidat totamque vitem perdat.

6. *Et relinquentur simul avibus montium et bestiis terrae, et aestate perpetua erunt super eum volucres, et omnes bestiae terrae super illum hiemabunt* (*auctumnum transigent* Hebr.). Scythae mense Adar occisi sunt. Caesorum corpora per menses septem i. e. per aestatem totam et auctumnum bestiis avibusque devoranda tradita sunt.

7. *In tempore illo deferetur munus Domino exercituum a populo divulso et dilacerato, a populo terribili, post quem non fuit alius, a gente exspectante et conculcata, cuius diripuerunt flumina terram eius, ad locum nominis Domini exercitum montem Sion.* Vt reliqui prophetae sic etiam Iesaias post Scytharum caedem proximum fore dicit Iudaeorum in patriam reditum. Sacrificium illud Mardochaeus ad montem Sion reversus offerendum curavit.

§. 11.

De Idumaeis et Iudaeis.

Quoniam Idumaei, qui montem Seir incolebant, seiunctum a Damasco regnum habebant, eis etiam separatim Iesaias quid futurum sit praedixit. Perierunt autem ei quidem una cum Damascenis. Neque vero hi solum, sed Cedareni etiam, qui belli societate cum eis coniuncti erant. Iesaiae autem vaticinium hoc est, ut mihi videtur, ad rem Estherianam refereudum.

Ies. 21. 11. *Onus Duma (Idumaeae). Ad me clamat ex Seir: Custos quid de nocte? Custos quid de nocte?* 12. *Dixit custos: Venit mane et nox.* Custos vel vates Idumaeo interroganti respondet, solem lucem diei iam

Ies. 21, 11. in eo esse, ut oriatur, *venit mane*, lucem autem vitae in eo, ut occidat, *et nox*. Quum oriretur sol, Scythae iam occisi erant.

12. *Si quaeritis quaerite, convertimini venite.* 13. *(Onus in Arabia.) In saltu ad vesperam dormietis, in semitis Dedanim.* Quoniam mortis tenebrae proximae sunt, Idumaei a propheta ex Asia revocantur, ut ad quietis locum redeant. Sepulcrum autem eorum est ad vesperam, ad occidentem, in via quae ducit ad Dedanim i. e. ad Graecos Asianos. De eo postea diligentius quaerendum est. Haec quidem propheta ad eos, qui occisi sunt. De fugientibus autem ita loquitur:

14. *Occurrentes sitienti ferte aquam, qui habitatis terram austri (Thaeman), cum panibus occurrite fugienti.* 15. *A facie enim gladiorum fugerunt, a facie gladii imminentis, a facie arcus extenti, a facie gravis proelii.* Qui de Idumaeis Iudaeorum gladios vitare potuerant, eos vates in Thaemanitarum fines venire videt fame et siti paene confectos. Tantus enim eos timor invaserat, ut ne ad vires quidem reficiendas fugam intermitterent.

16. *Quoniam haec dicit Dominus ad me: Adhuc in uno anno, quasi in anno mercenarii et auferetur omnis gloria Cedar.* Idumaei eorumque socii Cedareni multas Iudaeis iniurias intulerant. Mercedem iustam i. e. poenam eam Deus constituit, ut duae illae gentes a Mardochaeo plane fere delerentur.

17. *Et reliquiae numeri sagittariorum fortium de filiis Cedar imminuentur. Dominus enim Deus Israel locutus est.* Gloria Cedar omnino evanuit; pauci tamen sagittarii relicti sunt.

Iesaias capite XXVI. carmen reliquit, quod Iudaeos post reditum recitaturos dicit. Eius pars prior facilis est ad intelligendum. Altera autem proprie explicanda est de victoria Mardochaica. Quod quum quidam ignora-

rent, prophetae sententias parum assecuti sunt. Quare eam partem breviter percurramus. Ies. 26, 9.

Ies. 26. [9] *Quum feceris iudicia tua in terra, iustitiam discent habitatores orbis.* Gentes, quum clarissimam Iudaeorum victoriam viderent, de Dei potentia admiratae sunt, multique ex eis ad veram religionem accesserunt.

[10] *Misereamur impio, et non discet iustitiam: in terra sanctorum iniqua gessit et non videbit gloriam Domini.* Septuaginta: *Cessavit impius et non discet.* Impius ille Idumaeus est, qui terram populumque sanctum multis iniuriis affecit.

[11] *Domine exaltetur manus tua et non videant, videant et confundantur zelantes populi* (LXX: *zelus capiet populum ineruditum*) *et ignis hostes tuos devoret.* Manus Domini ut in Aegypto, sic in Babylonia exaltata est. Idumaei, qui hostes Domini et ineruditi dicuntur, primum quid sibi acciderel non viderunt, postea animadverterunt et perierunt.

[12] *Domine dabis pacem nobis, omnia enim opera nostra operatus es nobis.* Devictis Idumaeis, pax orta est. Victoriae gloria omnis Deo attribuenda.

[13] *Domine Deus noster possederunt nos domini absque te, tantum in te recordemur nominis tui.* Septuaginta: *Domine Deus noster posside nos, Domine extra te alium nescimus, nomen tuum nominamus.* Iudaei antea deis alienis servierunt et in hostium potestatem redacti sunt. Nunc se Deo totos tradunt.

[14] *Morientes non vivant, gigantes (Raphaim) non resurgant, propterea visitasti et contrivisti eos et perdidisti omnem memoriam eorum.* Raphaei, ex quibus Gagaei progeniti dicuntur, pro Idumaeis positi sunt. Idumaei interfecti et sepulti in terram non revertentur. Deus quod promisit, exsolvit, memoriam eorum delevit.

Ies. 26, 15. 15. *Indulsisti genti Domine, indulsisti genti, numquid glorificatus es? elongasti omnes terminos terrae,* 16. *Domine in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis.* Cf. Ose. 2, 14. In rebus secundis Iudaei divinorum praeceptorum obliti sunt, in adversis, quum peccatorum eos poeniteret, Domino obedire coeperunt.

17. *Sicut quae concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus a facie tua Domine.* Iudaeorum dolores, quum ab Amane capitis damnati essent, etiam alii prophetae cum parturientium angoribus contulerunt. Sed Iesaias hanc metaphoram ita amplificat:

18. *Concepimus et quasi parturivimus et peperimus spiritum, salutes non fecimus in terra, ideo non ceciderunt habitatores terrae.* Septuaginta: *peperimus spiritum salutis tuae, quem fecimus super terram, non cademus nos sed cadent omnes habitatores terrae.* Ex doloribus, quibus Iudaei Amanis arrogantia affecti sunt, partus est spiritus poenitentiae et pietatis. Non ipsi ceciderunt, sed Idumaei.

19. *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent; expergiscimini et laudate qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus et terram gigantum (Raphaim) detrahes in ruinam.* Iudaei Amanis decreto mortui quodammodo et sepulti erant. Deus eos visitavit quasi *nubes roris in die aestus.* Et ei quidem surrexerunt, Raphaeorum autem gens et respublica cecidit.

20. *Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio.* Iudaei adhortante Mardochaeo paucos dies in cubicula sua ingressi supplicationes instituerunt; ac Deum placarunt.

21. *Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, ut visi-*

tet iniquitatem habitatoris terrae contra eum. Paterfamilias ut antea Aegyptios sic tum Idumaeos propter iniurias, quas Iudaeis attulerant, ad iudicium suum arcessivit. Ies. 26, 21.

21. *Et revelabit terra sanguinem suum, et non operiet ultra interfectos suos.* Tanta erat interfectorum multitudo, ut terra sanguinem recipere et corpora obruere vix posset.

§. 12.

De Leviathan.

Vaticinium, quod capite XXVII. proxime sequitur, ad Assyrios plerumque vel ad Babylonios trahitur. Sed hoc etiam ad Idumaeos pertinere, pluribus rationibus cognosci posse puto. Primum enim propheta fore dicit, ut Bosra civitas omnino tollatur. Haec autem urbs Idumaeorum erat non Babyloniorum. Ex quo efficitur, etiam cetera mala quae antenuntiantur in eosdem illos Idumaeos cadere. Deinde vero vocem לִוְיָתָן *Leviathan*, quae huic vaticinio inest, haud parvi ad hanc rem momenti esse censeo. Est enim ea quidem composita, significatque *serpentem Than* i. e. *Dionysi.* Than autem ab Assyriis, an ab Idumaeis cultus sit, notum est ex locis superioribus. Denique non in Babylonios totum vaticinium sed in solos Scythas quadrat. Hoc igitur de Scythis explicare conabor, si paucis prius, serpens ille Leviathan quam apud eos vim habuerit, exposuero.

Serpentem igitur soli, quem Appollinem vel Dionysum dicimus, sacrum fuisse, quis ignorat? Sed quemadmodum fieri solet, ut signum pro re indicata substituatur: sic serpens omnino solem vel daemonem significavit. Hoc enim ex omnibus animalibus iste sibi ipse elegerat in paradiso; nec concessit ut posteri ipsius, homines impii, ab hoc signo umquam discederent. Hinc etiam per-

Ies. 27. spicitur, cur ipsum serpentem, capitalem generis humani hostem, Moyses in patibulo suspenderit et haec res quam altam habuerit significationem. Portendit enim, Christum superaturum crucem mortemque, daemonem vero pariter ac serpentem et Amanem, victum in ea remansurum. Sed accedamus ad id, quod propositum est. Scythae qui in libris sacris saepius *servi Dionysii* nuncupantur, etiam ab hoc Deo signa militaria sumpserunt. Nam ut veteres Romani aquilam, ut alii alia signa adhibebant atque in proeliis sequebantur: sic Scythae sibi draconem vel serpentem delegerunt. De hac re diligenter disputavit Arrianus Nicomediensis in eo libro, quem de Tactice inscripsit. Eius verba e Graeco in Latinum vertemus, quoniam ex eis etiam intelligetur, quemadmodum Scythici equites, qui omnes sagittarii erant, in acie versari consueverint. *Scythica signa*, ait Arrianus, *dracones sunt ex contis longitudine naturae conveniente dependentes. Efficiuntur eae quidem consutae ex pannis tinctis, capitibus autem et toto corpore usque ad caudas pares factae serpentibus, ut quam plurimum fieri potest, horrifice illis aequentur; et callida quidem huius rei ratio haec est. Consistentibus equis, nihil videas praeter pannos varie coloratos deorsum propendentes; currentibus vero illis, inflatae tumescunt, ut animalibus quam maxime similes esse videantur; et aliquantum etiam strident ex motus celeritate, vehementi afflatu penetrante. Et haec quidem signa non modo adspectui voluptatem aut terrorem praebent, verum etiam ad distinguendum incursum et ad perturbationem ordinum vitandam utilia sunt. Nam signiferi ad faciendum impetum et receptum peritissimi ad diversas vel inflexiones vel directas excursiones animum attendunt; reliqui nihil curant aliud, quam ut suum quisque signum sectetur; et ita variae sunt reversiones, multifariae rur-*

sus explicationes, multiformes incursus passim facti Ies. 27, 1.
simulque ordines conservant sine ulla confusione [1]). De his igitur draconibus, quibus pro signis utebantur Scythae, propheta ita vaticinatus est:

Ies. 27. 1. *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro et grandi et forti super Leviathan.* Hoc vaticinium ad iddem tempus eamdemque ad rem pertinet, ad quam superius. Quamobcausam recte scriptum est: *in die illa.* Subtilius est quod exstat apud Graecum: *in gladio suo sancto.* Scythas interficere, divinae sanctitatis erat. Sed qui totam Asiam subegerant, occidi non poterant nisi *gladio grandi et forti.* Cf. Ies. 21, 15. Dicit autem propheta *Leviathan*, ut nos de delendis Turcis illud usurpare solemus: *Luna dimidia occidet.* Sed ne de vero serpente Iudaei cogitarent, haec adiunxit:

1. *Serpentem vectem et super Leviathan serpentem tortuosum et occidet cetum, qui in mari est.* Vocat igitur Leviathan *serpentem vectis* vel *conti*, quoniam in conto militibus praeferebatur. *Tortuosum* eum dicit propter flexiones, quas et ventus in signo et signifer in ducendis militibus facere solebat. Pro Leviathan Septuaginta *draconem*, iddem verbum posuerunt quod Arrianus. Praeterea interpretati sunt: *et occidet draconem*, verbis: *qui in mari est*, praetermissis [2]).

2. *In die illa vinea meri cantabit ei.* Vinea Domini gens Iudaica; *vinea meri* vel *vini rubri* i. e. rubra a sanguine caesorum. Quot carmina Iudaei de Scytharum caede cecinerint, postea cognoscemus.

3. *Ego Dominus qui servo eam, repente propinabo ei, ne forte visitetur contra eam, nocte et die servo eam.*

---

1) Arrian. Tact. 35.

2) Cf. Somn. Mard. 4: *Eodemque tempore visi sunt duo immanes dracones secum invicem pugnantes etc.*

Ies. 27, 2. Quanto in discrimine tum Iudaei versati sint, ex divina cura apparet. Hebraeus: *repente rigare faciam eam, ne forte visitent super eam* i. e. repente efficiam ut Iudaei Scytharum sanguinem effundant, ne forte Scythae Iudaeos interficiant.

4. *Indignatio non est mihi?* Scythae ita egerunt, quasi Iudaeorum Deus irasci prorsus non posset.

4. *Quis dabit me spinam et veprem in proelio: gradiar super eam, succendam eam pariter.* Syrus: *Quis ergo posuit in te vepres et spinas? brevi flabo in eam et penitus comburam illam.* Cf. Abd. 18.

5. *An potius tenebit fortitudinem meam, faciet pacem mihi, pacem faciet mihi?* Haec ironice de Scythis, qui se Domino resistere posse somniabant. Manus Domini fortis, contineri non potest; consilium eius iustum, impiis pacem non concedit.

6. *Qui ingrediuntur impetu ad Iacob, florebit et germinabit Israel et implebunt faciem orbis semine.* Verba priora aut cum versu superiore coniungenda sunt, aut cum Syro explicanda: *Quotquot estis de stirpe Iacob scitote.* Israelitas, deletis Scythis, gentem magnam vel *aquas multas* fore, saepius praedictum est.

7. *Numquid iuxta plagam percutientis se percussit eum, aut sicut occidit interfectos eius sic occisus est?* Magis perspicuum est, quod scriptum videmus apud Syrum: *Iddem vulnus, quod inflixit ei, infliget illi, et eadem nece qua extinxit eum, extinguet illum.* Quae machinati sunt Scythae, in eorum ipsorum capita reciderunt.

8. *In mensura contra mensuram, cum abiecta fuerit, iudicabis eam: meditatus est in spiritu suo duro per diem aestus.* Cf. Ies. 18, 4. Syrus: *Mensura qua mensus est condemnabis eum.* Quibus verbis eadem sententia subest, quae superioribus. Edom *meditatus est*

animo suo *duro* crudeli et inhumano, ut trucidaret Israelitas, *die aestus*, quum exsules essent maximisque calamitatibus affecti. Ies. 27, 8.

9. *Idcirco super hoc dimittetur iniquitas domui Iacob: et iste omnis fructus ut auferatur peccatum eius.* Propter maiora Idumaeorum crimina Iudaeis peccata dimissa sunt, quum ad Deum suum se converterent. Cf. Deut. 32, 27.

9. *Cum posuerit omnes lapides altaris sicut lapides cineris allisos, non stabunt luci et delubra.* Cf. Ies. 17, 8. Iudaei post Scytharum caedem falsorum deorum altaria evertere, Cereris signa phallos excidere, imagines Amanis vel Dionysi deiicere coeperunt.

10. *Civitas enim munita desolata erit, speciosa relinquetur et dimittetur quasi desertum: ibi pascetur vitulus et ibi accubabit et consumet summitates eius.* Hebraeus: *Nam civitas Bosra desolata erit, speciosa* (vel *domicilium* vel *habitatrix*) *relicta*. Bosra erat Amalecitarum urbs, in qua Zara dea colebatur. Ad Zaram ipsam vel ad eius templum illud נוה pertinet.

11. *In siccitate messes illius conterentur, mulieres venientes et docentes eam.* Septuaginta: *Et post tempus non erit in ea omne viride quia exsiccatum est; mulieres venientes a dea* (i. e. מאורית Ἥρη Zara luna) *venite*. Aquila: *Mulieres venientes illuminant eam.* Symmachus: *Mulieres venientes et indicantes eam.* Haec ad eas mulieres spectant, quae huic deae in Asia impurum cultum adhibebant.

11. *Non est enim populus sapiens, propterea non miserebitur eius qui fecit eum, et qui formavit eum non parcet ei.* Vt in sapientia omnes cernuntur virtutes, sic in insipientia omnia vitia. Cf. Deut. 32, 28. Abd. 8. etc.

12. *Et erit: in die illa percutiet Dominus ab alveo fluminis usque ad torrentem Aegypti*, i. e. ab Euphrate

Ies 27, 12. usque ad Aegyptum. Idumaei in toto Medorum regno percussi sunt.

12. *Et vos congregabimini unus et unus filii Israel.* 13 *Et erit: In die illa clangetur in tuba magna et venient, qui perditi fuerant de terra Assyriorum et qui eiecti erant in terra Aegypti et adorabunt Dominum in monte sancto in Ierusalem.* Iudaei perditi ab Amane, a Deo autem conservati et paulo post in patriam restituti.

§. 13.

De bruchorum vel Idumaeorum caede.

Estheriana res tanti in vetere historia momenti fuit, ut Iesaias eam omni ex parte iuberetur adumbrare et vaticinando exponere. Tantum autem ei tributum est non ipsi per se, sed propterea quod in ea eorum similitudo et imago erat, quae redemptionis nostrae et iudicii tempore futura erant. Quamobrem equidem minime miror, quod prophetam video ad eam saepius revertere. Capita enim XXXIII. et XXXIV., quae a quibusdam sunt ad Sannacheribum vel ad aetatem Christi relata, item ad Scythicum bellum referenda existimo.

Ies. 33. 1. *Vae qui praedaris, nonne et ipse praedaberis? et qui spernis, nonne et ipse sperneris? Cum consummaveris depraedationem, depraedaberis, cum fatigatus desieris contemnere, contemneris.* Spoliatores (גדוד) nominati sunt Amalecitae. Qui ut accuratissime designarentur, iddem spoliandi verbum שדד a propheta adhibetur. Sed quum totam Asiam spoliassent, ipsi a Iudaeis vita omnibusque rebus spoliati sunt; quum ad summam petulantiam in homines, ad incredibilem procacitatem in Deum pervenissent, ad extremam contemptionem detracti sunt. Sed vates, magna Iudaeorum miseria perpensa, ad Deum pro salute eorum supplex accedit.

2. *Domine miserere nostri; te enim expectavimus, esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis.* Cf. Am. 7, 2. 5. Sed a Deo quod petiit sese statim impetrasse gaudet. Ies. 33, 2.

3. *A voce angeli fugerunt populi et ab exaltatione tua dispersae sunt gentes.* Quum Iudaei in hostes irruerent, gentes, quae cum illis societatem inierant, illico fugatae ac dispersae sunt.

4. *Et congregabuntur spolia vestra sicut colligitur bruchus, velut cum fossae plenae fuerint de eo.* Ex Amalecitis interfectis Iudaei praedam non egerunt; pro exuviis habuerunt eorum cadavera, quae ut bruchorum corpora, in unum locum contulerunt. Vix notandum puto, bruchorum metaphoram etiam Iesaiae probatam fuisse. Cf. Ies. 18, 1. Sed hoc loco verendum erat, ne Iudaei verbis illis ad faciendam praedam impellerentur. Quare exponit, quaenam ex illa victoria spolia agenda sint.

5. *Magnificatus est Dominus, quoniam habitavit in excelso, implevit Sion iudicio et iustitia.* 6. *Et erit fides in temporibus tuis; divitiae salutis sapientia et scientia; timor Domini ipse est thesaurus eius.* Ex illa igitur victoria Iudaei facultates non debuerunt augere sed maiorem quaerere pietatem.

7. *Ecce videntes (eorum Hercules) clamabunt foris; angeli pacis (foederis) amare flebunt.* Summus Idumaeorum deus erat אראל Hercules. Qui quum turpiter suos deseruisset, dignus fuit, qui despiceretur ab omnibus ac tolleretur. Nuntii autem, Amanis socii (*viri pacis* Abd. 7.) qui litteras per Asiam tulerant, illius mortem lugebant.

8. *Dissipatae sunt viae, cessavit transiens per semitam* (LXX: *cessavit timor gentium*), *irritum factum est pactum, proiecit civitates, non reputavit homines.* Amanis litterae provinciarum ducibus frustra traditae sunt.

Ies. 33, 8. Illo enim mortuo, praefectos nullus amplius timor retinuit, quin ad Iudaeorum partes transirent. Pristinum pactum quod eis cum Amane fuit, irritum ac nullum fecerunt.

9. *Luxit et elanguit terra, confusus est Libanus et obsorduit, et factus est Saron sicut desertum, et concussa est Basan et Carmelus.* Non modo Hercules sed etiam terra i. e. Atergatis Scythica clade vehementer permota est. Luget enim terra interitum filiorum adoratorumque suorum. Huius vel, quod iddem est, Veneris fanum in Libano fuit. Quare aptissime vates eum ordinem instituit, ut proxime post terram de hoc eius fano et imagine diceret. Confusa pudoreque affecta est Venus, cuius imago in Libano nuda prostabat. Eadem dea colebatur Iopae. Quamobrem ager Iopensis, qui Saron appellabatur quique fortasse sacer fuit, vastatus esse dicitur. Sed haud sciam an verius Sarion legatur. Solebat enim Hermon i. e. *mons Amonis* etiam Sarion *mons Onis* appellari. Concussa et eversa est Bethsan, qua quidem in urbe Dionysi fanum fuit. Loci autem omnes, Libanus Sarion Bethsan Carmelus, in Idumaeorum potestate erant et eorum deis consecrati.

10. *Nunc consurgam; dicit Dominus, nunc exaltabor, nunc sublevabor.* Dominus se properare dicit, ut hostes iudicet ac perdat. Deletis deis falsis, veri Dei cultus viguit, quum occisis superstitionis magistris, Iudaei divinam religionem docerent.

11. *Concipietis ardorem, parietis stipulam, spiritus vester ut ignis devorabit vos.* 12. *Et erunt populi quasi de incendio cinis, spinae congregatae igni comburentur.* Hanc metaphoram ab Abdia sumptam paulum vel immutavit vel ornavit.

13. *Audite qui longe estis quae fecerim et cognoscite vicini fortitudinem meam.* Cohortatur omnes, ut

ex Scythica clade verum Deum eiusque potentiam agnoscant. Ies. 33, 13.

Iam ad Iudaeos vates verba facere coepit; Dei aeterni verique maiestatem laudibus effert, Sion quem locum sibi ille in sempiternum elegit, exornat ac praedicat. Postea rursus ad gentes orationem suam convertit.

Ies. 34. 1. *Accedite gentes et audite, et populi attendite, audiat terra et plenitudo eius, orbis et omne germen eius!* Quid igitur est, quod illi audire, quid, quod auribus percipere debeant?

2. *Quia indignatio Domini super omnes gentes et furor super universam militiam eorum, interfecit eos et dedit eos in occisionem.* Aman in patibulo suspensus; decem filii trucidati crucique affixi; de eorum exercitu septuaginta quinque millia interfecti.

3. *Interfecti eorum proiicientur et de cadaveribus eorum ascendet foetor, tabescent montes a sanguine eorum.* Vt a Gabaonitis septem Sauli posteri, qui Domino mactati ac crucifixi sunt, per totum annum insepulti sunt proiecti [1]): sic ab Iudaeis Idumaei omnes ubicumque caesi sunt dispersi, per aliquot menses relicti esse dicuntur. Et his profecto deerat pia quaedam mater, quae aves ab eis interdiu et bestias prohiberet noctu [2]). De foetore illa quidem Ioelis verba sunt. Montes sanguine ut pluviarum vi inundantur.

4 *Et tabescet omnis militia coelorum et complicabuntur sicut liber coeli et omnis militia eorum defluet sicut defluit folium de vinea et de ficu.* Non modo Hercules et Atergatis, sed etiam stella Martis ceterique dei coelestes una cum Idumaeis ciciderunt atque interierunt, quum dei esse ac coli desinerent.

1) II. Regg. 21, 6. ss.
2) Ibid.

Ies. 34, 5. 5. *Quoniam inebriatus est in coelo gladius meus, ecce, super Idumaeam descendet et super populum interfectionis meae ad iudicium.* Amalecitis a Deo bellum declaratum erat sempiternum atque infinitum; quare illi recte vocantur *populus interfectionis Dei.*

6. *Gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe, de sanguine agnorum et hircorum, de sanguine medullatorum arietum; victima enim Domini in Bosra et interfectio magna in terra Edom.* De Idumaeorum adipe loco alio dictum est. Tanta adipis in eis erat vis, ut etiam gladius pinguescere videretur. Agni et hirci homines sunt privati. Medullati arietes videntur esse eunuchi, quorum tantus apud eos numerus erat. De Bosris, quae urbs sub Idumaeorum imperio fuit, supra diximus. Scythae tamquam hostiae Domino mactati sunt. Mich. 4, 14.

7. *Et descendent unicornes cum eis et tauri cum potentibus, inebriabitur terra eorum sanguine et humus eorum adipe pinguium.* Vates genere dicendi eleganti usus est et mari. Vnicornes et tauri reges principesque intelligendi sunt.

8. *Quia dies ultionis Domini, annus retributionum iudicii Sion.* De hoc die multi sunt prophetae superiores. Sequitur Idumaeae vastatae descriptio divinis verbis concepta.

§. 14.

In Scytharum caede Deus populi sui adiutor.

Caput XLI. dividendum est in partes tres. Prima, 1-7. ad Mardochaeum, altera, 7-18. ad victoriam Idumaicam pertinet, tertia denique ad superstitiones Idumaeorum ac vaticinationes. Iesaias igitur etiam hoc toto loco tractat de rebus Idumaicis. Primam partem, quam de Mardo-

chaeo esse dicimus, alii retulerunt ad Abrahamum, ad Ies. 41, 1.
Cyrum alii.

Ies. 41. [1] *Taceant ad me insulae et gentes mutent fortitudinem, accedant et tunc loquantur, simul ad iudicium propinquemus.* Idumaei Damasceni colonos in multas insulas deduxerunt. Illas Deus ad audiendum, gentes ad iudicium provocat, ut alterae divinam sententiam cognoscant, alterae experiantur.

[2] *Quis suscitavit ab oriente iustum, vocavit eum, ut sequeretur se.* Iustus ille non Cyrus est sed Mardochaeus, qui quod a Deo mandatum erat strenua obedientia perfecit. Is suscitatus est in oriente, Susis, postea in Iudaeam reversus.

[2] *Dabit in conspectu eius gentes et reges obtinebit.* Primum Amanem regem devicit, Idumaicas gentes occidit, praetores omnes provincias nationesque sibi subegit.

[2] *Dabit quasi pulverem gladio eius (gladium eorum) sicut stipulam vento raptam arcui eius (arcum eorum).* Gladius et arcus praecipua Scytharum arma. Ille Idumaeorum gladios comminuit ut pulverem, et arcus confregit ac contrivit ut stipulam.

[3] *Persequetur eos, transibit in pace (in silentio), semita in pedibus eius non apparebit.* Idumaicos hostes per litteras insecutus est, et una nocte omnes in remotissimis regni partibus cepit, oppressit, trucidavit.

[4] *Quis haec operatus est et fecit vocans generationes ab exordio? Ego Dominus, primus et novissimus ego sum.* Vt Iudaei in proelio superiores, Idumaei inferiores essent, hoc perfectum est ab eo, qui Israelem inde ab initio vocavit, Edomem vero repudiavit.

[5] *Viderunt insulae et timuerunt, extrema terrae obstupuerunt, appropinquaverunt et accesserunt.* Amanem et Amadatham, occisos illos, Cabiros venerabantur insulae, postquam de eorum morte certiores factae sunt;

Ies. 41, 6. ludos Taurios instituerunt Romani. Totus autem orbis ingentis illius caedis admiratione commotus est.

6. *Vnusquisque proximo suo auxiliabitur et fratri suo dicet: Confortare.* 7. *Confortavit faber aerarius percutiens malleo eum, qui cudebat tunc temporis, dicens: Glutino bonum est, et confortavit eum clavis, ut non moveretur.* Israelitae et Iudaei a Scythis prope oppressi non modo periculi sed etiam regis victoriaeque societate inter se coniuncti sunt. Cf. Ioel. 3, 11: *Infirmus dicat, quia fortis ego sum.*

8. *Et tu Israel serve meus, Iacob quem elegi, semen Abraham amici mei,* 9. *in quo apprehendi te ab extremis terrae, et a longinquis eius vocavi te et dixi tibi: Servus meus es tu, elegi te et non abieci te.* Esavum Deus indignum habuit, qui vocaretur semen Abraham. Iacobum elegit, servum suum fecit, amicum familiaremque assumpsit suum. In his quidem rebus causa sita est, cur Israelitae, quamvis ab Idumaeis vexati ac pressi, tamen non debeant desperare spem suam omnem ponentes in Deo. Cf. Os. 1, 10.

10. *Ne timeas, quia ego tecum sum; ne declines, quia ego Deus tuus; confortavi te et auxiliatus sum tibi et suscepit te dextera iusti mei.* Populo suo Deus Babylonicis temporibus opem tulit per Mardochaeum virum iustissimum, postea per sanctum Christum suum.

11. *Ecce confundentur et erubescent omnes qui pugnant adversum te, erunt quasi non sint et peribunt viri qui contradicunt tibi.* Qui vocantur ab Estherae libri scriptore hostes Iudaeorum, eidem ab Iesaia *inimici tui irati* vel *viri litis tuae* vel *iurgii tui.* Non Iudaei peribunt sed Idumaei.

12. *Quaeres eos et non invenies viros rebelles tuos, erunt quasi non sint et veluti consumptio homines bellantes adversum te.* 13. *Quia ego Dominus Deus tuus*

apprehendens manum tuam dicensque tibi: Ne timeas, ego adiuvi te. Suavius consolari pater filium non potest, si is nocturnas insidias timet, quam verbis illis populo suo Deus blanditus est. Ies. 41, 13.

14. *Noli timere vermis Iacob, qui mortui estis ex Israel; ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus, et redemptor tuus sanctus Israel.* Verba, *qui mortui estis* explicatione indigerent, nisi saepius iam explicata et illustrata essent. Sunt enim de Iudaeis, quibus ab Amane moriendi tempus definitum ac decretum erat.

15. *Ego posui te quasi plaustrum triturans novum, habens rostra serrantia: triturabis montes et comminues et colles quasi pulverem pones.* Quas ab aliis similitudines sumpsit, ita exornat, ut omnino novae esse videantur. Non frumentum sed montes et colles, qui sunt homines fortunis potentia facultatibus amplissimi superbiaque elati, triturant Israelitae; quare non bovi erant sed plaustro comparandi.

16. *Ventilabis eos et ventus tollet et turbo disperget eos; et tu exultabis in Domino, in sancto Israel laetaberis.* Hostes subito fugati et quasi vento dissipati sunt. Iudaei de victoria carmina cantare, summa laetitia exsultare festosque dies agere coeperunt.

17. *Egeni et pauperes quaerunt aquas et non sunt; lingua eorum siti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus Israel non derelinquam eos.* 18. *Aperiam in supinis collibus flumina, in medio camporum fontes, ponam desertum in stagna aquarum et terram inviam in rivos aquarum.* Salutem Iudaei et avebant ardentissimo desiderio, et a Domino precibus ieiuniis lacrimisque petebant. Salvati sunt contra omnium spem et exspectationem per Estheram fontem et per Mardochaeum. Illi tunc aperti sunt fontes, de quibus Ies. 12, 3. dixit: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris.* Antiquitus

Ies. 41, 17. autem Iudaei fonte ex saxo parto ab eisdem hostibus vindicati sunt. Hoc toto vaticinio prophetam rem Estherianam tractasse, cognovimus; non debemus tamen ignorare, eum eisdem verbis redemptionem atque Spiritus sancti effusionem complexum esse. Tertia vaticinii pars ad eam rem de qua dicimus minus pertinet; praeterea eam alio loco tetigimus.

Cum ea praedictione, quam modo exposuimus, magnam habet similitudinem ac coniunctionem caput XLIX. Quod vaticinium eo capite continetur, hoc perfecte et omnino evasit tum, quum Christus pro omnibus mortuus Iudaeos et gentes admirabili illa unius ecclesiae societate copulavit. Quidam tamen interpretes aliquos eius locos de Cyro, alii de Iesaia ipso intelligendos putarunt. Nos sic statuimus: hoc vaticinium prorsus spectare ad Mardochaeum ac Christum, ad Sion et Romam, quam in urbem candelabrum spirituale ex monte sancto transtulit Petrus, naturale attulit Titus; ad reditum Iudaeorum ex dispersione atque ad gentium conversionem. Qui loci ad Mardochaeum videntur et ad Christum pertinere, eos satis habeo adscribere.

Ies. 49. 6. *Et dixit: Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Iacob et faeces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae.* Haec, ut dixi, de Mardochaeo, qui sortium dies per cunctam Asiam celebrari iussit, et de Christo, qui totum orbem divina doctrinae suae luce collustravit.

7. *Haec dicit Dominus, redemptor Israel, sanctus eius ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad servum dominorum: Reges videbunt, et consurgent principes et adorabunt propter Dominum, quia fidelis est et sanctus Israel qui elegit te.* Israelitae ab Amane spreti, a Deo reiecti atque abominati, ab Assy-

riis Medisque in servitutem redacti, tandem redempto- Ies. 49, 7.
rem nacti reges ac principes ad veram religionem perduxerunt.

8. *Haec dicit Dominus: In tempore placito exaudivi te et in die salutis auxiliatus sum tui: et servavi te et dedi te in foedus populi, ut suscitares terram (sanctam i. e. populum) et possideres hereditates dissipatas;* 9. *ut diceres his qui vincti sunt: Exite, et his qui in tenebris: Revelamini.* In vinculis erant Iudaei ipsi; in tenebris autem versabantur gentes. Post Mardochaicam victoriam priores illi in patriam redierunt.

De re Estheriana accipienda est etiam extrema pars capitis LI. Iudaei enim, quum templo Hierosolymisque eversis in exsilium ducerentur cf. 51, 3., *calicem irae biberunt usque ad faeces* 51, 17. Vt faeces mortis potarent, cogere eos voluit Aman. De hac re loquitur propheta:

Ies. 51. 21. *Idcirco audi hoc paupercula (filia Sion) et ebria non a vino (laetitiae).* 22. *Haec dicit dominator tuus Dominus et Deus tuus, qui pugnabit pro populo suo: Ecce tuli de manu tua calicem soporis (mortis), fundum calicis indignationis meae, non adiicies, ut bibas illum ultra.* 23. *Et ponam illum in manu eorum (Amanis et Idumaeorum), qui te humiliaverunt et dixerunt animae tuae: Incurvare ut transeamus, et posuisti ut terram corpus tuum et quasi viam transeuntibus.* Deus quum populum suum educeret ex Aegypto, Gog regem *superbum percussit vulneravitque draconem* 51, 9. Sed Gagaeos radicitus delevit draconemque omnino sustulit per Mardochaeum [1]).

---

1) De duobus draconibus cf. Somn. Mard.

§. 15.

De Idumaeorum peccatis et poenis.

Ies. 56. Vaticinatio, quae est Ies. LVI. et LVII., recte a s. Hieronymo probeque explicata est de impiis Iudaeis, qui occiso Domino, Christianos persequi numquam desiterunt. Horum autem partes in exsilio Babylonico similitudinesque egerunt Idumaei, qui Mardochaeum sanctosque aggredi ac trucidare conati sunt. Quamobrem etiam hoc vaticinium vere mihi videor ad Amanem hostesque Iudaeorum referre. Neque enim eorum me movet sententia, qui de Iudaeis ipsis ab Assyriorum rege captis interfectisque hunc locum interpretandum putarunt. Sunt enim multa, quae non intelligo quomodo illi explicare possint. At vaticinium, si ad Idumaeos referetur, facile et retenta propria verborum significatione illustrabitur. Sunt enim sententiae omnes fere notae et ab aliis prophetis de Idumaeis prolatae.

Antea Iesaias vaticinatus est de Iudaeorum reditu. Dominum enim suos reducturum ait ad montem sanctum. Hoc promissum esse a Deo ipso, *qui congreget dispersos Israel*. Congregandi verbum vinculum est, quo novum vaticinium cum superiore colligatur.

Ies. 56. 8. *Adhuc (item) congregabo ad eum congregatos eius*. LXX: *Congregabo contra eos congregationem*. Sententiarum autem coniunctio haec est: Congregabo dispersos Israel, si prius congregavero contra eos congregationem. Scytharum exercitus ex multis gentibus erat coactus; quod quidem et ex historiae scriptoribus et ex aliis prophetis cognoscitur. Sed Scythas vates iam devictos videt et occisos. Quare ad mortuorum corpora invitat bestias:

9. *Omnes bestiae agri venite ad devorandum, universae bestiae saltus*. Sententia haud ignota. Quod au-

tem ex improviso illi oppressi caesique sunt, hoc argu- Ies. 56, 9.
mento est, caecos esse eorum vates nec quidquam posse providere.

10. *Speculatores eius caeci omnes, nescierunt universi.* Idumaicorum eunuchorum ignorantiam similiter increpuit 41, 20. ss.

10. *Canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes et amantes somnia.* Si latrones ad domum appropinquant, canes solent latrare et antenuntiare. Prophetae Idumaeorum nihil omnino praesenserunt. Sunt igitur illi quidem canes, sed muti, ignavi, somniculosi.

11. *Et canes impudentissimi nescierunt saturitatem.* Canibus similes sunt Idumaei omnes propter insatiabilem et aviditatem rapiendi et libidinum cupiditatem.

11. *Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam.* Idumaeorum inscientia morumque depravatio iam a Moyse ceterisque prophetis vituperata est. Aman ipse eiusque amici Iudaeos persecuti tamquam caeci in perniciem irruerunt.

11. *Omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam a summo usque ad novissimum.* Ad rapinas Idumaeos omnes avaritia incitavit et libido.

12. *Venite sumamus vinum et impleamur ebrietate, et erit sicut hodie, sic et cras et multo amplius.* Scytharum vinolentia nobilitata ac famosa.

Ies. 57. 1. *Iustus perit et non est qui recogitet in corde suo! et viri misericordiae colliguntur quia non est qui intelligat!* Nova haec et inaudita et eadem divinae iustitiae adversaria. Mardochaeus, qui iustus etiam antea a Iesaia vocatus est, crucifigitur; Iudaei homines innocentissimi trucidantur. Haec fieri nequeunt; et tamen in Mardochaeo facta sunt typice, in Christo vere.

1. *A facie enim malitiae collectus est iustus.* Iustus Mardochaeus vocatur et Christus.

Ies. 57, 2. 2. *Veniat pax, requiescat in cubili suo qui ambulavit in directione sua.* Vterque pacem adepti sunt; alter assedit ad Assueri, alter ad Dei patris dexteram. Praeterea ambo illi iustis qui praecepta divina observare volent, pacem animique tranquillitatem pepererunt.

3. *Vos autem accedite huc filii auguratricis, semen adulteri et fornicariae.* Qui divinis mandatis inhaerebunt, ei pacem adipiscentur. At vero ad iudicium citantur Idumaei impii et Iudaei Christi adversarii. In vertendo verbo ענְנָה *auguratrix* Hieronymus se Symmachi interpretationem secutum esse dicit. Theodotio *Onena* nomen retinuit. Septuaginta non verba reddiderunt sed sententiam: *filii iniqui.* Quodsi mecum reputo Septuaginta etiam alia nomina propria ita transferre solitos, in eam sententiam adducor, ut עניה *Anaia* Dianam, Idumaeos *filios Dianae* vocatos esse putem. Filii autem adulteri et fornicariae proprie Amalecitae possunt dici, qui adultero Eliphaz et Thamna meretrice nati sunt. Sed horum verborum vis latius patet. Idumaei enim omnes recte dicuntur adulteri, quoniam, relicto Deo, deos sunt secuti.

4. *Super quem lusistis? super quem dilatastis os et eiecistis linguam?* Idumaei quidem non modo super iustum et eos omnes, qui a patre Isaac benedictionem acceperant sed etiam super Deum ipsum, qui ab illis colebatur: Pharisaei autem super sanctum, qui Deo patri solus placuit, et super apostolos eius et discipulos.

4. *Numquid non vos filii scelesti* (LXX: *perditionis*), *semen mendax?* Filii perditionis Amalecitae et Idumaei, quos perditurum se Deus erat iuratus. Eidem dicuntur semen mendax, quoniam non modo pietatis fructum nullum attulerunt ipsi, verum etiam ex aliorum moribus religionem tollere studuerunt.

5. *Qui consolamini in diis subter omne lignum frondosum immolantes parvulos in torrentibus (vallibus)*

subter eminentes petras. Idumaicae superstitionis erat, Ies. 57, 5.
arbores deis consecrare, liberosque incredibili crudelitate Molocho sacrificare ac comburere.

6. *In partibus torrentis pars tua, haec est sors tua.* LXX: *Illa est pars tua, haec sors tua.* Quae verba ostendunt, hoc caput esse cum superiore coniungendum. Non est alia Idumaeorum sors, quam ut interficiantur et pastui proiiciantur bestiis.

6. *Et ipsis effudisti libamen, obtulisti sacrificium. Numquid super his non indignabor?* De libaminibus et placentis alio loco expositum est. Idumaei igitur non propterea a Deo repudiati sunt, quod sunt ab Edome nati sed quod patrem imitati peccata eius fecerunt sua.

7. *Super montem excelsum et sublimem posuisti cubile tuum et illuc ascendisti, ut immolares hostias.* Propheta voluit intelligi montes Basan ac praeterea Carmelum Hermon Libanum, qui deis consecrati, saepius in libris sacris commemorantur.

8. *Et post ostium et retro postem posuisti memoriale tuum, quia iuxta me discooperuisti* (LXX: *putabas si a me recessisses, te plus aliquid habiturum*) *et suscepisti adulterum, dilatasti cubile tuum et pepegisti cum eis foedus; dilexisti stratum eorum manu aperta.*
9. *Et ornasti te regi unguento et multiplicasti pigmenta tua.* Memorialia illa phalli sunt, quos ad Atergatis et Melyttae fana ponere solebant. Reliqua dicta sunt de meretricibus, quae in fanis illis ab adulteris mercedem acceperunt.

9. *Misisti legatos tuos procul.* Aut ei intelligendi sunt, qui templa Dianae in Graecia insulisque condiderunt, aut quod probabilius est, illi, qui Amanis litteras in omnes provincias pertulerunt. Cuius rei iam antea propheta mentionem fecit.

9. *Et humiliata es usque ad inferos.* Idumaei caesi et ad inferos missi.

Ies. 57, 10. 10. *In multitudine viae tuae laborasti, non dixisti: Quiescam. Vitam manus tuae invenisti, propterea non rogasti.* Scythae longissima itinera susceperunt, ut praedas facerent. Viae autem eorum et consilia omnia prava erant atque turpia. Vixerunt, ut praedixerat Isaac, in gladio, in manu sua. Quamobrem ad divinum iudicium arcessendi sunt.

11. *Pro quo solicita timuisti, quia mentita es et mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo? Quia ego tacens et quasi non videns et mei oblita es.* 12. *Ego annuntiabo iustitiam tuam et opera tua non proderunt tibi.* 13. *Cum clamaveris, liberent te congregati tui.* Recordemur oportet, Idumaeos Abrahami fuisse filios Deoque circumcisionis signo coniunctos. Sed creatorem suum reliquerunt, propterea ab eo deserti eis ipsis gentibus commissi sunt, quas coegerant.

13. *Et omnes eos auferet ventus, tollet aura.* Sed gentes illae omnes subito et una nocte a Iudaeis sunt sublatae.

13. *Qui autem fiduciam habet mei, hereditabit terram et possidebit montem sanctum meum.* Vnde declinaverat v. 2. oratio, eo iam revocatur. Qui mandatis divinis obedientiam, promissis fidem praestabunt, pacem et pristinam possessionem consequentur. De reditu captivorum plura verba facit 14–18. De Idumaeis autem ita perorat:

20. *Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest et redundant fluctus eius in conculcationem et lutum.* 21. *Non est pax impiis, dicit Dominus Deus.* Magnam illam gentium commotionem excitaverant Scythae, qui ipsi migrationis fluctibus in Asiam delati perierunt. Impii, qui dicuntur Idumaei, neque quaesierunt pacem neque umquam invenerunt.

§. 16.

De eo qui torcular calcavit.

De Mardochaeo reliquum est vaticinium omnium praeclarissimum, quod consciptum est capite LXIII. Hoc ex veteribus Christianis quidam de fine mundi esse deque ultimo iudicio docebant [1]). Iudaei contra putabant Babylonicis id temporibus evenisse. Eusebius et Hieronymus, quum Bosra et Edom non dubitarent interpretari allegorice, hoc totum explicarunt de priore Christi non de altero adventu. Recentioribus haud absurdum visum est, iddem de Iuda Machabaeo intelligere. Nos veteres ita sequemur omnes, ut de Mardochaeo illud ac de Iesu Christo redemptore et iudice dicamus explicandum. Sed videamus singula. Ies. 63.

Ies. 63. 1. *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Hominem rubra veste purpureaque ornatum, hominem propheta regium et victorem conspicit ex Idumaeis venientem, ex eorum finibus capiteque redeuntum. Iam quid sit, quod de eo tantopere miretur, copiose et abundanter exponit.

1. *Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae.* Quamvis togatus incedat veste indutus regia, tamen fortitudine singulari belli maximam consecutus est gloriam. Iam admirabilem virum illum ipsum poeta loquentem inducit.

1. *Ego qui loquor iustitiam et propugnator sum ad salvandum.* Novus homo ille non est, neque obscurus aut ignotus. Est enim idem, quem iam antea vates praedicavit iustum, cuius fortia facta laudibus extulit. Est enim Mardochaeus rex, qui *de palatio et de conspectu*

1) Apud Hieron. in h. l.

Ies. 63, 1. *regis egrediens fulgebat vestibus regiis, hyacinthinis videlicet et aereis, coronam auream portans in capite et amictus serico pallio atque purpureo.* Hic quum e domo regia ita exornatus prodiret, populo suo in deliciis fuit, quum autem ex Idumaeorum caede rediret, summae omnibus gentibus admirationi. Propheta igitur, quum ab homine comi illo et affabili primum responsum acceperit, aliud quiddam non dubitat interrogare.

2. *Quare ergo rubrum est indumentum tuum et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Saepius admirati sumus, quomodo Iesaias ad incredibilem quamdam perfectionem perducat similitudines ab aliis assumptas. Caedem Idumaicam cum vindemia prophetae contulerunt superiores. Sed hanc similitudinem ab Iesaia orationis eximio splendore videmus illustratam. Sed Mardochaeus,

3. *Torcular*, inquit, *calcavi solus et de gentibus non est vir mecum.* Rex Saulus, quum Amalecitis bellum inferret, socios adhibuit Idumaeos. Per istos in peccatum adductus est, ab eisdem sacerdotes interfici iussit. Sed istos quidem ego repudiavi, eos ipsos trucidavi solus cum gente mea.

3. *Calcavi eos in furore meo et conculcavi eos in ira mea.* Non ad praedas declinavi. Quare stragem dedi ex hominum memoria maximam. Gentem istam penitus delevi, septuaginta quinque millia internecione occidi.

3. *Et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea et omnia indumenta mea inquinavi.* Homines necavi omnium nocentissimos, qui templum antea saepius depeculati denique incendio deleverunt, qui inde a Moysis antiquissimis temporibus ab iniuriis faciendis numquam destiterunt, qui his ipsis diebus me servilem in modum cruciare, gentem meam uno die necare constituerunt.

4. *Dies enim ultionis in corde meo, annus redem-* Ies. 63, 4.
ptionis meae venit. Tandem igitur iniurias rapinas vexationesque ulti, tandem ab infestissimis hostibus liberati sumus.

5. *Circumspexi et non erat auxiliator, quaesivi et non fuit qui adiuvaret.* Quae Aman hostis de nobis excogitaverat, ea approbavit rex; quae regis nomine mandavit, facere provinciarum parati erant praetores. Humano igitur auxilio omnino destitutus, a Deo opem imploravi. Neque is debilitati periculisque meis defuit. Virtutem enim deminutam auxit, animum demissum erexit.

5. *Et salvavit mihi* (LXX: *eos*) *brachium meum et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.* Etenim me iustum fore et fidelem dictoque suo obedientem cognovit viditque, quantopere ego nomen Idumaicum propter incendium templi detestatus sim. Quamobrem brachium meum confirmavit effecitque, ut iustas quas concepi iras in hostium capita possem effundere.

6. *Et conculcavi populos in furore meo et inebriavi eos in indignatione mea, et detraxi in terram virtutem eorum.* Amani paravit coenam filia mea Esthera; coenatus iste ebriusque ad crucem delatus est. Idumaicis gentibus fieri convivia vinumque apponi iussi; et inebriati omnes ad inferos amandati sunt.

His praedictis, propheta Deo gratias agit, qui populum suum, quum magnam eius de peccatis tristitiam vidisset, ab hostium insidiis faucibusque liberavit. Peccata enim in causa esse, cur ab inimicis victi ac superati, cur e patria exterminati sint. Mardochaicam autem victoriam cum pristina liberatione ex Aegyptiorum servitute comparat. Deum deinde supplex precatur, ut populum in misericordiam tutelamque suam refugientem benigne suscipiat eumque ad se convertat ac salvum velit. Denique denuo de inimicis ita loquitur:

Ies. 63, 18. [18.] *Quasi nihilum possederunt populum sanctum tuum; hostes nostri conculcaverunt sanctificationem tuam.* Ex his verbis rursus cognosci licet, hostes, de quibus hoc vaticinium est, haud alios fuisse quam Idumaeos. Ei enim fuerunt, qui ausi sunt templum intrare violare cremare.

[18.] *Facti sumus quasi in principio, cum non dominareris nostri neque invocaretur nomen tuum super nos.* Vt Aegyptiorum Israelitae servi, sic Assyriorum fuerunt captivi. Neque regem habuerunt, neque templum, neque sacrificium. Iesaias, quum plurimum de Iesu Christo vaticinaretur, rem Mardochaicam aptissimam habuit, ex qua tamquam ex exemplo Iudaeis demonstraret, qualis vera futura esset redemptio. Quare iam magis vereor, ne nonnulla vaticinia ad illam spectantia praetermiserim, quam ne de ea acceperim, quae ad eam minus pertineant. Sed qui haec nostra attente legerit, si quae a nobis praeterita sunt, parvulo labore nulloque errore indagabit.

CAPVT QVINTVM

DE VATICINIIS IEREMIAE.

---

§. 17.

De Iudaeis eorumque periculo et liberatione.

Paucis locis Ieremias de re Estheriana est vaticinatus. Cuius rei quae causa sit, facile videbit is, qui de eius vita temporibusque cogitaverit. Neque enim quidquam aliud fecit, quam ut quibusdam vaticinationibus superiorum prophetarum fidem auctoritatemque confirmaret, suorumque animos, si res adversae evenissent, a despe-

ratione revocaret. Quamobrem eis saepius inculcat, praedictas illas calamitates non ad finem eos et ad interitum adducturas, populi partem salvam fore in patriamque redituram. Sed aliorum vaticinia de rebus Mardochaicis iteravit 30, 4. ss., ne ex suorum memoria ullo modo exciderent. Quo quidem loco orationem non, ut assolet, ad Iudaeos solum sed ad Israelitas etiam convertit. Illorum enim utrosque interficere Aman constituerat. Ier. 30.

Ier. 30. 4. *Et haec verba quae locutus est Dominus ad Israel et ad Iudam.* 5. *Quoniam haec dicit Dominus: vocem terroris audivimus, formido, et non est pax.* Similiter ceteri prophetae. Vox terroris perniciei nuntia fuit atque Israelitas de pestiferis Amanis consiliis certiores fecit. Rem atrocem et horribilem illa ad eos retulit, non pacem.

6. *Interrogate et videte si generat masculus, quare ergo vidi omnis viri manum super lumbum suum quasi parturientis, et conversae sunt universae facies in auruginem.* Eadem metaphora apud reliquos. Amanis litterae tantum Iudaeis dolorem excitaverunt, quantum nisi parientes sentire homines solent numquam.

7. *Vae quia magna dies illa, nec est similis eius, tempusque tribulationis est Iacob.* In tanto discrimine et angustia Iudaica gens neque in Aegypto neque a prima eius memoria umquam erat versata. Neque tamen spes salutis omnino deponenda.

7. *Et ex ipso salvabitur.* Qui Deo eiusque prophetis fidem habent, securi esse de salute sua possunt. Neque enim a malis tantum liberabuntur, sed maxima etiam consequentur bona.

8. *Et erit in die illa, ait Dominus exercituum, conteram iugum eius de collo tuo et vincula eius dirumpam et non dominabuntur ei amplius alieni.* Iugum eis Idumaei imposuerunt Assyriorum socii, eosque vin-

Ier. 30, 8. culis ligatos in exsilium deduxerunt. Neque his rebus contenti, vitae sibi in eos necisque ius ut in servos arrogarunt. Sed iugum confractum, vincula rupta, tyranni illi occisi sunt.

9. *Sed servient Domino Deo suo.* Iudaei, quum ab Idumaeis urgerentur, Deo sese totos commiserunt. Quare hic misericordia paternaque caritate commotus, Mardochaeum eis alterum creavit Davidem.

9. *Et David regi suo, quem suscitabo eis.* Si autem Deum adiutorem, si Mardochaeum vicarium eius regemque habent, timoris omnis sublata causa est.

10. *Tu ergo ne timeas, serve meus Iacob, ait Dominus, neque paveas, Israel, quia ecce ego salvabo te de terra longinqua et semen tuum de terra captivitatis eorum et revertetur Iacob et quiescet et cunctis affluet bonis et non erit quem formidet.* In patriam Iudaei redierunt paucis post annis, quam Mardochaeum conservatorem ducem magistrumque nacti sunt.

11. *Quoniam tecum ego sum, ait Dominus, ut salvem te. Faciam enim consummationem in cunctis gentibus, in quibus dispersi te, te autem non faciam in consummationem, sed castigabo te in iudicio, ut non videaris tibi innoxius.* Iudaei, quum eis ab Amane dolorum faces admoverentur, tamquam igni lustrati ac probati sunt.

§. 18.

De Idumaeis.

Est praeterea vaticinium Ieremiae de Idumaea, quo quae ab aliis prophetis dicta erant Iudaeis in memoriam revocantur.

Ier. 49. 7. *Ad Idumaeam. Haec dicit Dominus exercituum: Numquid non ultra est sapientia in Theman?*

Periit consilium a filiis, inutilis facta est sapientia eorum. Eunuchi vatesque Idumaici suum suorumque interitum nec praevidere ipsi, nec aliis antenuntiare potuerunt. Frustra igitur divinationis artem exercebant. Ier. 49, 7.

8. *Fugite et terga vertite, descendite in voraginem, habitatores Dedan, quoniam perditionem Esau adduxi super eum, tempus visitationis eius.* Fugiendi tempus eis non erat, quoniam subito nec opinantes oppressi caesique sunt. Vt fugerent, propheta hortari ironice videtur.

9. *Si vindemiatores venissent super te, non reliquissent racemum? si fures in nocte, (nonne) rapuissent, quod sufficeret sibi?* Vindemiatores nonnullas semper relinquere uvas solent; multae res anxios furum animos fugiunt. At vero Idumaei ad unum omnes caesi; facultates eorum fortunae divitiaeque universae perditae sunt.

10. *Ego vero discooperui Esau revelavi abscondita eius; et celari non poterit; vastatum est semen eius et fratres eius et vicini eius et non erit.* LXX: *perierunt per manum fratris sui vicini mei et non est.* Iudaei, Mardochaeo duce, quum homines occidissent, domos ingressi sunt, et quaecumque invenerunt, non tamquam praedam abstulerunt sed vastando perdiderunt. Idumaeorum victores Iudaeos fore, ex Graeca interpretatione perspicuum est. *Per manum fratris sui.* Si Vulgatam sequi volemus, eorum, qui Idumaeorum socii fuerunt, enumerationem in psalmis reperiemus.

11. *Relinque pupillos tuos; ego faciam eos vivere, et viduae tuae in me sperabunt.* Ex Theodoreti aliorumque sententia haec ironice dicta sunt. Iudaeis enim imperatum est, ut etiam infantes mulieresque interficerent.

12. *Quia haec dicit Dominus: Ecce quibus non erat iudicium, ut biberent calicem, bibentes bibent; et tu quasi innocens relinqueris? non eris innocens, sed bi-*

Ier. 49, 12. *bens bibes.* Qui cum Mardochaeo in exsilium pulsi sunt, eorum magna pars adolescentes erant. Ei quidem poenam timorisque dolores tolerarunt innocentes; Idumaei contra homines omnium sceleratissimi, quomodo iuste poterant a poenis suppliciisque absolvi?

13. *Quia per memetipsum iuravi, dicit Dominus, quod in solitudinem et in opprobrium et in desertum et in maledictionem erit Bosra; et omnes civitates eius erunt in solitudines sempiternas.* Eadem scripta apud vates alios legimus.

14. *Auditum audivi a Domino et legatus ad gentes missus est: Congregamini et venite contra eam et consurgamus in proelium.* Haec ex Abdia sumpta sunt. Sed dubitare quispiam possit, utrum de Amanis an de Mardochaei litteris dicta sint. Sed ea de Mardochaei nuntiis intelligere malim, quoniam *contra eam* haud fere aliter potest quam de Idumaea accipi.

15. *Ecce enim, parvulum dedi te in gentibus, contemptibilem inter homines.* 16. *Arrogantia tua decepit te et superbia cordis tui, qui habitas in cavernis petrae et apprehendere niteris altitudinem collis; cum exaltaveris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* Haec ex eodem Abdia repetita sunt. Supra a nobis explicata.

17. *Et erit Idumaea deserta; omnis qui transibit per eam, stupebit et sibilabit super omnes plagas eius.* 18. *Sicut subversa est Sodoma et Gomorrha et vicinae eius, ait Dominus, non habitabit ibi vir et non incolet eam filius hominis.* Eamdem rem verbis quidem aliis explicavit Iesaias. Cf. Deut. 32, 32.

19. *Ecce quasi leo ascendet de superbia Iordanis ad pulchritudinem robustam* (LXX: *de medio Iordane ad locum Ethan*); *quia subito currere faciam eum ad illam; et quis erit electus, quem praeponam ei? quis*

enim similis mei? et quis sustinebit me? et quis est iste Ier. 49, 19.
pastor, qui resistat vultui meo? (50, 44. ss.) Idumaeos Mardochaeus rex improviso quasi leo adorietur. Hunc enim eligam, huic meam ipsius potentiam virtutem fortitudinemque tribuam, ut resistere ei nemo omnino neque audeat neque possit.

20. *Propterea audite consilium Domini quod iniit de Edom, et cogitationes eius quas cogitavit de habitatoribus Theman: Si non deiecerint eos parvuli gregis, nisi dissipaverint cum eis habitaculum eorum.* Idumaeos delebunt parvuli gregis, i. e. afflicti, debilitati, moerentes, in summum discrimen adducti; qui tum erant Iudaei per totam Asiam dispersi. Praeterea pueri adolescentesque erant, qui in exsilium ire a Nabuchodonosore sunt coacti. Thren. 1, 5. 18.

21. *A voce ruinae eorum commota est terra, clamor in mari Rubro auditus est vocis eius.* Populi terrae gaudio et admiratione commoti sunt, terra dea ipsa moerore afflicta metuque perterrita est. Idumaea mare Rubrum attingebat. Praeterea in eo mari insulae a Scythis occupatae in Assueri Medorumque potestatem venerunt.

22. *Ecce quasi aquila ascendet et avolabit et expandet alas suas super Bosran; et erit cor fortium Idumaeae in die illa quasi cor mulieris parturientis.* Supplicio Amanis Idumaei perturbati et praeter omnium opinionem circumventi resistere et vim vi repellere non audebant. Quasi cum aquilae incredibili celeritate Bosram Mardochaeus advolavit cepit evertit. Iudaeus proximi sui timoris, pristinae suae fortitudinis Idumaeus erat immemor. Iudaeorum in eo proelio vel nemo vel certe perquam pauci ceciderunt; Idumaeorum contra caesa est multitudo maxima. Ac de hoc vaticinio diximus.

§. 19.

Loci quidam ex Threnis et ex Barucho explicati.

Quoniam Idumaei Assyriorum fortissimi ad capienda Hierosolyma socii fuerant, eorum in Lamentationibus mentionem fieri oportuit. Primum quidem de hostibus haec dicta sunt in universum.

Thren. 1. 22. *Ingrediatur omne malum (maleficium) eorum coram te; et vindemia eos, sicut vindemiasti me propter omnes iniquitates meas.* Haec similitudo superiorum prophetarum, si de Idumaeorum caede loquuntur, propria et peculiaris est. Quare haec verba ad eosdem illos referre cogimur.

Deinde de Idumaeis videntur etiam haec esse intelligenda, quibus non nominatim illi quidem appellati sed satis aperte designati sunt.

Thren. 3. 59. *Vidisti, Domine, iniquitatem illorum adversum me, iudica iudicium meum.* 60. *Vidisti omnem furorem, universas cogitationes eorum adversum me.* 61. *Audisti opprobrium eorum, Domine, omnes cogitationes eorum adversum me,* 62. *labia insurgentium mihi, et meditationes eorum adversum me tota die.* 63. *Sessionem eorum (Iudaeorum) et resurrectionem eorum vide, ego sum psalmus eorum.* 64. *Reddes eis (Idumaeis) vicem, Domine, iuxta opera manuum suarum.* 65. *Dabis eis scutum cordis laborem tuum. Persequeris in furore et conteres eos (Idumaeos) sub coelis, Domine.* Denique quos his verbis antea notaverat in extremis lamentationibus nominavit.

Thren. 4. 21. *Gaude et laetare, filia Edom, quae habitas in terra Hus (Bosra), ad te quoque perveniet calix, inebriaberis atque nudaberis.* 22. *Completa est iniquitas tua, filia Sion, non addet ultra ut transmigret*

te. Visitavit iniquitatem tuam, filia Edom, discooperuit peccata tua. Thren. 4, 22.

Praeterea ad victoriam Mardochaicam verba referenda esse puto, quae sunt apud

Baruch. 4. [24] *Sicut enim viderunt vicinae Sion captivitatem vestram a Deo: sic videbunt et in celeritate salutem vestram a Deo, quae superveniet vobis cum honore magno et splendore aeterno.* Quae ad Iudaeorum reditum haud fere possunt trahi propter verba: *in celeritate.* Reditionem enim longe abesse Ieremias semper testificatur. Neque vero magnam ex ea, quam dicit, laudem existimationemque ceperunt. At Idumaeorum caedes et aeternam eis gloriam attulit, et tum proxime institit.

[25] *Filii patienter sustinete iram, quae supervenit vobis; persecutus est enim te inimicus tuus, sed cito videbis perditionem ipsius et super cervices ipsius ascendes.* Maximam inimicorum cladem proximam esse dicit, quam non credo aliam esse praeter Idumaicam. Hostes enim Iudaei ipsi nullos tum devicerunt, nisi Mardochaeo rege et ductore Scythas.

CAPVT SEXTVM

DE EZECHIELIS VATICINATIONIBVS.

---

§. 20.

De Thaemanitis et Idumaeis.

Munus a Deo iddem Ezechieli ac Moysi traditum est, ut salutem suorum liberationemque ex inimicorum insidiis praediceret; ut eam ipse oculis cerneret populoque leges scriberet in patriam redeunti. Hic quum per totum vitae cursum apud exsules versaretur, in magnis illis di-

Ezech. 20. scriminibus oratione auctoritateque sua mirum quiddam valuit ad augendos animos ac confirmandos. Itaque priorum prophetarum vaticinia, quae sunt de Idumaeis, de Mardochaeo, de resurrectione Iudaeorum Gagaeorumque exitio, vel simpliciter et splendide iteravit vel amplificavit mari illo quo usus est elegantique genere dicendi. Quoniam de his vaticiniis dicendum est, exordiamur ab eo, quod est contra Thaemanitas 20, 45–49. Considerandum est autem Thaemanitas gentem fuisse Idumaicam ob eamque causam verba, quae facta sunt de eis, communiter posse ad Idumaeos omnes referri. Sanctus autem Hieronymus, quum a LXX dissentiens Thaeman austrum interpretaretur, primo hoc vaticinium de Iudaea, post accipiendum de Aegypto putavit. Hunc ita secuti sunt reliqui omnes, ut alterutram eius sententiam probandam sibi ac defendendam sumerent. Omnino autem vaticinii sententia petita est ex Abdia, qui quemadmodum consumeret stipulam ignis, sic fore dixit, ut Iudaei nomen delerent Idumaicum.

Ezech. 20. 45. *Et factus est sermo Domini ad me dicens:* 46. *Fili hominis pone faciem tuam contra viam austri et stilla ad africum et propheta ad saltum agri meridiani.* LXX: *Fili hominis obfirma faciem tuam super Thaeman et specta contra Dagon et vaticinare super saltum ducem Nageb.* Haec Graecorum interpretatio videbitur multum habere probabilitatis, si conferetur loco simillimo Ezech. 21, 2: *Fili hominis pone faciem tuam ad Ierusalem et stilla ad sanctuaria et propheta contra humum Israel.* Hierosolymis enim Thaeman, sanctuario respondet Dagon Idumaeorum deus, humo Israel saltus Nageb.

47. *Et dices saltui meridiano (Nageb). Audi verbum Domini, haec dicit Dominus Deus: Ecce ego succendam in te ignem et comburam in te omne lignum vi-*

ride et omne lignum aridum, non extinguetur flamma succensionis et comburetur in ea omnis facies ab austro usque ad aquilonem. Thaemanitae, qui a mari Rubro sunt ad Scythiam usque dispersi, omnes, senes ac iuvenes, boni et improbi peribunt. Oratio magnam inde elegantiam nacta est, quod sibi in eadem ignis comburentis similitudine constitit. Hanc eamdem similitudinem ad interitum Idumaeorum describendum adhibitam a superioribus esse, vix est, cur iterum iterumque dicam. Ezech. 20, 47.

48. *Et videbit universa caro, quia ego Dominus succendi eam, nec extinguetur.* Ex victoria Estherae homines Deum cognoverunt omnes, qui partim iam antea Asiam incoluerant partim cum Scythis illuc devenerant.

49. *Et dixi: A, a, a, Domine Deus. Ipsi dicunt de me: Numquid non per parabolas loquitur iste?* Idumaei, qui ab omnibus vatibus vocantur insipientes, ne Ezechieli quidem fidem habuerunt, sed addicti eunuchis suis illum veri Dei prophetam contempserunt.

Alterum vaticinium 25, 12. ss. latius ad Idumaeos universos patet. Hoc nihil habet novi. Iddem enim Abdiae Deus antea aperuit, futurum esse, ut illi per Iudaeos penitus delerentur. Quod quum constanter prophetae elocuti sint, eorum reiicienda sententia est, qui ab Assyriis eos putarunt punitos. Nam ex rerum scriptoribus exploratum est, Idumaeos non hostes fuisse Assyriorum sed socios eosque esse a Mardochaeo Iudaeisque extinctos.

Ezech. 25. 12. *Haec dicit Dominus Deus: Pro eo quod fecit Idumaea ultionem, ut se vindicaret de filiis Iuda peccavitque delinquens et vindictam expetivit de eis;* 13. *idcirco haec dicit Dominus Deus: Extendam manum meam super Idumaeam et auferam de ea hominem et iumentum et faciam eam desertam ab austro, et qui sunt in Dedan (et fugientes ex Thaeman) gladio ca-*

Ezech. 25, 14. *dent;* 14. *et dabo ultionem meam super Idumaeam per manum populi mei Israel et facient in Edom iuxta iram meam et furorem meum, et scient vindictam meam, dicit Dominus Deus.* Saulus rex ex Amalecitis contra ac Deus mandaverat praedas egit. Mardochaeus a praeda omnino quidem abstinuit, sed armenta Idumaeorum gregesque iussit perdi. Cetera ex superioribus locis perspicua sunt omnia.

Capite XXXII. propheta Pharaonem de hominibus caesis ita consolatur, ut, quanta sit aliarum gentium clades, ostendat. Enumerat igitur praeter alios etiam eos, qui cum Scythis Asiam vexantes gladio interfecti sunt. In eorum numero ponit Mosoch (Mosc–ow) Thubal (Pol–onos [1]) gentes, quae ab aliis nationibus pulsae una cum Germanis ex Asia in Europam delatae sunt; praeterea Idumaeos vel Scythas.

Ezech. 32. 29. *Ibi Idumaea et reges eius et omnes duces eius, qui dati sunt cum exercitu suo, cum interfectis gladio, et qui cum incircumcisis dormierunt, et cum his qui descendunt in lacum.* Idumaei, qui in patria remanserant, usque ad id tempus signum circumcisionis retinuerant. Sed postea illud spernere coeperunt [2]). Amalecitae autem, qui transducti sunt in Scythiam, id iam pridem negligere didicerant. Quare propheta de Scythis ita:

30. *Ibi principes aquilonis omnes et universi venatores (omnes duces Assur), qui deducti sunt cum interfectis, paventes et in sua fortitudine confusi; qui dormierunt incircumcisi cum interfectis gladio et portaverunt confusionem suam cum his, qui descendunt in lacum.* Principes aquilonis Scythas esse, collatis locis

1) Vt Thu-gorma Germani, sic Thu-bal videntur esse Pol-oni.
2) Ios. Antt. 13, 17.

aliis haud obscurum erit. Nominantur autem eidem etiam duces Assyriorum, quoniam in eorum exercitu principatum semper obtinebant. Memoratu dignum videtur, hoc vaticinium esse quattuor annis ante editum, quam Scythae interfecti sunt, et ea ipsa die mensis, quae proxima post occisionis diem postea solemnis agebatur Ezech. 32, 17. Ezech. 32, 30.

§. 21.

De Mardochaeo et Christo ac de monte Seir.

Quae ab Ezechiele 34, 23. sunt de pastore dicta, allegorice quidem explicari de Mardochaeo possunt, vere et proprie de solo Christo. Pastor enim ille unus vocatur servus Dei, David. Quod nomen Mardochaeo tribui possit allegorice. Neque enim David magis quam hic figuram similitudinemque gessit Christi. Gubernavit enim hic ut David tribus Israel universas. Populum suum aeque atque ille ex potestate liberavit hostium. Atque illius exemplum secutus, psalmos cecinit de Christo ac vaticinia. At vero natus ex tribu Iuda, progenitus e stirpe David erat neutiquam; ob eamque causam illud contra veritatis adversarios tenendum est, proprie hoc vaticinium ac vere non de Mardochaeo neque de Zorobabele neque de alio quoquam praeter solum Davidis Deique filium intelligi ullo modo posse.

Sed primum propheta Iudaeorum reges Israelitarumque in iudicium vocavit, post de plebe eos, qui propter crimina ab Assyriis Chaldaeisque interfecti sunt. Hoc ita fecit, ut elegantissimo pastoris oviumque exemplo uteretur. Quo quidem retento, ita dicere pergit.

Ezech. 34. [23] *Et suscitabo super eas (oves) pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David; ipse pascet eas et ipse erit eis in pastorem.* Salomonici regni

Ezech. 34, 23. divisio a Iudaeis Israelitarum animos mores leges instituta que per plura saecula maxime abalienavit. Assyriacum exsilium eos magis etiam disiunxit. Quibus rebus Deus commotus, ut intestinarum discordiarum finem faceret, regem unum utrisque Mardochaeum, Christumque constituit.

24. *Ego autem Dominus ero eis in Deum, et servus meus David princeps in medio eorum; ego Dominus locutus sum.* Iudaeorum quae Mardochaico tempore facta est ad Deum conversio augurium fuit earum rerum, quae a Christo actae et perfectae sunt.

25. *Et faciam cum eis pactum pacis, et cessare faciam bestias pessimas de terra, et qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus* [1]). Periculo suo pactum fecit pacemque peperit Mardochaeus, sanguine suo Christus. Alter Idumaeos delevit impios ac superstitiosos, alter impietatem sustulit superstitionemque ipsam. In gregis exemplo adhibendo singulari cum subtilitate poeta sibi constitit. Bestiae vocantur Idumaei, qui Iudaeis semper insidiati sunt. Deserta appellantur prata, quae ab agris, vinetis, olivetisque eo differunt quod non coluntur.

26. *Et ponam eos in circuitu collis mei benedictionem, et deducam imbrem in tempore suo; pluviae benedictionis erunt.* 27. *Et dabit lignum agri fructum suum, et terra dabit germen suum; et erunt in terra sua absque timore et scient, quia ego Dominus, cum contrivero catenas iugi eorum et eruero eos de manu imperantium sibi.* 28. *Et non erunt ultra in rapinam in gentibus, neque bestiae terrae devorabunt eos, sed habitabunt con-*

---

1) Hebr.: *Et habitabunt* (bestiae illae) *in deserto in securitate et dormient in silvis.* LXX: *Et habitabunt in deserto et somnum capient in saltibus.* Vulgata melius: *qui habitant in deserto* (i. e. *Scythae nomades*), *securi dormient (morientur) in saltibus.*

fidenter absque ullo terrore. Interfectis Idumaeis, qui erant inimici infestissimi, Iudaei in patria securi ac tuto habitabant. Indicata est etiam eorum ex Babylonica servitute liberatio. Sed eorum post exsilium felix conditio significatio fuit beatitudinis eius, qua fideles in ecclesia perpetuo fruuntur. Eamdem in hanc sententiam accipienda etiam ea sunt, quae sequuntur. Ab hoc vaticinio illud non debet disiungi, quod est de monte Seir vel de Idumaea. Ezech. 34, 28.

Ezech. 35. 1. *Et factus est sermo Domini ad me dicens:* 2. *Fili hominis pone faciem tuam adversum montem Seir et prophetabis de eo et dices illi:* 3. *Haec dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, mons Seir, et extendam manum meam super te et dabo te desolatum atque desertum.* 4. *Vrbes tuas demoliar; et tu desertus eris et scies quia ego Dominus.* Idumaeis per Mardochaeum occisis, eorum fines deserti ac vastati sunt.

5. *Eo quod fueris inimicus sempiternus.* Iddem etiam alii prophetae testati sunt. Quod ex rebus gestis verissimum esse cognoscitur.

5. *Et concluseris filios Israel in manus gladii in tempore afflictionis eorum, in tempore iniquitatis extremae.* Reliquis iniuriis Aman eam maximam cumulavit, ut uno die tota Asia, tot in provinciis uno nuntio atque una litterarum significatione Iudaeos omnes necandos trucidandosque denotaret. Illi quum iam patria pulsi miserique essent, ita in extremam adducti sunt miseriam.

6. *Propterea: Vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam sanguini tradam te et sanguis te persequetur, et quum sanguinem oderis, sanguis persequetur te.* Ezechiel, quod et ipse antea et alii prophetae dixerant, hoc loco denuo declarat. Idumaei ut ipsi Iudaeos consanguineos suos persecuti, sic vicissim ab eis Mardochaeo duce et auctore capti et occisi sunt.

Ezech. 35, 7. 7. *Et dabo montem Seir desolatum atque desertum et auferam de eo euntem et redeuntem* (LXX: *homines et iumenta*). Iudaeos post pugnam Idumaeam depopulatos esse, iumentaque non rapuisse sed occidisse [1], iam a nobis dictum est supra.

8. *Et implebo montes eius occisorum suorum. In collibus tuis et in vallibus tuis atque in torrentibus interfecti gladio eadent.* Septuaginta quinque millia caesorum per totam Asiam dispersa et per plures menses insepulta iacebant.

9. *In solitudines sempiternas tradam te, et civitates tuae non habitabuntur, et scietis quia ego Dominus Deus.* Occisionem incolarum natura ipsa vastitas regionis consecuta est. Deum, quem antea esse negarunt, punitorem experti sunt.

10. *Eo quod dixeris: Duae gentes et duae terrae meae erunt, et hereditate possidebo eas, cum Dominus esset ibi.* Iudaeorum fines, tametsi Domini Dei erant, tamen Idumaei, interfectis illis, occupare cogitabant.

11. *Propterea: Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia faciam iuxta iram tuam et secundum zelum tuum, quem fecisti odio habens eos; et notus efficiar per eos, cum te iudicavero.* Asiatici populi omnes Deo, quum saluti eum Iudaeis fuisse viderent, victoriae laudem gloriamque tribuerunt, quamquam verum esse eum et unicum Deum ignorabant.

12. *Et scies quia ego Dominus audivi universa opprobria tua, quae locutus es de montibus Israel, dicens: Deserti, nobis ad devorandum dati sunt.* Vt regio deserta parvulo labore nullo oppugnante occupatur: sic Iudaei omni humano auxilio destituti inulti posse

---

1) Iumenta etiam eunuchi principesque illi pingues intelligi possunt, qui alibi nominantur tauri.

occidi et urbes eis finesque eripi videbantur. Sed custodem sese populi sui et propugnatorem praestitit Deus. Ezech. 35, 12.

13. *Et insurrexistis super me ore vestro et derogastis adversum me verba vestra; ego audivi.* Vt felices bellorum exitus non modo genti cuique sed etiam eius deo gloriae, sic clades ac calamitates dedecori dari solebant. Quare factum est, quum Iudaei rebus adversis affligerentur, ut eos Idumaei procacissimi illi homines et impiissimi, Deus eorum ubi esset, interrogarent [1]). Quantopere hi et Deum eorum et religionem luserint, et ex interrogatione illa et ex Rabsacis exemplo aestimari potest. Sed impia eorum dicta quae fuerint, accuratius intelligemus, cum ad psalmos venerimus.

14. *Haec dicit Dominus Deus: Laetante universa terra in solitudinem te redigam.* In his verbis explicandis recentiores quidam interpretes vehementer laboraverunt. Laetitiam illam quam dicit propheta, quum aliter non possent, ad Iudaeorum aliarumque gentium in patriam reditum retulerunt. Sed hac re quid potest esse ad illustrandum facilius? Sublatis Scythis, tota Asia a praedationibus se, a rapinis variisque iniuriis liberam esse gaudebat.

15. *Sicuti gavisus es super hereditatem domus Israel, eo quod fuerit dissipata: sic faciam tibi; dissipatus eris mons Seir et Idumaea omnis; et scient, quia ego Dominus.* Idumaei omnibus viribus enitendum putarunt, ut Chaldaeorum rex Hierosolyma vi caperet. Eversione huius urbis nihil cis antiquius fuit, nihil exoptatius. Sed paulo post ipsorum finium vastatio oppidorumque ruina consecuta est. Qua quidem ex re quum gentes aliae tum Iudaei Deum cognoverunt cognitumque venerati sunt.

1) Orat. Mard. 13.

Ezech. 36. Quod sequitur de montibus Israel vaticinium cum eis cohaeret, quae adhuc explicata sunt. Idumaeorum in eo iniuriarumque eorum in Iudaeos duobus locis mentio est:

Ezech. 36. [2] *Eo quod dixerit inimicus de vobis: Euge, altitudines sempiternae in hereditatem datae sunt nobis*, et: [5] *propterea haec dicit Dominus Deus: Quoniam in igne zeli mei locutus sum de reliquis gentibus et de Idumaea universa, quae dederunt terram meam sibi in hereditatem cum gaudio et toto corde et ex animo, et eiecerunt eam, ut vastarent.*

§. 22.

De ossibus aridis.

Ezechielis praeclaram illam de ossibus vaticinationem nemo est qui ignoret. Est enim tam eximia, tam singularis et omnino eiusmodi, ut qui semel tantum libros sacros perlegerit, eius memoriam numquam possit deponere. De resurrectione omnium hominum eam quidem esse, teste Hieronymo utrique et Iudaei et Christiani crediderunt. Quam tamen ille quidem ipse opinionem minime probavit. Neque enim vaticinium illud existimavit de omnium resurrectione, sed de Iudaeorum e captivitate, de Christianorum a peccatis liberatione esse explicandum. Qua quidem in re sanctus ille vir et integerrimus cavendum sibi esse vidit, ne negare omnino resurrectionem putaretur. Sed quum Hieronymus suam palam proponere sententiam esset ausus, multi eum vel Graeci vel Latini sequi non dubitarunt.

Eamdem sententiam, quamquam ad eam non sunt Hieronymi auctoritate adducti, interpretes defenderunt Syriaci. Iacobus enim Edessenus, *Quidam*, inquit, *ecclesiae doctores scripturae interpretes in spiritu Dei loquentes docuerunt, mortuos aenigmatice dici, qui reapse*

mortui non erant. Proinde ossa, quae ossa non erant, in prophetica ecstasi Ezechieli ostensa fuisse. Deinde totum vaticinium ad Iudaeos captos dicit referendum et in Babylonia quasi extinctos. Quam quidem sententiam etiam Iacobus ille necesse habuit contra eos tutari, quos ut *fanaticos* dicit esse sic etiam *indoctos* [1]), qui numquam videntur neque defuisse in ecclesia neque defuturi. Nam ne nostra quidem aetate fieri potest, ut veritati quis et eodem tempore *sanctae iracundiae* quam Hieronymus vocat vel *fanaticae inscientiae* satisfaciat. Ezech. 37.

Nos igitur sanctorum patrum sectati vestigia; hoc totum vaticinium proprie de Iudaeis interpretabimur, qui Amanis sortibus obruti erant ac sepulti. Nam Iudaeorum occisio decreta ab Amane et a rege probata eodem iure etiam ab aliis prophetis nuncupatur mors, quo eorum per Mardochaeum liberatio vocatur resurrectio. Praeterea eo nos animo sumus, ut iddem oraculum dicamus pertinere ad eos, qui suscepto baptismate, per Christum a peccati morte sunt ad vitam suscitati. Denique nostra quam ante exposuimus interpretandi ratione retenta, hanc eamdem vaticinationem confirmamus allegorice quidem, sed rite probe ac vere oportere ad omnium resurrectionem referri.

Ezech. 37. 1. *Facta est super me manus Domini et eduxit me in spiritu Domini et dimisit me in medio campi qui erat plenus ossibus,* 2. *et circumduxit me per ea in gyro; erant autem multa valde super faciem campi siccaque vehementer.* Aman si potuisset quod decreverat efficere, Iudaeorum corpora bestiis avibusque proiecisset, dum ex eis nihil esset reliquum praeter ossa nuda atque exsiccata. Quae quidem caesorum ossa in planitie dispersa turpiter et prostrata conspicere sibi vi-

1) Ephraem. Syr. in Ezech.

Ezech. 37, 2. sus est propheta. Neque vero unius illa aut hominis erant aut familiae aut gentis, sed universi populi, Iudaeorum atque Israelitarum.

3. *Et dixit ad me: Fili hominis, putasne vivent ossa ista? Et dixi: Domine Deus tu nosti.* Iudaei capitis ab Amane condemnati prophetarum habebant vaticinia Deique promissiones; nos sub mortis iugo positi Christi tenemus de resurrectione praedictiones eiusdemque Dei fidem.

4. *Et dixit ad me: Vaticinare de ossibus istis et dices eis: Ossa arida, audite verbum Domini,* 5. *haec dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego intromittam in vos spiritum, et vivetis.* 6. *Et dabo super vos nervos et succrescere faciam super vos carnes et superextendam in vobis cutem et dabo vobis spiritum, et vivetis et scietis quia ego Dominus.* Non sibi ipse animus corpus effingit aut natura, ut pantheistae opinantur, sed facto corpore divino iussu ac conformato, animus ei coniungitur atque ingeneratur.

7. *Et prophetavi, sicut praeceperat mihi; factus est autem sonitus, prophetante me, et ecce commotio, et accesserunt ossa ad ossa unumquodque ad iuncturam suam.* 8. *Et vidi, et ecce, super ea nervi et carnes ascenderunt, et extenta est in eis cutis desuper et spiritum non habebant.* Ex animo homo constat et ex corpore; neque enim homo creatura simplex est, ut animal, ut angelus, sed composita. Quare in principio Deus naturae, ut humanam carnem effingeret, imperavit addiditque ipse animum immortalem et recens creatum. Similiter extremo tempore naturae praecipiet, ut humana ossa tradat, reliqua restituat, corpus figuret ac conformet. Quo facto, alterum daturus est imperium.

9. *Et dixit ad me: Vaticinare ad spiritum, vaticinare, fili hominis, et dices ad spiritum: Haec dicit Do-*

minus Deus: A quattuor ventis veni, spiritus, et in- Ezech. 37, 9.
suffla super interfectos istos et reviviscant. 10. *Et prophetavi, sicut praeceperat mihi, et ingressus est in ea spiritus et vixerunt, steteruntque super pedes suos, exercitus grandis nimis valde.* Novum est mandatum Dei, ut mortuorum animi advolent, ut in suum quisque corpus ingrediantur. Hi quum ad corpora accedent, tum etiam vita, quae corporum propria est ac peculiaris, a Deo suscitabitur, vel ut aliis verbis utar, quo tempore corpori propria concedetur vita, eodem ipso temporis puncto animus cum eo coniungetur. Nam quemadmodum humana in Christo natura inde a primo temporis momento, quo creata est, cum divina mirum in modum est coniuncta: sic ne corpus quidem uno temporis puncto prius potest esse vivum, quam ei copulatus sit animus. Quodsi aliter esset, ut Christus, sic ne homo quidem posset persona esse una. Quem autem propheta in hoc vaticinio locum tenuit, quum dixit: *Et prophetavi sicut praeceperat mihi et ingressus est in ea spiritus;* eumdem tenebit in omnium resurrectione Christus. Hic corpora formari, hic animos in ea iubebit intrare. Omnis autem resuscitatio nostra, quoniam ex morte oritur meritoque Christi, per Spiritum sanctum fiat necesse est. Sed ad rem nostram maxime pertinet, quod, quorum propheta ossa vidit, non mortui ei quidem vocantur sed *interfecti* i. e. ab Amane occisi. Vt caesorum ossa perquam multa: sic suscitatorum exercitus permagnus esse dicitur. Constabat enim ex Iacobi qui tunc erant filiis omnibus.

11. *Et dixit ad me: Fili hominis, ossa haec universa domus Israel est.* Haec argumento sunt, interpretationem sanctorum patrum propriam esse ac veram.

11. *Ipsi dicunt: Aruerunt ossa nostra, et periit spes nostra, et abscissi sumus.* Ita loqui potuerunt, quum eis supplicii dies ab Amane esset constitutus.

Ezech. 37, 12. [12.] *Propterea vaticinare et dices ad eos: Haec dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros et educam vos de sepulcris vestris, populus meus, et inducam vos in terram Israel.* In his totius vaticinii continetur summa. Ad mortem ab Amane destinati et quasi rapti estis, sed ego vos istius ex manibus eripiam reducamque in fines vestros.

[13.] *Et scietis quia ego Dominus cum aperuero sepulchra vestra et eduxero vos de tumulis vestris, popule meus;* [14.] *et dedero spiritum meum in vobis, et vixeritis; et requiescere vos faciam super humum vestram, et scietis, quia ego Dominus locutus sum et feci, ait Dominus Deus.* Mardochaica ex victoria verum Deum Iudaei eiusque potentiam sapientiam ac caritatem cognoverunt. Post victoriam illam in patriam eos redituros prophetae docent omnes. Iam sequitur de Mardochaeo vaticinium et de Christo, quorum uterque uno sceptro et Iudaeos omnes et Israelitas rexerunt ad illud usque tempus disiunctos 37, 15–23. Sententias quae sunt 37, 24–28. facile intelliget is, qui vaticinium de pastore servoque Dei David, 34, 23. ss. perspexerit. Ab his vaticinationibus non separanda sunt ea, quae Ezechiel exposuit

§. 23.

De Gog et Magog.

Multa iam ex historia Estherae vaticinia illustrata sunt, quorum quidem sententiae patribus semper fuerunt perspectae, verba tamen viris doctis difficilia saepius et obscura visa sunt. Omnium autem et praestantissimum oraculum et obscurissimum est, quod de Gog et Magog edidit Ezechiel; quin hoc unum omnes videtur omnium difficultates complexum continere. Nec mirum. Est enim ex eorum numero, quae ad librum Estherae spectant,

ultimum atque extremnm. Nam ut vaticinium quodque proxime ad rem ipsam accedit, ita accuratissime hanc vel describit vel effingit. Ezech. 38.

Iam antiquissimis temporibus magna apud Christianos erat de hoc vaticinio sententiarum varietas ac discrepantia. Cuius rei ea potissimum causa fuit, quod Ezechielis et Ioannis vaticinia, ut de gentibus eisdem sunt, sic etiam ad rem eamdem spectare putabantur. Praeterea Iudaei quum Messiae vero fidem non haberent atque futurum alium quemdam exspectarent, ad huius ipsius inimicos hunc locum retulerunt. Qua quidem opinione tantum valuerunt, ut quorumdam Christianorum animos perturbarent atque in partes distraherent diversas. Accessit eo, quod haeretici, qui Christi regnum fore mille annorum censuerunt, Ioannis apostoli verba conati sunt in sententiam suam contorquere.

His quidem perspectis variarum opinionum causis, iam opiniones ipsae quae fuerint dicendum est. S. Hieronymus duo esse dicit, quae a nonnullis de hac re crederentur. Iudaeos enim putare ac Iudaissantes, Scythicas gentes esse Gog et Magog futurumque, ut eae post mille annorum regnum a diabolo excitarentur [1]). Alios contra e terra totam rem transferre in coelum ad diabolum, qui contra coelestia Hierosolyma exercitum ducturus esset. Ille quidem ipse, harum neutra sententiarum probata, vaticinium allegorice interpretari studuit [2]). S. Augustinus non Ezechielis sed Ioannis vaticinium ad extremam ecclesiae persecutionem retulit, et ob eam causam certas gentes Gog et Magog ullas esse negat. Fuerunt autem huius aequales, qui verba Ioannis de Getis

1) Cf. R. Meir Aldabi Sephardi de adventu Messiae et resurrectione mortuorum.

2) Hieron. in h. l.

Ezech. 38. et Massagetis intelligerent, id quod et ex hoc et ex aliis qui tunc erant scriptoribus cognoscimus [1]). Augustinum secuti sunt Rabanus Maurus, Estius, alii. Duas alias de hoc vaticinio opiniones litteris custodivit Ephraem Syrus, qui praestantissimis ipse usus est magistris. Alios enim dicere ait, eos fuisse Gog et Magog, qui Iudaeos brevi ante Babylone reversos vehementissime vexaverint. Alios autem in eam sententiam esse adductos, ut totum vaticinium ad Holofernem pertinere putarent [2]). Priorum sententia Theodoretus commemorata, fuisse dicit, qui gentes illas a Zorobabele interfectas templumque esse ex eorum manubiis extructum docerent [3]). Denique Dionysius Carthusianus memoriae tradidit, quosdam Gog et Magog arbitrari Israelitarum decem tribus esse ultra Caspios montes inclusas, Gogem autem ipsum Antichristum [4]). Neque defuerunt, qui hoc vaticinium aut ad Cambysem spectare, aut ad Antiochum Epiphanem, aut denique ad Turcos existimarent [5]).

Nos illud quidem explicabimus de victoria Mardochaica. Quam victoriam significationem auguriumque eius triumphi esse dicimus, quem primis iam saeculis Christiana religio de superstitione egit, ac revertente Christo iterum actura est. Ceterum haec Ezechielis vaticinatio haud mediocrem nobis et consolationem affert et securitatem. Nam quod sanctos patres secuti, recentiorum quorumdam interpretum opiniones spernendas vitandosque errores putavimus, multos fore scimus praesumtarum sententiarum magis quam veritatis amantes. Neque

1) Aug. de civ. Dei 20, 11.
2) Ephraem in h. l.
3) Theodoret. in h. l.
4) Dion. Carth. in h. l.
5) Calmet diss. sur Gog et Magog.

vero isti aliud quidquam habebunt, quod contra dicant, quam unum vaticinium vel duo pertinere ad rem Estherianam posse, tot tantaque non posse. Vaticinia autem superiora recte a nobis probeque explanata esse, humanos plures habuimus testes, nunc unum etiam nacti videmur divinum. Deus enim ab Ezechiele declarari voluit, expositam esse caedem Gagaeorum Iudaeorumque victoriam a prophetis superioribus. Sed Ezechielis verba ipsa afferamus: *Haec dicit Dominus Deus: Tu (Gog) ergo ille es, de quo locutus sum in diebus antiquis in manu servorum meorum prophetarum Israel, qui prophetaverunt in diebus illorum temporum, ut adducerem te super eos* [1]). Et alia: *Ecce venit et factum est, ait Dominus Deus, haec est dies de qua locutus sum* [2]). Quae verba verissime interpretatus est Theodoretus, quum vaticinatos esse dicit de hac Scythicarum gentium clade Ioelem Oseam Michaeam alios. His testimoniis quid optari potest ad confirmandas interpretationes nostras aptius, quid ad errores recentiorum refutandos gravius et accommodatius? Sed esse Iudaeorum salutem conservationemque praedictam, etiam Mardochaicum illud demonstrat: *Si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Iudaei* [3]). Quid est, quod tam secure ille tamque confidenter loqui potuerit? Quid aliud, quam quod ex prophetis perspectum cognitumque habuit fore, ut Deus ex tanto periculo tamque propinquo suos salvos esse vellet. Ezech. 38.

Neque vero praetereundum est, hoc vaticinio sese Ezechielem alterum praestitisse Moysem. Ille enim Iudaeis salutis nuntius fuit et auctor, paschalemque diem

1) Ezech. 38, 17.
2) Ibid. 39, 8.
3) Esth. 4, 14.

Ezech. 38. instituit. Hic eisdem victoriam praedixit, liberationem vidit, praecepta praeterea quum de sepeliendis hostibus dedit tum de festo die sortium. Neque enim vatis potius quam legislatoris est, his verbis quae facienda sint praecipere: *Sepeliet autem eum omnis populus terrae, et erit eis nominata dies in qua glorificatus sum, ait Dominus* [1]). Mardochaeus igitur in instituendo sortium die non arbitrium secutus est suum, sed praeceptum divinum. His quidem explicatis, ad vaticinium ipsum illustrandum venimus.

Ezech. 38. [1.] *Et factus est sermo Domini ad me dicens:* [2.] *Fili hominis, pone faciem tuam contra Gog, terram Magog, principem capitis Mosoch et Thubal et vaticinare de eo.* – *Contra Gog.* Og, Gog et Agag nomina eadem esse demonstravimus. Hanc gentem Herodotus et Plinius nominaverunt Auchatas. Ex ea ortus est Aman. – *Terram Magog.* Gagaei primum in Basan habitarunt, post in Syria et Armenia, denique sunt in Scythiam regionemque eam translati, quae a Ponto Euxino ad mare Caspium pertinet. Sed erat ea quidem terra Massagetarum. Quare Magog Massag-etas habere et dicere non dubito. Accedit, quod, ut Gog vocati sunt Sac-ae, sic Magog Massac-ae appellati vel Massag-etae videntur. – *Principem capitis Mosoch et Thubal.* Sic Hieronymus Hebraica verba reddidit Aquilam secutus. Septuaginta enim, Symmachus et Theodotio: *principem Ros, Mosoch et Thubal.* Quam interpretationem qui probant, Ros dicunt esse Russos. Sed gentis cuiusdam Ros in libris sacris nulla usquam mentio est. Ab illis ut dissentiam, etiam illud me movet, quod dixit Balaam: *Principium* (ראשית) *gentium Amalec, cuius extrema delentur.* Nati enim Gagaei erant ex Amalecitis. Quam-

1) Ezech. 39, 13.

obrem non proprium nomen Ros, sed verbum substantivum esse puto. Significationes autem ei hoc loco plures subiici posse confiteor. Ex quibus eam quae mihi quidem probabilior videtur afferam. Vt Latini Germanique peninsulam ex eius forma vocarunt linguam: sic Hebraei promontorium terramque, quae in mari prostat, ראש *caput* appellarunt. *Caput* igitur *Mosoch et Thubal promontorium* est gentium septentrionalium (*Moscovitarum et Polonorum*). Promontorium autem illud *Scythia* ducenda est et *Chersonesus Taurica*. Gog princeps Scythiae vere vocatur, quoniam ex hac gente Scytharum reges erant Amadathas et Aman. Ezech. 38, 2.

3. *Et dices ad eum: Haec dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, Gog, principem capitis Mosoch et Thubal,* 4. *et circumagam te et ponam frenum in maxillis tuis et educam te et omnem exercitum tuum, equos et equites vestitos loricis universos, multitudinem magnam hastam et clypeum arripientium et gladium.* Similiter de Sannacheribo Iesaias. Idumaei ex Scythia in Asiam irruerant, Deus eos *circumegit*. Nam ut Sannacheribum, amisso exercitu, sic parvum Scytharum numerum, qui caedem effugere potuerant, in patriam redire coegit. Scythae fere omnes equites erant sagittarii. Quibus loricis Sauromatae Scytharum socii usi sint, diligentissime exposuit Pausanias [1]). Exercitus ille clypeo hasta gladioque instructus ex aliis gentibus convenerat. Plures enim populos septentrionales a Scythis tum esse ad migrationem impulsos, nemo est, quin ex Herodoto cognoverit.

5. *Persae, Aethiopes, Libyes cum eis, omnes scutati et galeati. Persae* in plures gentes divisi erant. Ex quibus aliae Medis paruerunt, aliae cum Scythis videntur societatem inivisse. *Aethiopes* i. e. Colchi magna illa na-

1) Pausan. 1, 21, 6.

Ezech. 38, 5. tionum migratione e sedibus suis excitati sunt. *Libyes* (Phut) saepius commemorantur cum Lud. Ambo illi populi habitabant in Asia minore. Illi si Lydi fuerint, hos eis civitatis societate coniunctos fuisse necesse sit. Erant autem, ut Cappadoces, Chamitae.

6. *Gomer et universa agmina eius, domus Thogorma, latera aquilonis et totum robur eius populique multi tecum. Gomer* Cimmerii, Cimbri sunt, quos a Scythis sedibus pulsos dicit Herodotus. Cum his coniuncti erant *Thogorma* i. e. Teutones vel Germani. Hi per Asiam minorem itinere facto in Europam transierunt.

7. *Praepara et instrue te et omnem multitudinem tuam, quae coacervata est ad te, et esto eis in praeceptum (custodiam).* Scythae quum superioris Asiae imperio potiti essent, sociis suis praecepta imperiaque dederunt tutelamque praestiterunt. Eorum praeterea punitio illis omnibus documento fuit.

8. *Post dies multos visitaberis, in novissimo annorum venies ad terram, quae reversa est a gladio et congregata est de populis multis, ad montes Israel, qui fuerunt deserti iugiter; haec de populis educta est et habitabunt in ea confidenter universi.* Gagaei *multos dies* i. e. centum annis amplius in Scythia habitaverant, antequam *visitarentur* in Asiamque victores redirent. Tempus, quo iudicati sunt, etiam ab aliis prophetis novissimum extremumque vocatum est. Terra illa quidem Israel non Palaestina hoc loco putanda est sed Media superior montesque Carduchorum, in quos Iudaei Israelitae aliique populi translati sunt. Definitur enim haec regio a propheta ita: *terra, quae reversa est a gladio* i. e. *abducta a re militari, desuefacta a bello.* Est igitur Media, in qua Israelitae captivi in pace habitabant. *Terra, quae congregata est de populis multis,* qui eis antea finitimi fuerant, cum Iudaeam Hierosoly-

maque incolebant. *Montes Israel, qui fuerunt deserti iugiter.* Non Palaestinae, sed Mediae montes, qui a mari Caspio ad Ciliciam pertinent, semper erant deserti et a nullis umquam culti. Hi ab Assyriis Israelitis assignati sunt. *Haec (terra) de populis educta est.* Ex Palaestinae finibus, quae a variis colebatur populis multisque hostibus oppugnabatur, Israelitae deducti sunt in desertum, quemadmodum propheta dixit: *Et ducam te in desertum. Et habitabunt in ea confidenter universi.* Quare quum eos montes soli obtinerent, nec vicinos habebant nec hostes. Quamobrem supervacaneum erat rei militari operam dare. Non perquam mihi scitum videtur, per loca illa iter fecisse Xenophontem, cuius ex libro multa de eis et mirabilia possunt cognosci. Ezech. 28, 8.

9. *Ascendens autem quasi tempestas venies et quasi nubes, ut operias terram tu et omnia agmina tua et populi multi tecum.* Tanta fuit multitudo Scytharum, ut Herodotus eam in maximorum agminum numero habuerit. Illorum autem velocitas haud plurimum a ventorum tempestatumque rapiditate distare visa est.

10. *Haec dicit Dominus Deus: In die illa ascendent sermones super cor tuum et cogitabis cogitationem pessimam,* 11. *Et dices: Ascendam ad terram absque muro, veniam ad quiescentes habitantesque secure; hi omnes habitant sine muro, vectes et portae non sunt eis.* Vrbes munitae a Nabuchodonosore omnes eversae; populi bello et rebus militaribus defessi, in exsilium solitudinesque ducti, agros colebant, venationi vacabant. Quum omnes populi pacati erant, tum vero Israelitae vel in agris dispersi vel in locis apertis securi habitabant.

12. *Vt diripias spolia et invadas praedam, ut inferas manum tuam super eos, qui deserti fuerant et postea restituti; et super populum, qui est congregatus ex gentibus, qui possidere coepit et esse habitator umbi-*

Ezech. 38, 12. *lici terrae*. Scythae in animo habebant, ut alias gentes diriperent, Iudaeos Israelitasque trucidarent. Haec erat eorum *cogitatio pessima*. Media superior recte vocatur *desolata inculta;* antea enim montes qui in ea sunt deserti erant, tunc temporis Iudaei eos colere coeperunt. Vmbilicus terrae locus est altissimus. Mediae Armeniaeque montes ita probe appellantur.

13. *Saba et Dedan et negotiatores Tharsis et omnes leones eius dicent tibi: Numquid ad sumenda spolia tu venis? Ecce ad diripiendam praedam congregasti multitudinem tuam, ut tollas argentum et aurum et auferas supellectilem atque substantiam et diripias manubias infinitas.* Scythae quum Asiae dominarentur, quantas ex omnibus gentibus praedas egerint, supra explanatum est.

14. *Propterea vaticinare, fili hominis, et dices ad Gog: Haec dicit Dominus Deus: Numquid non in die illo, cum habitaverit populus meus Israel confidenter, scies* (LXX: *consurges*)? 15. *et venies de loco tuo a lateribus aquilonis tu et populi multi tecum, ascensores equorum universi, coetus magnus et exercitus vehemens.* Scythicae regiones *latera aquilonis* vere dicuntur. *Ascensores equorum* Sacae, Cimbri Teutonesque erant. Hi quidem posteriores ab eodem propheta 27, 14. Tyriis equos equitesque vendidisse traduntur.

16. *Et ascendes super populum meum Israel quasi nubes, ut operias terram.* Scytharum incursio ab eo, qui rem ipsam vidit, verius describi non poterat. Prae nube ac tempestate illa Iudaeis sol non lucere visus est.

16. *In novissimis diebus eris* (LXX: *erit*). Finis interitusque tuus appropinquavit.

16. *Et adducam te super terram meam, ut sciant gentes me, cum sanctificatus fuero in te in oculis eorum, o Gog. Super terram meam* i. e. super possessio-

nem populumque meum. Ex Scytharum exitio divina iustitia clarissime eluxit. Fortitudinem Iudaeorum virtutemque Dei omnes tunc incredibili cum admiratione venerati sunt. Ezech. 38, 16.

17. *Haec dicit Dominus Deus: Tu ergo ille es, de quo locutus sum in diebus antiquis, in manu servorum meorum prophetarum Israel, qui prophetaverunt in diebus illorum temporum, ut adducerem te super eos.* Ezechiel de prophetis loquitur, quorum vaticinia explicavimus.

18. *Et erit in die illa, in die adventus Gog super terram Israel, ait Dominus Deus, ascendet indignatio mea in furore meo.* Lustrata omni Iudaeorum historia, haud scio an numquam plures ab eis et fortiores inimici fusi superatique sint. Eis autem auxilio venit Deus, quem Idumaei homines omnium impiissimi ad poenas repetendas provocaverant.

19. *Et in zelo meo, in igne irae meae locutus sum: Quia in die illa erit commotio magna super terram Israel.* Israelitae primum metu commoti sunt, quum inimicos constitutumque supplicii diem vehementissime pertimescerent, postea mira fuerunt ad agendum alacritate, quum ad bellum sese pararent.

20. *Et commovebuntur a facie mea pisces maris et volucres coeli et bestiae agri et omne reptile, quod movetur super humum, cunctique homines, qui sunt super faciem terrae; et subvertentur montes, et cadent sepes et omnis murus corruet in terram.* Neque montes vel loci natura muniti, nec sepes aut moenia defendere Idumaeos ab interitu potuerunt. Tota autem natura omnesque homines summo quodam venerationis timore perterriti sunt, quum divinum iudicium partim viderent partim ab aliis acciperent.

21. *Et convocabo adversus eum in cunctis montibus meis gladium, ait Dominus Deus; gladius uniuscuius-*

Ezech. 38, 21. *que in fratrem suum dirigetur.* Iudaei ad Idumaeos fratres interficiendos per Mardochaei litteras convocati sunt. Erant enim Gagaei omnesque Scythae, sicuti demonstravimus, Idumaei Iudaeorum consanguinei.

22. *Et iudicabo eum peste et sanguine et imbre vehementi et lapidibus immensis, ignem et sulphur pluam super eum et super exercitum eius et super populos multos qui sunt cum eo.* Subito Idumaei penitusque deleti sunt.

23. *Et magnificabor et sanctificabor et notus ero in oculis multarum gentium et scient, quia ego Dominus.* Gentes ut antea ex Aegyptiorum sic tunc ex Idumaeorum calamitatibus verum esse Iudaeorum Deum intellexerunt, multique ex eis accesserunt ad illorum ceremonias; ingens enim cunctos Iudaici nominis terror invaserat. Esth. 8, 17.

Eo quod adhuc exposuimus vaticinio a propheta de Mardochaica victoria dictum est in universum; huic additum est alterum, quo singulae huius victoriae rationes explicantur.

Ezech. 39. 1. *Tu autem, fili hominis, vaticinare adversum Gog et dices: Haec dicit Dominus Deus: Ecce ego super te, Gog, principem capitis Mosoch et Thubal;* 2. *et circumagam te et educam te et ascendere te faciam de lateribus aquilonis et adducam te super montes Israel.* Deus quos in Scythiam transferri voluerat, eduxit in Mediam, super montes, quos Israelitae incolebant exsules.

3. *Et percutiam arcum tuum in manu sinistra tua et sagittas tuas de manu dextera tua deiiciam.* Praeclare et eleganter. Erant enim sagittarii Scythae omnes filiique Apollinis.

4. *Super montes Israel cades tu et omnia agmina tua et populi tui, qui sunt tecum.* Armis fractis et ex-

cussis, illi quidem Iudaeis resistere non potuerunt. Itaque ab eis vulnerati ac concisi sunt. Ezech. 39, 4.

4. *Feris, avibus omnique volatili et bestiis terrae dedi te ad devorandum.* Apud priores prophetas eadem legimus. Hinc illa, quam antea dixit, totius naturae animaliumque omnium commotio.

5. *Super faciem agri cades, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus.* Iudaei, ubicumque Scythas invenerunt, eos vel adorti vel persecuti occiderunt.

6. *Et immittam ignem in Magog et in his, qui habitant in insulis confidenter, et scient quia ego Dominus.* Repentinus Sacarum interitus tamquam fulgur Massagetarum animos perturbavit, Scythicisque colonis, qui in Samothrace, in Delo, Samo aliisque insulis habitabant, tantum timoris iniecit, ut Cabirorum exitium non virtutibus humanis, sed divinis miraculis tribuerent.

7. *Et nomen sanctum meum notum faciam in medio populi mei Israel.* Israelitae mirabilem in modum conservati, Deo ita sese addixerunt, ut ex illo tempore ad falsos deos numquam aberrarent.

7. *Et non polluam nomen sanctum meum amplius, et scient gentes, quia ego Dominus sanctus Israel.* Populum suum numquam amplius nec in servitutem neque in exsilium neque in periculum adduxit. Quibus rebus antea factum est, ut nonnumquam hostes auderent Iudaicum divinumque nomen spernere. Praeterea gentes, si res gestas considerare voluerunt, ex eis Deum sanctum debuerunt cognoscere.

8. *Ecce venit et factum est, ait Dominus Deus, haec est dies, de qua locutus sum.* Quod ceteri prophetae de die iudicii horribili illa retulerunt, superioribus locis expositum est. Iam quanta futura sit caesorum multitudo, subtiliter Ezechiel et eleganter indicat.

Ezech. 39, 9. 9. *Et egredientur habitatores de civitatibus Israel et succendent et comburent arma, clypeum (peltam) et hastas (scutum), arcum et sagittas et baculos manuum et contos, et succendent ea igni septem annis.* 10. *Et non portabunt ligna de regionibus, neque succident de saltibus, quoniam arma succendent igni.* Sacis occisis, ex eorum armis Iudaei per septem annos satis habebant ligni. Erant enim, ut saepius dictum est, caesorum militum millia septuaginta quinque. Arma et tela, quae nominatim afferuntur, Scythica sunt. Sacae enim Strabone teste partim equites erant partim pedites; quorum alteri scuto, alteri pelta utebantur. *Arcus* et *sagittae* Scytharum erant propria, unde isti etiam nomen acceperunt. Eidem tunc et clava et lancea (רמח *μάχαιρα*) instructi erant. Sed fortasse quaerat quispiam, quomodo inter arma, unde Iudaei ligna sumpturi dicantur, haberi possint arcus, qui plerumque facti sint ex ferro. Sed non est ignorandum, Sauromatas et certe etiam quosdam ex Scythis, qui ferro omnino carebant, arcus fabricatos esse ex corno [1]).

10. *Et depraedabuntur eos, quibus praedae fuerant, et diripient vastatores suos, ait Dominus Deus.* De eisdem iddem prorsus prophetae alii. Idumaei, qui Iudaeos semper spoliaverant et eo ipso nomine spoliatores vocati sunt, ab eis ipsi tunc spoliati sunt.

11. *Et erit in die illa, dabo Gog locum nominatum sepulcrum in Israel, vallem viatorum ad orientem maris, quae obstupescere faciet praetereuntes, et sepelient ibi Gog et omnem multitudinem eius et vocabitur vallis multitudinis Gog.* LXX: *Et erit in die illa, et dabo Gog locum nominatum, monumentum in Israel polyandrion (coemeterium) eorum, qui venerint ad mare, et aedi-*

1) Pausan. 1, 21, 6.

ficabunt per circuitum os vallis et defodient ibi Gog Ezech. 39, 11.
et omnem multitudinem eius et vocabitur tunc polyandrion (coemeterium) Gog. Cf. Ies. 21, 13: *In saltu ad vesperam dormietis, in semitis Dedanim.* Hic locus explicationes omnes in examen adducit acerrimum; quae falsae sint, necesse est appareat; quae sit vera, non potest esse obscurum. Sunt enim signa et notae quattuor, quibus caesorum sepulcrum accuratissime indicatur. Prima quidem nota est, quod sepulcrum in Israelitarum finibus fore dicitur. Quod de eis locis intelligendum est, in quibus illi tum exsulabant, quos eosdem propheta antea montes Israel vocavit. Deducti sunt autem illi quidem in montes superioris Mediae et Armeniae; eorumque fines ad Pontum usque vergebant. Sed situs illius loci accuratius describitur: *in via venientium vel euntium ad mare, ad vesperam, in semitis Dedanim (Graecorum).* Qui igitur ex Armenia ad mare Mediterraneum vel occidentem versus proficiscentur, hunc locum praetereant oportebit, vel in via *venientium ad orientem maris,* i. e. qui a mari ad orientem in Armeniam iter facient, hunc locum invenient. Scytharum igitur sepulcrum quaerendum est aut in Armenia minore aut in Ponto. Alterum signum est quod propheta fore dicit, ut Iudaei *aedificent per circuitum os vallis.* Vallis vel sepulcrum, postquam cadavera recepit, muro circumdatum concludetur. Tertia nota in eo est, quod locus, ubi Scythae sepeliuntur, nominata civitas (v. 16.) celebrisque fore traditur. Quarta denique in eo cernitur, quod ea urbs nomen captura est a coemeterio vel a sepulcro.

Divino consilio factum esse censeo, ut Strabo ea litteris mandaverit, quae pertinent ad Sacarum caedem ludosque Sacaeos. Nam quum multa ex eo ad explicandum librum Estherae cognovimus, tum ea, quae sunt ad hoc

Ezech. 39, 11. vaticinium illustrandum necessaria. Ille enim, ubi Sacas narravit optimam Armeniae partem tenuisse omnesque a Persarum (Medorum) ducibus penitus deletos: *eosdem duces ait in campo lapidem quemdam aggere complentes, ita ut rotundi collis figuram referret, muro cinxisse eosque Anaitidis ibi sociorumque deorum Amanis et Amadathae, Persicorum daemonum templum fecisse. Praeterea ab eis annuos ludos Sacaca esse indictos, quos ad illud tempus celebrarent ei, qui Zela incolerent; ita enim locum illum appellari. Esse autem civitatem maxime hierodulorum. Pompeium vero haud exigua regione adiuncta, eiusque incolis intra murum coactis, eam unam ex eis urbibus declarasse, quas, Mithridate superato, constituerit* [1]). Zela igitur locum eum esse dico, de quo Ezechiel vaticinatus est.

Primum enim locus ille situs est in ea parte Armeniae, quae a Romanis postea attributa est Ponto. Quae autem via ex Armenia Ancyram, Ancyra Ephesum et Nicomediam Chalcedonemque duxit, ea Zela urbem tetigit. *Ad vesperam in semitis Dedanim.* Qui igitur ex Armenia ad mare vel a mari in Armeniam, ubi Israelitae exsules erant, proficiscebantur, Zela transire solebant. Deinde vero duces illi Persarum, quos Mardochaeum Medorumque praetores fuisse demonstravimus, Sacis occisis, quum Strabone teste collem exaggerassent, eum circumcluserunt muro. Quod eos ex Ezechielis sive vaticinio sive imperio fecisse, nemo est quin videat. De lapide autem, quem dicit Strabo, varia cogitari et coniici possunt. Mea quidem sententia illud Amadathae monumentum fuit Amanis patris. Scythae autem, quibus

---

1) Strabo 11, 8, 4. Οἱ τότε ταύτῃ τῶν Περσῶν στρατηγοὶ ἐν τῷ πεδίῳ πέτραν τινὰ προσχώματι πληρώσαντες εἰς βουνοειδὲς σχῆμα ἀπέθηκαν τεῖχος κτλ. Cf. lib. 12.

regum sepulcris nihil erat sanctius, eodem loco Ama- Ezech. 39, 11.
nem condiderunt novem mensibus ante reliquos interfectum. Ibidem postea Ezechielis iussu Iudaei Scytharum cadavera contulerunt. Quibus ad monumentum illud coacervatis, quum aggerem fudissent, sepulcrum muro concluserunt. Ad hunc lapidem etiam illud referendum puto, quod de Zarinae monumento scripsit Ctesias. Quoniam enim Amadathas totius Asiae victor decessit, probabile est, Scythas ei monumentum praeclarum posuisse et statua Zarinae deae patriae exornatum. Quod, quum Zarinae statuam portaret, Ctesias ex pervulgata populi sententia Amanis uxori adscripsit. Haec coniectura eo videtur confirmari, quod ex ea clara sunt omnia ac perspicua. Armenii enim Persae et Medi Zarinam vel Anaitidem, cuius statuam in Amadathae monumento auream impositam habebant, colere ibi et venerari coeperunt. Simul autem Amadathae ibi et Amanis Cabirorum (i. e. sepultorum) memoriam conservarunt, ludosque instituerunt Sacaeos, qui postea a Romanis accepti dictique sunt Taurii. Tum autem propheta loco illo celebrem fore urbem praedixit. Quod vaticinium ut evaderet, perfecit Pompeius, qui, quem locum ad id tempus pontifex ditissimus hierodulique incoluerant, urbem et creavit et nominavit. Denique vates urbem dixit nomen accepturam a sepulcro. Zela, Ζηλά, צלע significat *conclave* vel *sepulcrum*. Quoniam enim Scytharum sepulcra, quae describit Herodotus, conclavibus similia erant, nomen etiam ad sepulcra translatum est. Etenim locum illum, ubi erant sepulcra Cis, in quibus conditus etiam Saulus rex est, eum Zela nominatum esse accepimus. Notas igitur quatuor illas, quas ex Ezechiele petivimus, huic loco omnes videmus inesse. Hic enim positus est ad eam viam, quae ex Israelitarum qui tunc erant finibus ad mare, ad vesperam Graecosque perducit. Quum cadavera in eo

Ezech. 39, 11. et ossa coacta essent, moenibus circumdatus esse traditur. Magna ibidem urbs celebrisque est condita. Quae quidem nomen nacta est a coemeterio. Haec quidem totidem signa sunt, quae demonstrant veram esse eam quam proposuimus sententiam.

12. *Et sepelient eos domus Israel, ut mundent terram septem mensibus.* 13. *Sepeliet autem eum omnis populus terrae.* Qui quae prophetae alii de hac re elocuti sunt, secum reputaverit, caesorum corpora putabit per septem menses esse bestiis tradita, postea demum ab Israelitis sepulta. Sed cadaverum tanta erat multitudo, ut ne septem quidem mensibus possent ex Armenia, ex Media, Persia totaque Asia Zela comportari. Sacarum quidem plurimi in Sacasena sunt occisi. Quare in ea regione et eo ipso loco, qui cum reliqua Asia munita via coniunctus erat, propheta sepulcrum esse voluit.

13. *Et erit eis nominata dies, in qua glorificatus sum, ait Dominus Deus.* Sortium dies illa est vel ludorum Sacaeorum.

14. *Et viros iugiter constituent lustrantes terram, qui sepeliant et requirant eos, qui remanserant super faciem terrae, ut emundent eam; post menses autem septem quaerere incipient.* 15. *Et circuibunt peragrantes terram, cumque viderint os hominis, statuent iuxta illud titulum, donec sepeliant illud polinctores in valle multitudinis Gog.* Haec partim vaticinii partim legis naturam habent. Legem propheta tulit, ut Iudaei ad Sacas sepeliendos pollinctores constituerent. Vaticinium edidit, tantam fore caesorum multitudinem, ut maximam cadaverum partem pollinctores illi non possent ante septimum mensem sepelire. Quod quum accideret, superiorum prophetarum vaticinia evaserunt, futurum esse, ut cadavera per aestatem totam auctumnumque volucribus bestiisque pastui essent.

16. *Nomen autem civitatis Amona:* (LXX: *polyandrium*). *Et mundabunt terram.* Praeclarum illud est, quod locus, ubi sepulti sunt Scythae, vocatur *civitas, urbs.* Nomen autem eius non *sepulcrum Gog*, sed simpliciter *sepulcrum, Zela.* Ezech. 39, 16.

17. *Tu ergo, fili hominis, haec dicit Dominus Deus, dic omni volucri et universis avibus cunctisque bestiis agri: Convenite, properate, concurrite undique ad victimam meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem super montes Israel, ut comedatis carnem et bibatis sanguinem.* Hoc est foedus, quod alii prophetae cum bestiis avibusque Deum icturum dixerunt.

18. *Carnes fortium comedetis et sanguinem principum terrae bibetis, arietum et agnorum et hircorum taurorumque et altilium et pinguium omnium.* Eadem est animalium enumeratio apud Iesaiam. Inde igitur, quae ad hunc locum spectabunt, sumi poterunt. Sed altilia animalia et pinguia adiunxit Ezechiel, ut indicaret eam vim adipis, quam Scytharum propriam fuisse et peculiarem diximus.

19. *Et comedetis adipem in saturitatem et bibetis sanguinem in ebrietatem de victima, quam ego immolabo vobis.* Item significat Scytharum pinguedinem, quae, quum natura iam haud esset exigua, eo potissimum tum aucta erat, quod per decem annos in omnium rerum abundantia vixerant.

20. *Et saturabimini super mensam meam de equo et equite forti et de universis viris bellatoribus, ait Dominus Deus.* Maximam longe exercitus partem equitatum fuisse indicat. Nec conservatos esse equos a Iudaeis, sed omnino trucidatos dicit.

21. *Et ponam gloriam meam in gentibus; et videbunt omnes gentes iudicium meum quod fecerim et manum meam quam posuerim super eos.* Quum Scy-

Ezech. 39, 21. tharum socii qui caedem defugere potuerant, tum vero etiam Medi, Persae et ei omnes, qui in eorum ditione erant, a Deo Iudaeis hanc esse victoriam concessam perspexerunt.

22. *Et scient domus Israel, quia ego Dominus Deus eorum a die illa et deinceps.* Iudaei sese ita tum totos Deo tradiderunt, ut ab eo in posterum desciscerent numquam.

23. *Et scient gentes, quoniam in iniquitate sua capta sit domus Israel, eo quod dereliquerint me, et tradiderim eos in manus hostium et ceciderint in gladio universi.* Iddem in deprecatione sua Mardochaeus [1]. Ex his verbis satis, arbitror, perspicuum est, populum Iudaicum, quum hostes quos dicit propheta devinceret, nondum eo tempore in patriam rediisse sed fuisse etiam tum in exsilio ac captivitate. Nam post reditum si eis illud contigisset; finitimae gentes, calamitatum pristinarum quae fuissent causae, ex ipso reditu magis quam ex victoria illa vidissent.

24. *Iuxta immunditiam eorum et scelus feci eis et abscondi faciem meam ab illis.* Quod Hierosolyma eversa, quod Iudaei in exsilium pulsi atque in ipsum capitis discrimen sunt adducti, harum rerum causa non in Deo est sed in illis ipsis posita.

25. *Propterea haec dicit Dominus Deus: Nunc reducam captivitatem Iacob et miserebor omnis domus Israel et assumam zelum pro nomine sancto meo.* Quod modo argumentando conclusimus, Iudaeos nondum esse eo tempore in fines suos reversos Scytharumque occisionem in exsilium ipsum incidisse, id propheta iam verbis testatur perspicuis ac disertis: *Nunc reducam.* Tandem igitur opinio Iudaeorum falsa illa obsolescat necesse

1) Or. Mard. 8

est non argumentatione mea sed divino refutata testimonio. Nam si, id quod Iudaei rentur, post reditum accidit quod praedixit propheta; qui iam in patriam redierant, quomodo reduci denuo ac reverti potuerunt? An in vaticiniis putabimus nullum esse observatum ordinem, nullam temporis rationem habitam? Ezech. 39, 25.

26. *Et portabunt confusionem suam et omnem praevaricationem, qua praevaricati sunt in me, cum habitaverint in terra sua confidenter neminem formidantes;* 27. *et reduxero eos de populis et congregavero de terris inimicorum suorum.* Haec omnia consecutura sunt caedem Gagaeorum. Quibus et ceteris hostibus nihil maiori dedecori ignominiaeque esse potest, quam quod redeunt in patriam Iudaei, sanctam restituunt rempublicam, salutem pacem beatitudinemque consequuntur.

27. *Et sanctificatus fuero in eis in oculis gentium plurimarum* (LXX: *et sanctificabor in eis in oculis gentium*). 28. *Et scient quia ego Dominus Deus eorum, eo quod transtulerim eos in nationes et congregaverim eos super terram suam et non dereliquerim quemquam ex eis ibi.* Haec non video quemadmodum possint explicari, nisi Gagaeorum interitus statuatur in mediam captivitatem incidisse.

29. *Et non abscondam ultra faciem meam ab eis, eo quod effuderim spiritum meum super omnem domum Israel, ait Dominus Deus.* Prophetas omnes videmus, victoria Mardochaica adumbrata ac descripta, largissimam illam Spiritus sancti praedixisse effusionem. Cuius rei quae causa fuerit, facile cogitando invenitur. Quid enim? illi quum signa atque indicia intuerentur, nihilne ex eo quod significatum atque indicatum erat perspexerunt? Num veritas fugere eos potuit, qui clarissimam eius et circumscriptam viderunt adumbrationem? Quum igitur exprimerent Mardochaicam victoriam et quasi ante

Ezech. 39, 29. oculos ponerent: quid mirum, si eo ipso tempore nomen celebrarunt gloriam triumphumque eius, cuius cruci regium Mardochaei nomen, invitis quidem sacerdotibus, defixum est? De Christi igitur morte ac resurrectione, de nostrorum criminum satisfactione quum dixissent, quid magis potuit esse consequens, quam ut continuo de mittendo Spiritu sancto, de donis eius ac muneribus vaticinarentur?

Quoniam vaticinium Ioannis de Gog et Magog supra tetigimus, conducere videtur, de eo quid sentiam breviter exponere. Primum quidem Ioannès apostolus Apoc. 19, 11. eisdem fere verbis, quibus prophetae usi sunt de Mardochaeo, Christum designat, describitque suscepta ab eo contra ecclesiae inimicos certamina. Erant autem primis saeculis religionis adversarii superstitiosi illi populi, Romani, Scythae, Gothi, Vandali, Hunni, ceterique barbari, qui quum ex regionibus septentrionalibus in Christiana regna irruerent, veritatem humanitatemque in magna pericula adduxerunt.

Sed verba apostoli adscribam. Vnde sumpta sint, facile, qui nostra legerit, videbit.

Apoc. 19. 11. *Et vidi coelum apertum et ecce equus albus et qui sedebat super eum vocabatur: Fidelis et verax, et cum iustitia iudicat et pugnat.* Vt Mardochaeus iudex et pugnator fortis sedensque in regio equo conspectus a Iudaeis est: sic Ioanni apparuit Christus.

11. *Oculi autem eius sicut flamma ignis et in capite eius diademata multa habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse.* Diadema unum gessit Mardochaeus, quia Iudaeis solis imperavit; diademata multa Christus, quoniam gentes omnes in ecclesiam recipit regitque per vicarios iudicesque suos.

13. *Et vestitus erat veste aspersa sanguine et vocatur nomen eius: Verbum Dei.* Mardochaeus vestem ha-

buit cruore aliorum, Christus sanguine ipsius suo ad- Apoc. 19, 13.
spersam.

[14] *Et exercitus qui sunt in coelo sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo et mundo.* [15] *De ore eius procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes. Et ipse reget eas in virga ferrea et ipse calcat torcular vini furoris irae Dei omnipotentis.* [16] *Et habet in vestimento et in foemore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium.* Vt certamen pro populo suo inivit Mardochaeus, sic pro ecclesia sua Christus. Quare torcular calcavit eorum uterque. Ille quidem rex erat secundus ab imperatore Assuero, hic rex regum.

[17] *Et vidi unum angelum stantem in sole et clamavit voce magna, dicens omnibus avibus, quae volabant per medium coeli: Venite et congregamini ad coenam magnam Dei,* [18] *ut manducetis carnes regum et carnes tribunorum et carnes fortium et carnes equorum et sedentium in ipsis et carnes omnium liberorum et servorum et pusillorum et magnorum.* De exitu pugnae non est dubitandum. Vincet Christus, cadent inimici. Statim ad eos devorandos invitantur volucres.

[19] *Et vidi bestiam et reges terrae et exercitus eorum congregatos ad faciendum proelium cum illo, qui sedebat in equo et cum exercitu eius.* Vix superstitionem Graecorum Romanorumque ecclesia superavit, quum ei illico bellum esset cum barbarorum inhumanitate suscipiendum.

[20] *Et apprehensa est bestia et cum ea pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiae et qui adoraverunt imaginem eius. Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure,* [21] *et ceteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius; et om-*

Apoc. 19, 21. *nes aves saturatae sunt carnibus eorum.* Gothi, Vandali, Hunni ceterique barbari, qui partim sunt a diabolo partim ab Ario seducti, magna pars bello perierunt, reliqui evangelico gladio ad Christum Deum verum revocati sunt.

Apoc. 20. [1] *Et vidi angelum descendentem de coelo, habentem clavem abyssi et catenam magnam in manu sua.* [2] *Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et satanas, et ligavit eum per annos mille;* [3] *et misit eum in abyssum et clausit et signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni, et post haec oportet illum solvi modico tempore.* Gravissimis his verbis propheta earum rerum definivit tempus, de quibus et dixit et dicturus est. Haeretici, qui post mille annos Christi regnum incepturum crediderunt, his verbis non veriti sunt turpiter abuti. Sed oritur quaestio haud sane facilis, illi anni, quos propheta dicit, ex quo tempore sint vel a quo principio numerandi. Quidam negarunt ab ullo principio alio nisi a nato Christo esse incipiendum. Sed horum sententiam haud difficile est primum verbis deinde re ipsa refutare. Nam ex verbis perspicuum est, per mille annorum intervallum pacem futuram esse et certam quamdam tranquillitatem, quietas enim ac pacatas fore gentes in sedibusque suis remansuras, propterea quod ligatus sit is, qui excitare eas et ad arma sanctis inferenda possit commovere. Iam autem rem si considerare volumus, mille annis post Christum natum, quod sciam, nihil inveniemus, quo iuste possimus praedicta referre. Ab ea autem gentium migratione, quae Cyaxare regnante effecta est a dracone Scythico, si computarem ille annos coeperimus: ad tempus illud deveniemus ipsum, quod Ioannis ad annum definivit oratio. Impetum enim in Asiam Scythae fecerunt circiter DCXII annis ante Chri-

stum natum; a Iudaeis nisi ratio me mea fallit, interfecti sunt anno DCII. A quo anno profecti si mille annorum numerum iniverimus; ad annos perveniemus CCCLXXXVIII. et CCCIIC. Apoc. 20, 3.

7. *Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo et exibit et seducet gentes quae sunt super quattuor angulos terrae, Gog et Magog, et congregabit eos in proelium, quorum numerus est sicut arena maris.* Complura argumenta ab eis possunt afferri, qui Massagetas breviter Getas, hos ipsos postea Gothos vocatos esse putant. Cum Gothis autem saeculo quarto e finibus suis exiisse Scythas atque in Italiam in Galliam Hispaniamque venisse, memoriae proditum est. Sed etiam illud patrum testimoniis constat, Christianos, qui tunc erant, vaticinium Ioannis de Gothis et de temporibus suis accepisse.

8. *Et ascenderunt super latitudinem terrae et circuierunt castra sanctorum et civitatem dilectam.* 9. *Et descendit ignis a Deo de coelo et devoravit eos; et diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia* 10. *et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum.* Deus per Moysem ceterosque prophetas oraculum edidit, deleturum se nomen memoriamque Amalecitarum. Per Ezechielem autem et Ioannem significavit ignem se missurum in Massagetas. Et ecce, quarto saeculo et quinto Scythae excisi sunt radicitus Gothique funditus deleti; nihilque ex totius historiae decursu invenire potui, quod tam repentina oblivione obrueretur, quam eorum tum obruta memoria est. Si autem quod hoc loco Ioannes praedixit, factum est, ut est; ei qui negant veram esse Apocalypsim ac divinam, ipsi a veritate aberrasse putandi sunt.

LIBER TERTIVS

DE PSALMIS.

CAPVT PRIMVM

AD VICTORIAM ESTHERAE PSALMOS QUOSDAM ESSE REFERENDOS.

§. 1.

De testimoniis prophetarum.

Sancti illi homines, quorum in libris sacris sempiterna est memoria, quum aut ex splendore miraculorum potentiam Dei aut ex insperata salute benignitatem conspicerent, Spiritu Sancto impulsi sunt, ut carmina canerent admirabilia ac sapientiae pietatisque plena. Nam ut ab antiquis temporibus repetam, Moyses quum suos ex acerbissima servitute divino tum consilio tum subsidio eripuisset, aetate senex fervore iuvenis Dominum aeternis laudibus extulit. Superatis fugatisque hostibus, Deum adiutorem suum carmine virili Debbora femina ornavit. David imperio accepto, confectoque templo Salomo cuncti in eo versati sunt, ut immortalibus versibus gratias Domino agerent tantis dignas beneficiis. Paullo post Iosaphat rex et Iahaziel propheta acerrimorum hostium copias non pugnando vicerunt sed canendo. Atque Ezechias rex, postquam se ex certissimo oraculo iam ut mortuum luxit, novae vitae primitias Deo ita consecravit, ut dul-

cissimum ei carmen ederet. Nec Zacharias sacerdos, quum redemptorem cognosceret proxime adesse, nec virgo Maria, quum advenisse sentiret, quidquam antiquius habuerunt, quam ut coelestem in terris hospitem suavissimorum carminum modulationibus salutarent. Qui quoniam omnes, auxilio divinitus accepto, Deum laudibus celebrarunt; quid mirum, si Iudaei, occisis occisoribus suis spoliatisque spoliatorihus, pleniore ore servatorem suum collaudare inceperint? Sed dicat quispiam, de ceteris rebus illis carmina se scire confecta, at de Idumaico bello aut eos qui tunc erant prophetas aut Mardochaeum aut Estheram cecinisse, memoriae prorsus non esse proditum. Neque enim in libro Estherae neque apud Esdram aut Nehemiam perspicuam huius rei mentionem ullam esse factam.

Sed si considerare vaticinia volumus, quae de victoria Mardochaica edita sunt, facile intelligemus victoriam illam novis esse carminibus celebratam. Nam si quidquid de Mardochaico triumpho prophetae praedixerunt, videmus evenisse; quis est, qui illud unum quod de psalmis et de canendi studio praemonstrarunt quin evenerit, audeat dubitare? An quae dixit Osee, possunt ea quidem veteribus de carminibus intelligi et ante decantatis? Dixit enim haec: *Et cantet ibi (i. e. in valle Achor) iuxta dies iuventutis suae et iuxta dies ascensionis suae de terra Aegypti* [1]. Israelitae quum per medium mare ex Aegypto victores discessissent, num antiquis Deum laudibus honestarunt, an novis et in omni memoria omnino inauditis? Et Habacuc propheta, quem praevisa victoria commovit, ut novum carmen scriberet, num de psalmis putabitur vetustis locutus et a prisco Davide confectis? Nam quum rem Estherianam

1) Ose. 2, 15.

praeclarissimis versibus praedixisset, *Deus Dominus*, inquit, *fortitudo mea* (h. e. *filiorum Israel*) *et ponet pedes meos quasi cervorum et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem* [1]). Quid vero de Iesaia loquar? Qui quum nova carmina sibi de Mardochaico triumpho novosque modos audire videretur, Mardochaeo ceterisque poetis non modo carminum argumenta exposuit sed etiam principia exordiaque indicavit. Etenim haec ab eo dicta sunt: *Et dices in illa die: Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, conversus est furor tuus et consolatus es me* [2]). Quae utrum de hoc ipso Iesaico carmine intelligenda sint, an de novis psalmis, quorum iddem atque illius sit exordium et aequales sententiae, nulli umquam dubium esse potest. Et quae sequuntur verba: *Et dicetis in die illa: Confitemini Domino et invocate nomen eius* [3]), nonne spectare existimabimus ad cantica illa, quae eodem ab exordio incipiunt eamdemque rem tractant? Apud eumdem vatem haec sunt: *In die illa cantabitur canticum istud in terra Iuda: Urbs fortitudinis nostrae Sion etc.* [4]). Quae sane non video, cur ad istud carmen ipsum potius quam ad pares psalmos consimilesque referenda sint. Quodsi igitur prophetarum voces audierimus, haud mediocrem certe psalmorum numerum recitatum eo tempore putabimus, quum populus Iudaicus de hostibus Idumaicis victoriam detulit omnium maximam.

Qua quidem in re sapientissima Dei consilia non videre difficile factu est. Nam quae similitudines in

1) Hab. 3, 19.
2) Ies. 12, 1.
3) Ibid. 12, 4.
4) Ibid. 26, 1.

veteri testamento exstant, eae sunt tam mancae singulae per se tamque imperfectae, ut unam ad rem adumbrandam multae fuerint necessariae. Haec contra quae in Mardochaeo cernitur figura, nonne tam clara atque omnibus ex partibus absoluta est, ut haec una omnes complecti redemptionis nostrae rationes videatur? Etenim ea signis gravissimis et mortem Christi et resurrectionem exprimit, sacrificium sanguinis indicat eiusque renovationem, perditionem generis humani ac redemptionem significat, victoriam inimici cklademque demonstrat, futuram denique non modo condemnationem impiorum sed etiam corporum suscitationem portendit. Sed his rebus, de quibus iam alio loco dictum est, nonnulla sunt, quae addenda esse videantur.

Vt enim convivia Mardochaica sanctam eucharistiam praesignificarunt; sic munuscula quae ex illis conviviis omnibus promiscue pauperibus mittebantur, Christianorum videntur agapas et eam beneficentiam praenuntiasse, quae omnes ubique homines uno eodemque caritatis vinculo complectitur.

Praeterea in Esthera immaculatae Virginis imago tam accurate est expressa, ut ex mea sententia nulla ne tenuissima quidem lineamenta desiderentur. Quid enim subtilius esse potest, quam quod a Summo Pontifice nostro Pio IX. definitum est, beatissimam Virginem omni semper originali labe vacasse? Ab omni autem originalis peccati macula libera quum esset, prorsus non habuit, quo ulla umquam diaboli potestate obstricta teneretur. Similiter Esthera signis notis indiciisque omnibus caruit, quibus ab Amane Iudaea esse cognosceretur. Nam iste quidem Aman, quum Iudaeos omnes occidendi potestatem haberet, in Esthera non invenit, unde Iudaeam eam esse perspiceret. Quare si omnes, ut sibi proposuerat, ceteros Israelitas interfecisset; tamen et propter ge-

neris ignorationem et propter gradum dignitatis Estherae numquam ausus esset manus inferre [1]).

Mardochaica igitur res, quae iam per se magna, propter typicam auctoritatem maior fuit, multis eximiisque psalmis celebrata est. Qui quidem psalmi a Iudaeis de futura redemptione recitati sunt [2]), a Christianis autem quum de priore Christi adventu canuntur tum vero etiam de altero, quem extremo tempore fore credimus. Sunt enim haec carmina omnia, ut res unde sunt sumpta, prophetica et ad utrumque Iesu Christi adventum pertinentia.

Sed si qui psalmi, prophetis testibus, de re Estheriana cantati atque editi sunt, ei nullo certe in libro alio exstant nisi in eo, qui *de psalmis* est simpliciter inscriptus. Pervolvendum est igitur totum volumen, examinandi psalmi omnes, eligendi ei sunt, qui vel de Mardochaeo proprie et de Christo allegorice vel de Christo proprie ac de Mardochaeo allegorice explicari possunt. Sed in hoc delectu duo vitia videntur esse vitanda. Nam ad hanc rem psalmos qui non pertinent referre, vitiosum est; et mendosum, qui pertinent praetermittere. Sed delectus ille etsi perquam est difficilis, tamen eiusmodi non est, ut omnino fieri non possit. Nam victoria Mardochaica tam singularis est in omni historia Iudaica, tam disiuncta ab aliis rebus gestis atque diversa, ut si qui de ea psalmi scripti sunt, ei haud fere latere posse videantur. Praeterea a prophetis haec res tam copiose et eleganter et ita omni ex parte descripta est, ut interdum qui eam psalmis decoravit, neve

---

1) Esth. 7, 5.

2) Ioann. Chrys. in Ps. 126. *Psalmorum auctor priores res adversas Iudaeis frequenter in memoriam revocat in tempore felicitatis, ut mentem eorum omni ex parte et per ea corrigat, quae passi et a quibus liberati sunt, et per ea quae consequentur.*

verba potuerit mutare neve sententias variare. Accedit etiam, quod ex psalmorum titulis aliquid nos posse efficere speramus, quod ad delectum illum faciendum valeat. Sed haec quamvis magna sint adiumenta; tamen et in re ipsa tanta est difficultas et in nobis ea virium infirmitas, ut si aliam investigationem ullam alienae sententiae subiecerimus, hanc certe committendam aliorum iudicio esse putemus.

§. 2.

De quibusdam psalmorum inscriptionibus.

Quamquam psalmorum tituli non satis adhuc habeant perspicuitatis, tamen tantum licet intelligi, eos partim ad musicam artem partim ad res gestas pertinere. Sed quum nobis propositum sit, ut rei Mardochaicae eum qui par est psalmorum numerum tribuamus, si qui huic rei tituli videntur esse coniuncti, ei primum hoc tempore explanandi illustrandique sunt.

Deinde vero ab hoc loco non alienum erit, pauca etiam de aliis quibusdam titulis dicere qui attingunt musicam. Primum igitur ut de historicis titulis dicamus, quattuor psalmis huiusmodi inscriptio est:

Pro eis qui commutabuntur [1]). Ita in editione Vulgata, apud Septuaginta vero: ὑπὲρ τῶν ἀλλοιωθησομένων i. e. *pro eis qui ipsi in locum aliorum et quorum in locum vicissim alii substituuntur*. Si quis omnes res Iudaicas memoria repetiverit, haud fere inveniet, quod huic titulo magis possit quam res Estheriana convenire. Etenim ut Iudaei ad salutem victoriamque Idumaeorum, sic Idumaei ad perniciem Iudaeorum sunt vocati. Sed censeat fortasse quispiam, hanc inscriptio-

1) Pss. 44. 59. 68. 79.

nem plurimum et ab aliorum interpretatione et a veritate Hebraeorum distare. Quod quamvis ita sit, tamen eam contemnendam non putavimus. Namque Aquila et eum qui secutus est Hieronymus reddiderunt: *pro liliis*, Symmachus: *de floribus* [1]). Sed illud *pro liliis*, explicatores in varias distraxit sententias. Nam qui aut natura aut institutione paulo erant cautiores, ei sibi in allegorica nescio qua explicatione requiescendum crediderunt [2]); qui audaciores, illud finxerunt fuisse instrumentum, quod ad liliorum formam proxime accessisset; de quo sane instrumento mirum quoddam apud omnem antiquitatem silentium est. Haec igitur inscriptio *pro liliis* vel *de floribus*, quid sibi velit, unde petita sit et quid ei cum psalmis necessitudinis intercedat, quaerant alii. Nos iam afferemus verba Hebraica, ut de Septuaginta virorum interpretatione possit iudicari. Psalmi igitur 44. inscriptio haec est: על שׁשׁנים. Quae nihil valet aliud quam: *pro Susianis*. Eadem est in reliquis tribus, nisi quod in 59. שׁושׁן i. e. *Susa* non *Susiani* exstat. Haec igitur quae pro Susianis scripta sunt carmina, quo spectent, nonne luce clarius est? An minus est perspicuum, Septuaginta non verba quidem ipsa, sed vim verborum summa fide ac religione reddidisse? Nam Susianorum nomen proprium quid aliud significat quam Iudaicos Susorum incolas, quos ut mercatores rem re commutant, sic hos Deus Idumaeis commutavit [3])?

---

1) Greg. Nyss. in pss. 2, 4. Origen. in pss. II. p. 518. Euseb. in pss. citt.

2) Haevernick Einleit. 3. p. 118.

3) Allegoriam quam et historiae Estherae et his psalmis inesse dicimus, s. Basilius etiam ex hac inscriptione deduxit. Euthymius enim in ps. 59. de eo ita: *Magnus Basilius verba illa: eis qui commutabuntur, de Christianis intelligit dicta esse, propter immutationem scilicet quae fit in baptismo et propter liberationem a daemonum servitute.*

Pro populo qui a sanctis longe factus est. Haec verba inscripta sunt Psalmo 55. Septuaginta eam etiam hoc loco legem et in interpretando normam observarunt, ut quae a Graecis non possent intelligi omitterent, cetera autem ita explicarent, ut sententiam perspicuam planamque redderent. Quamobrem illud quod apud Hebraeos est: *de columba*, quod Graecorum nemini potuit non obscurum esse, praetermiserunt, addiderunt autem: *a sanctis*, quod apud Hebraeos non est. Neque vero illud *de columba* apud Hebraeos solum, sed etiam apud Theodotionem, apud Symmachum invenitur, apud Aquilam et in ea interpretatione quae vocatur Quinta [1]). Hoc igitur, ut diximus a Septuaginta omissum est. Sed de ceteris verbis, quae ab illis posita sunt, controversia est propter scripturarum varietatem. Nam ubi illi verterunt: *pro populo*, ibi in Hebraicis qui nunc sunt libris est; אלם *muta*, quod iddem et Aquila et auctor Quintae habuerunt. Sed sententiae ratione habita, nemo est quin hanc vocem mendosam esse perspiciat. Nam sanam sententiam quis subiicere possit verbis, quae inter se nihil habeant coniunctionis? Sunt autem disiunctissima omnia, sive Aquilam inspicis: *de columba muta peregrinationum (repulsarum)*, sive Quintam: *de columba impeditae linguae absconditorum*, sive denique recentiores: *de columba muta remotis*. Sed emendatio est facillima. Si enim pro אלם scripseris אל-עם, habebis ea, quae una cum ea quae sequitur voce Symmachus transtulit: *pro gente repulsa* et Septuaginta: *pro populo a sanctis remoto*. Dedicatum est igitur hoc carmen Estherae, quae etiam alibi columba appellatur; scriptum autem ad populum patria temploque expulsum.

---

1) Euseb. in ps. 55.

De torcularibus inscripti sunt Psalmi 8. 80. 83. Non minus absconditus hic titulus est, quam superior: *de columba*. Verum ad eum illustrandum, nisi fallor, valent illa, quae in libro superiore de uvarum perceptione diximus. Vindemiam enim fecerunt Iudaei ex gente Idumaeorum, torcularia calcavit Mardochaeus [1].

Ne disperdas, *μὴ διαφθείρῃς*. Haec inscriptio in psalmis quattuor reperitur [2]. Quam nonnulli vocem Davidis esse duxerunt armigerum prohibentis, quominus Saulum regem trucidaret [3]. Sed prophetae videtur fuisse precatio, ne Deus suos in tantum discrimen adductos omnino perdi atque ad internecionem redigi pateretur.

In tituli inscriptionem. Haec verba in psalmis sex inveniuntur. Si de eis quid senserint antiqui, quaerimus; Gregorius Nyssenus et Eusebius eis indicari dixerunt, mandanda memoriae haec carmina esse animisque imprimenda [4]. Sed haec sententia nonne verbis illis: *εἰς ἀνάμνησιν*, *in rememorationem* videtur subesse? At quod Septuaginta *στηλογραφίαν* vocarunt, id apud Hebraeos sonat מכתם. Quod illi quum adhiberi a Moyse de scriptura saxo insculpta viderent, eamdem in psalmis vim significationemque habere putarunt. At, mea sententia, in psalmorum titulis illud ducendum est a כתם significatque eum qui ad Deum placandum se vel in tristitiae late-

1) Hieron. in Ies. 63: *Dicendum est de torculari quod iuxta scripturae sanctae consuetudinem interdum pro ultione ac suppliciis ponitur peccatorum ... Pro poenis ac tormentis quando Ieremias in Lamentationibus plangens eversionem Ierusalem loquitur: Torcular calcavit Dominus virgini filiae Iuda ideo ego ploro.*

2) Pss. 56. 57. 58. 74.

3) Greg. Nyss. in pss.

4) Greg. Nyss. l. c. Euseb. in hos pss. Symmachus et Aquila reddiderunt: *humilis perfecti.*

bris *occultavit*, vel etiam sacco ac pulvere *sordidavit*. Nam si horum tantum exordia psalmorum considerare volueris, facile hominis eos videbis esse tristis cuiusdam supplicis atque humilis. Incipit enim hoc modo Psalmus 15: *Custodi me Deus*. Commune Psalmorum 55. et 56. principium hoc est: *Miserere mei*. Hoc porro initium est Psalmi 58: *Eripe me de inimicis meis*. Psalmus autem 59. ab his verbis exorditur: *Deus repulisti nos*. Qui denique Psalmum 57. cecinit, huiusmodi sumpsit exordium: *Si vere utique iustitiam loquimini*, totusque in eo fuit, ut Idumaeorum nequitiam exponeret eisque poenam tantis dignam sceleribus indicaret. Sed *absconditi* vim huic verbo esse subiectam, cognosci etiam ex tribus additamentis potest. Namque in Psalmo 55. verbis: *Davidis absconditi*, adscriptum est: *Quum tenerent eum Allophyli in Geth*, in Psalmo vero 56: *Cum fugeret a Saul in spelunca*, in Psalmo denique 58. hoc est adiunctum: *Quando misit Saul et custodivit domum eius*. Ex sententia igitur Iudaeorum, qui haec adiecerunt, absconditus erat David vel inclusus obsessusque tenebatur. Nam haec additamenta sine controversia eo consilio facta sunt, ut *absconditum* illud accuratius definiretur. Nec multum ab hoc titulo differt id quod inscriptum est Psalmo 101: *Oratio pauperis afflicti*. His rationibus adducor, ut Hebraicum de quo dictum est interpretandum putem *absconditus* vel *sordidatus*.

Pro Maeleth. Haec verba scripta sunt in Psalmis 52. et 58. Aquila, Theodotio et Quintae editor *pro tripudio* transtulerunt, Symmachus *per chorum* [1]). Septuaginta vero, qua semper erant circumspectione, retinere verbum Hebraicum quam in sermonem Graecum absurde

1) Greg. Nyss. l. c. Euseb. ad hos pss.

convertere maluerunt. Numquam enim vidi quod ulla cum re tantopere discreparet quam cum his psalmis tripudium. Nam ambo illi psalmi pleni sunt tristitiae, pleni dolorum, pleni luctus ac moeroris. Quamobrem non possum neque veteribus umquam assentiri neque recentioribus, qui hanc vocem vel *de morbo* vel *ad citharam* vel *canticum* reddiderunt. Nam antiqui illi hoc minus errarunt, quod eam a verbo חול ducendam putarunt. Sed omnis in eo est error, quod verbo illi hoc quoque loco saltandi significationem tribuerunt. Habet enim id quidem duplicem vim inter se quam maxime contrariam, ut et saltare significet et volutari vel agitari maximis praesertim parturiendi doloribus. Maeleth igitur iddem valet quod *volutatio* vel *pariendi dolores* [1]). Atque eiusmodi prophetae dixerunt Iudaeorum dolores fore; eiusmodi fuisse, testis est liber Estherae. Quae quum ita sint, illud quod Psalmo 87. inscriptum est: על־מחלת לענות non, ut assolet, *pro chorea ad respondendum* interpretor, sed *de doloribus afflictionis* cf. Ps. 101. 1.

Resurrectionis [2]). Quattuor sunt psalmorum inscriptiones, quae quamquam non in Hebraicis libris nostris sed in solis Graecis reperiuntur, tamen in veris et incorruptis titulis putandae sunt. Tangunt enim eae omnes Mardochaei salutem ac Christi resurrectionem vel gentem Iudaicam ab illo liberatam et ecclesiam ab hoc conservatam. Quamobrem plus interfuit Iudaeorum eas delere, quam Graecorum adiungere. Praeterea eae omnino redolent Hebraicum. Prima est quam supra posuimus *resurrectionis*, de qua vix necesse habemus dicere. Nam allegorice ita vocari potuit Mardochaei conservatio

1) Hieron. in Brev. ad Ps. 52. Amalech (Maeleth) interpretatur *dolens parturiens*.

2) Ps. 65.

ac Iudaeorum liberatio, proprie ita dicta est Christi ad vitam suscitatio nostraque redemptio.

Quando fundata (restaurata κατῴκισται) est terra [1]. Terra Dei, gens sancta ab Amane et a daemone, ut poeta saepius in psalmis queritur, labefactata est ac paene prostrata. Deus ita subvenit, ut eam ad integrum restitueret confirmaretque in aeternum. Quam quidem ad restaurationem hic titulus spectat.

Quando domus aedificabatur. Quae terra supra, ea hoc loco domus nuncupatur. Intelligenda est autem domus familiaque Israel. Consimilis est titulus quartus.

Quando terra eius restituta est (καθίσταται) [2]. Gens sancta hoc loco planius quam supra, dicta est terra eius, i. e. ut Gregorius Nyssenus ait, terra Dei. Quae de titulo Psalmi 92. diximus, ea etiam ad hanc inscriptionem pertinent.

Quoniam de historicis titulis satis disputavimus, restat, ut de nonnullis qui ad musicam artem spectant dicendum esse videatur. Omnino autem de veteri apud Hebraeos musica ita existimo: ut ab huius artis perfectione nostra plurimum quisque ad eius primordia animum revocaverit: sic proxime eum posse ad ea, quae de Hebraeorum musica vera sint, accedere. Sed haec nostra disputatio omnis proficisci debet a I. Parall. 15, 19. ss.; quo loco expositum est diligentissime, quibus tum usi sint Hebraei canendi generibus, quum Davide rege arcam Dei rite ad montem Sion afferrent.

Primum quidem ibi is qui voce humana efficitur cantus a nervorum cymbalorumque cantu divisus ac distinctus est. Nam qui voce, nullo adiuncto instrumento, can-

---

1) Ps. 92.
2) Ps. 96.

tabant, ei ab Hebraeis vocabantur prophetae, eorumque vel cantus vel chorus prophetia. Huic, Davide regnante, Chonenias praefuisse dicitur: *Chonenias autem princeps Levitarum prophetiae praeerat ad praecinendam melodiam, erat quippe valde sapiens* [1]).

Segregati a prophetis separatimque nominati sunt ei, qui fidibus cymbalisque canebant, quique proprie dicebantur cantores. Neque tamen ei omnes, ut prophetae, unius chori iuncti sunt societate, sed distributi in classes tres, quarum suis quaeque instrumentis usa est. Vna quidem sciebat cymbalis aeneis, alia nabliis didicerat, sonabat tertia citharis (κινύροις).

Atque classi primae cantores non amplius tres adscripti sunt. *Heman Asaph et Ethan in cymbalis aeneis concrepantes* [2]). Haec nos verba iam propius ad rem ipsam adducunt, quoniam in eis vox una est, quam sibi musica tamquam propriam vindicat ac suam. Nam vocabulo להשמיע, quod latine *concrepantes* est redditum, in eis qui sequuntur versibus opposita sunt *arcana* vel *pro arcanis* atque *epinicion* vel *in finem*. Quae si recte explicare probeque volemus, omni cura enitendum videtur, ut hoc ipsum *concrepantes* quid significet assequamur.

Sciendum est igitur cymbala, nisi leniter, nisi temperanter ac maxima cum remissione adhiberentur, ita solita esse concrepare, ut vehementia sua prophetiae vel summam nervorumque contentionem vincerent. Nam ea paulo immoderatius si sonabant, non modo tantum ex veterum testimoniis poterant, ut nullum paterentur cantum percipi, sed ut etiam auditorum animos ad perturbationem insaniamque raperent. Quamobrem in

1) I. Parall. 15, 22.
2) Ibid. 19.

Psalmo 150. a *cymbalis iubilationis* (*ἀλλαλαγμοῦ clamoris*) *cymbala benesonantia* seiuncta sunt, non quod ea inter se ipsa differrent, sed quia admota inter se lenius suavem sonum dulcemque, vehementius autem collisa incredibilem clamorem strepitumque vix ferendum edere solebant. Quae quum ita essent, ea ratione nimia cymbalorum vis a Levitis temperata ac demissa est, ut huius classis cantores ad minimum quoad fieri potuit, revocarentur numerum. Ne tamen pauciores cymbalorum vi ceteris minus valerent, sonare iussi sunt להשמיע *τοῦ ἀκουσθῆναι ποιῆσαι* i. e. ut cymbalorum cantus audiri ac percipi posset.

Pro arcanis. Secundae classi musici attributi sunt octo, qui, ut a scriptore sacro dictum est, *nablis arcana cantabant*. Verbum Hebraicum, unde *arcana* illud est sumptum, haud ita facile est ad explicandum. Neque enim de eius scriptura inter omnes constat, neque quid valeat aut quo pertineat convenit. Omnino enim hoc verbum ut tribus locis in veteri testamento, sic totidem etiam modis scriptum invenitur. Nam I. Parall. 15, 20. quo de loco dicimus, s. Hieronymus in libris suis habuit עלמות *arcana*, omissa praepositione על. In Psalmo porro 9, 1. et nos in Hebraicis libris habemus על־מות et iddem Aquila interpretatus est: *pro morte*. In Psalmo denique 45, 1. tertia scriptura est על־עלמות, quae non modo I. Parall. l. c. in Hebraicis codicibus reperitur sed etiam Ps. 9, 1. a Septuaginta et a Symmacho *pro arcanis* vel *pro iuventute* expressa est.

Iam in hac varietate scripturarum quid verum sit quaerendum est. Scripturam tertiam plerique ceteris praeferendam putant. Sed eam ne incorruptam integramque iudicemus, Septuaginta virorum reclamat auctoritas. Qui quum Hebraicorum verborum omnium vim et significationem cognitam haberent, tamen in libris Pa-

rall., conservato verbo Hebraico scripserunt: ἐπὶ ἀλαιμώθ. Cuius rei causa alia nulla est, nisi quod verbum illud depravatum esse duxerunt. Reliquae sunt aliae scripturae duae. Quibus ne temere assentiamus, ceteri movent interpretes. Nam incredibilis illa eorum dissensio quid aliud demonstrat, quam eos in voce dubia, in loco lubrico versari? In tot autem propositis interpretationibus, ubi invenitur, quae non dicam vera sit sed quae veri similis esse videatur? Quae quum ita sint, scripturam utramque corruptam arbitramur et ita emendandam: על־מעלות i. e. *secundum gradus, gradatim.* Quod verbum in psalmorum titulis minime novum est, quippe a quo graduum psalmi nomen acceperint. Praeterea tres illae scripturae depravatae quomodo ex eo exstiterint, facile cognoscitur. Nam prima et secunda orta est, litteris על vel brevitatis causa (מות) vel ex librariorum errore praetermissis; et eisdem transpositis, nata est tertia. Secunda igitur classis, quae nabliis vel maioribus citharis sonabat, modo cantum leniter inceptum placide ad maiorem vim gradatimque ad summam contentionem augebat, modo fortiorem cantum sensim ad leniorem sonum traducebat atque omnino supprimebat. Sed quoniam verendum fuit, ne submissus nabliorum cantus prorsus evanesceret, huic classi maximus cantorum numerus assignatus est.

In finem, epinicion. Collocati sunt in classe tertia cantores sex, qui *in citharis pro octava canebant epinicion* [1]. Exstat apud Hebraeos hoc loco לנצח, in Pss. et Hab. 3, 19. למנצח. Hanc autem vocem in libro Pss. Aquila vertit τῷ νικοποιῷ *victoriae auctori*, Symmachus ἐπινίκιον *carmen triumphale*, Hieronymus *victori*. Scripturam hi quidem omnes eamdem habuerunt, quam in nostris li-

1) Parall. 15, 21.

bris conservatam tenemus. At vero Septuaginta in codicibus antiquioribus in tot psalmis legerunt לנצח i. e. *in finem* [1]), quae scriptura etiam in libris Paralipomenon conservata est. Neque vero aliter apud Habacuc prophetam inscriptum invenerunt. Nam Hebraicum לנצח vel quod propius accedit ad alteram scripturam להנצח Graece reddiderunt τοῦ νικῆσαι *ad vincendum, ut vincerem*. In antiquissimis igitur Septuaginta virorum codicibus haec scriptura non modo ut in nostris editionibus in libro Paralipomenon, sed et apud Habacuc et in tot psalmorum titulis exstabat. Quibus de causis eam veram esse censeo et in locos suos restituendam.

Sed invento verbo vero, non erit difficile id quid valeat dicere. Nam Hebraicum idem significat, quod *praeesse*, quod *vincere* ac *superare*. Neque Graeci interpretes aliud quidquam voluerunt intelligi. Etenim apud Habacuc verterunt, ut diximus, τοῦ νικῆσαι *ad vincendum*, in libro autem Paralipomenon τοῦ ἐνισχῦσαι, *ut invalescerent*. Sonabant igitur, ut omnia comprehendamus, cantores tres, qui cymbalis utebantur, haud ita temperanter moderate ac suaviter sed *ut sonus percipi posset;* cantores porro octo nabliis modo leniter, modo mediocriter, modo fortiter, *secundum gradus;* musici denique sex citharis minoribus valde contente ac magna cum vehementia, *ut invalescerent, ut vincerent omnibusque praeessent* [2]). Musici igitur classis tertiae, quo-

1) Cf. LXX. Ps. 9. 19.

2) Ad sententiam nostram tutandam argumentum quoddam sumi etiam ex ceteris psalmorum titulis potest. *Fortiter* enim vel *ad vincendum* omnes canendi sunt psalmi *pro Idithun*, omnes *ne corrumpas*, omnes *in Susianis*, omnes *de pariendi doloribus*, omnes denique *de filiis Core*, exceptis duobus, qui sunt *cantus cantici* appellati (Pss. 47. et 86). At vero notam hanc nulla habet *oratio*, nullus porro psalmus, qui aut *de humili et abscondito David* aut *de Asaph* in-

niam numquam debebant non multa cum contentione sonare, sex idonei visi sunt, qui cuncto concentui dominarentur. Sed huius rei fortasse aliam quoque causam indagabimus.

Pro octava. Verbum השמינים tribus omnino locis invenitur I. Parall. 15, 21. et in Ps. 6, 1. atque 11, 1. Hoc in Psalmis a Septuaginta traditum est ὑπὲρ τῆς ὀγδόης *pro octava*. Recentioribus temporibus haec ei vis tributa est, ut indicaret sonum gravem, qui octavo gradu vel septem interiectis intervallis distaret ab acuto. Sed fuerunt, qui eam veram esse explicationem negarent, quamvis aliam dubitarent proferre. Mea sententia Septuaginta interpretes in Paralipomenon libris si minus veram, at certe eam scripturam litteris custodiverunt, quae facile nos ad veritatem potest perducere. Nam ei tanta fide ac religione erant, ut, quum verbum viderent paulum depravatum, id non transferrent sed Graecis litteris ita transcriberent: ἀμασενίθ i. e. המשנית. Omnis autem depravatio insidet in littera ultima quae ת facta est ex simillima ם. Sunt autem כנרת המשנים nihil aliud nisi *citharae alterius ordinis* i. e. *minores*, quae decem nervis erant instructae. Nam citharae tam maiores quam minores aeque cinyrae כנרות atque nablia נבלים vocari possunt. Nam I. Parall. 15. de quo loco dicimus, citharae maiores simpliciter *nablia* nominantur. Fuisse autem eas citharas maiores, inde perspicitur, quod *cinyrae* eis oppositae sunt *secundi ordinis*. At vero in Ps. 32, 2. maior illa simpliciter dicitur *cinyra*, quae revera fuisse maior cognoscitur ex eo, quod ei opponitur *nablium decem chordarum* [1]),

---

scriptus est, nisi idem alium qui eam notam postulet titulum habeat.

1) Cf. Ps. 91. 4.

Citharis igitur maioribus cantorum classis secunda, minoribus tertia utebatur. Maiores autem illae sonum graviorem, minores acutiorem ederent necesse fuit. Cantum ergo variavit classis secunda, quum gravem sonum modo remittebat, modo contendebat. Sed quamvis huic adscripti cantores octo erant, tertiae vero non amplius sex, facile tamen hi qui numero inferiores erant, acutiori suo cantu tantum valebant, ut reliquos omnes superarent. Ac de psalmorum titulis satis, ut arbitror, diximus.

Sed restat, ut in universum de eis psalmis, qui a nobis vel ad Mardochaeum et Estheram vel ad Iudaeos exsules referuntur, quid sancti patres statuerint, dicamus. Ac pars quidem horum psalmorum longe maxima etiam a s. Athanasio, a Chrysostomo, a Beda, ab aliis relata est ad Iudaeos in Babylonia exsules. Eo autem tempore praeter Ezechielem Danielemque prophetas plurimum potentia auctoritate et pietate floruerunt Esthera et Mardochaeus. Horum praeterea victoria non modo rerum omnium quae tum gestae sunt summa fuit, sed etiam extremus cardo, quo Iudaicae res ab infima calamitate ad altissimam gloriam ac felicitatem converti coeperunt. Quocirca non intelligo, quid mirandum sit, si huius tantae rei significationes dispersae in multis psalmis inveniantur. Qui igitur psalmi ad exsules a patribus relati sunt, non potest esse dubium, quin sint, modo perspicuum eiusmodi indicium suppeditet, ad rem Estherianam referendi. Alii autem a sanctis interpretibus ducti sunt ad Ezechiam. Nec mirum. Eisdem enim cum hostibus Ezechias certavit atque Mardochaeus. Similem eorum uterque adeptus est a Deo victoriam. In hoc igitur psalmorum genere si nihil est, quod eos Ezechiae adscribi cogat; si autem multa sunt, quae eos Mardochaeo vindicent; iuste mihi videor eos ab Ezechia ad Mardochaeum transferre. Tertium psalmorum genus est,

qui a patribus ad Maccabaeos vel trahuntur vel trahi posse putantur. De quibus iddem prorsus iudico quod de superioribus. Similia enim fuisse facta et tempora Ezechiae Mardochaei et Maccabaeorum, ex eo perspicuum est, quod eidem interdum psalmi ab aliis patribus ad Iudaeos exsules, ab aliis ad Ezechiam vel ad Maccabaeos deferuntur. Sed gravissimum discrimen temporum illorum in eo cernitur, quod aetate Maccabaeorum nulli sunt psalmi conscripti [1]). Nonnulli denique psalmi ex eo numero sunt, quibus a recentioribus auctoritatis non plus tribuitur, quam ut vel historici in universum vel morales vel piorum omnium aut afflictorum hominum communes habeantur [2]). Quibus ad Mardochaeum revocatis, perfectum est, ut nemo eos possit propheticos esse negare. Quidquid enim Mardochaeum in his psalmis attingit historice, id prophetice etiam spectat ad Christum; ac quidquid allegorice dictum est de Mardochaeo, id proprie de Christo debet intelligi. Quae quum ita sint, sanctissimos patres vera vidisse apparet, quum propheticos hos psalmos ac de Christo explicandos dicerent.

---

1) S. Hilar.. Prolog. in Pss. 4. *Absolutum est, non potuisse eos (psalmorum auctores) nisi prophetis prophetantibus prophetari.*

2) Qui a catholica fide alieni sunt, vitare, ne erroris convincantur, ea re solent, quod psalmos morales aut omnium communes esse fingunt. Athanas. in Pss. 8. edt. Montfauc. Coll. ss. patrr.

CAPVT SECVNDVM

DE PSALMIS LIBRI PRIMI.

PSALMVS XI.

Precatio, ut Deus quod promiserit faciat, sanctum salvet, inimicos perdat.

Quo tempore hoc carmen et qua de re scriptum sit, parum inter homines peritos constat. Quidam id regi poetae Davidi tribuunt. Sed ex eis id alii scriptum tum putant, quum ille Sauli insidias [1]), alii, quum Absalonis seditionem fugeret. Fuerunt etiam, qui id propter summam cum Pss. 13. et 52. coniunctionem ad exsilium Babylonicum referendum ducerent [2]). Sed sanctorum patrum longe plurimi id de Iesu Christo deque mendacibus eius fraudulentisque inimicis explicant [3]). Quorum ego ita sententiam sequor, ut id quum ad Babylonicum tempus, tum vero etiam ad priorem Iesu Christi et ad alterum adventum pertinere dicam. Nam memoria tenendum est, quod de trium horum temporum similitudine inter se convenientiaque exposuimus.

2. *Salvum me fac Domine, quoniam defecit sanctus.* Pronomen *me* primum a Graeco, deinde etiam a Latino interprete adiectum est. Hebraeus simpliciter: *Salva. Defecit sanctus* vere non de Mardochaeo, sed de no Christo dici potuit. Neque enim ille ab hostibus

1) Cyrill. Alex. Euthym. Bossuet.
2) Ferrand. Calmet. Di-Vence.
3) Cyrill. Alex. Euseb. Athanas. Beda.

sed hic solus interfectus est (i. e. defecit). Vox *Salva* infelicium est atque iudicem Deum vindicemque advocantium. Ps. 11, 2.

2. *Quoniam diminutae sunt veritates a filiis hominum.* Filii Adam primum quidem Amalecitae eorumque socii putandi sunt, deinde etiam Pharisaei. Horum enim alteri ab Assuero, alteri a Pilato mendaciis calumniisque flagitaverunt, ut iustum sibi liceret occidere.

3. *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum.* Proximi vocantur ei, qui sanguine vel civitatis societate coniuncti sunt. Falsa locuti sunt eunuchi vatesque Idumaici, quum Amani de Iudaeorum caede consentirent. Falsa protulit Aman, quum ad Assuerum de Iudaeorum religione referret, atque pestiferas illas ad suos litteras daret. Falsa denique ea fuerunt, quae uxor Amanis atque amici in concilio locuti sunt. Falsae etiam vel vanae sunt omnes res tam superstitiosae quam improbae [1]).

3. *Labia dolosa in corde et corde locuti sunt.* Vt *pondus et pondus* duo pondera diversa, sic cor et cor duo corda significant. Insidiosis istis hominibus duplex erat animus, modo haec modo illa loquebantur [2]). Aman amicis suis, quantopere Mardochaeo succenseret, confessus est, at vero Assuero persuasurus erat, ut illum propter crimina tolleret. Neque alia est ratio Pharisaeorum. Nam alia in sacerdotali Christi iudicio, alia in publico locuti sunt.

4. *Disperdat Dominus universa labia dolosa et linguam magniloquam.* Dolosi et insidiosi erant Idumaei omnes, Aman autem homo extrema petulantia super-

1) Io. Chrysost. ad Ps. 4. Vanitas indicat simulacra et vitam improbam.

2) Chrysost. Athanas. August.

Ps. 11, 4. bia et arrogantia. Iddem prorsus apte in Pharisaeos quadrat.

5. *Qui dixerunt: Linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt. Quis noster Dominus est?* Lingua, aiunt, valemus; lingua vincimus; lingua dominamur. Nam quae diximus ea per totam Asiam decreta omnibusque imperata sunt. Labia nostra nobiscum i. e. calumniae dolus ac fallaciae subsidio nobis sunt. Omnis virtus nostra in lingua est posita; adiutore alio opus nobis non est. Altissimum enim potestatis gradum assecuti sumus. Neque rex quisquam est neque Deus, qui nobis praeesse possit.

6. *Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exsurgam, dicit Dominus, ponam in salutari, fiducialiter agam in eo.* Deus Iudaeorum precibus ieiuniis lacrimisque adductum se dicit, ut surgat suosque conservatum veniat. Interpres quidam Graecus: *statuam salutare conspicuum.* Illud *fiducialiter agam* patres intelligendum esse dicunt: *aperte manifesteque eos defendam* [1]. Ceterum per prophetas Deus se suis laturum opem promiserat.

7. *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terrae, purgatum septuplum.* Dominus, qui numquam potest nec fallere nec falli, promisit. De hoc eius promisso, quid est, quod dubitetur? Verbum eius verum sincerum fidele [2].

8. *Tu Domine servabis nos et custodies nos a generatione hac in aeternum.* Alius: *servabis ea (eloquia).* In hoc tanto discrimine tu praeses noster es, tu conservator, tu custos.

9. *In circuitu impii ambulant, secundum altitu-*

1) Chrysost. Athanas.
2) Athanas. in h. l.

dinem tuam multiplicasti filios hominum. Nos undique Ps. 11, 9.
quidem impii circumveniunt, sed tu ab altitudine tua diligenter observasti (LXX), ne clam nos opprimant [1]). Hebraicorum verborum haec fere sententia est: Exaltationem summam ruina maxima consequetur.

PSALMVS XIII.

De inimicis Mardochaei et Christi.

Ad regem Saulum vel ad Absalonem hic psalmus a nemine fere relatus est nisi a scriptoribus quibusdam natu minoribus [2]). Nactus est autem aliam interpretationem de Rabsace Ezechiae inimico [3]), et tertiam eamque antiquissimam de Pharisaeis et de Antichristo [4]). Ab hac nos allegorica patrum explicatione non modo non discedimus, sed subiecto historico fundamento, eam stabiliendam confirmandamque putamus. Itaque de Amane hunc psalmum accipimus et de Christi tum in priore tum in altero adventu adversariis. Atque huius sententiae auctorem habemus ex recentioribus quidem Di-Venceum, qui dicit hunc psalmum spectare ad Iudaeos exsules, ex antiquioribus vero Origenem, qui Psalmum 52. huic coniunctissimum ad eosdem illos pertinere iudicat [5]). Suffragatur autem nobis admodum istius psalmi inscriptio *pro Amalec,* quae apud Hieronymum aliosque scriptores veteres exstat.

---

1) Alius Graecus: *Quando exaltati fuerint viles filiorum hominum,* i. e. impii extrudentur, quando viles ex filiis hominum exaltaveris, Io. Chrys.

2) Cornel. Bossuet. al.

3) Theodoret. Euthym. Nicephor. Beda Calmet.

4) Athanas. Euseb. Hieron. Augustin. Cassiador. etc.

5) Origenes in Ps. 52, 7.

Ps. 13. Sed priusquam ad hunc psalmum explicandum accedamus, de tribus versibus: *Sepulcrum patens.... oculos eorum* necesse est dicere. Nam illi videntur potius habere, quod de eorum veritate suspicionem moveat, quam quod dubitationem ex animis nostris tollat. Nullis enim in libris Hebraicis nec nostra aetate sunt, nec tertio post Christum saeculo fuerunt. Neque enim apud Chaldaeum inveniuntur, neque apud Origenem exstiterunt. Nam eos ab Hexaplis abfuisse, testatur Cyrillus Alexandrinus [1]; vero a Graecis notatos dicit Hieronymus [2]). Desunt praeterea apud omnes, qui Origenianis operibus usi sunt, ut apud Syrum interpretem, apud Eusebium, Chrysostomum, Theodoretum. Nec tamen tantae me auctoritates movent, ut suppositos eos esse concedam. Nam illud certe absurdum est existimare, eos a s. Paulo non esse ex hoc psalmo depromptos, sed contrà ex illius epistola a librario in hunc locum translatos. Fuisse autem eos in antiquissimis Hebraeorum exemplaribus, duo sunt argumenta. Vnum, quod eis sublatis, hic psalmus omni ex parte cum 52. congruit. Quaenam igitur causa cogitari potest, quare psalmus idem sit in psalterio bis receptus? Inscientiam eius, qui unum in librum psalmos redegit, dicere, petulantiae est; negligentiam, impietatis. Quid igitur aliud in causa esse potest, quam quod hic psalmus tribus versibus fuit altero illo maior? Alterum argumentum est, quod eos Septuaginta interpretes in Hebraicis libris repererunt. Nam in eis codicibus omnibus exstant, quibus inest vulgata h. e. vera illorum interpretatio.

1. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.* Aman ad extremam usque impietatem processit, ut Deum quem

1) Cyrill. Alex. vel potius glossa. edt. Ang. Mai.
2) Hieron. h. l. et praef. in lib. 16. comm. in Ies.

Iudaei colebant esse negaret. Hunc autem malitia et impietate superaturus est Antichristus. Ps. 13, 1.

1. *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* 2. *Dominus de coelo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens aut requirens Deum.* Filii, hominum vocantur primi Adami sectatores, qui Mardochaei fuerunt, et Christi futuri sunt adversarii. Nam Mardochaico tempore Idumaei omnis in toto orbe et superstitionis et turpitudinis auctores ac seminatores erant. Hinc flagitiosa eorum repugnantia contra Deum et capitale illud in Iudaeos odium. Horum autem extremo tempore partes suscipient Antichristi socii.

3. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Primum ad varia vitiorum genera declinaverunt Amalecitae; postea omnes cum eis Idumaei in eamdem flagitiorum turpitudinem delapsi sunt.

3. *Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum.* Amalecitae Amanis socii, quum dolo ac fraude caedis licentiam impetrassent, fauces sanguinis avidas aperuerunt, ut omnes uno die Iudaeos absorberent.

3. *Quorum os maledictione et amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Nihil eorum in ore est nisi impietas in Deum, atrocitas in homines. Sanguinem effundere semper parati sunt, vi caede homicidioque delectantur.

3. *Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt, non est timor Dei ante oculos eorum.* Vbicumque Iudaeorum hostes, quos Scythas fuisse diximus, irruptiones fecerunt, antecedebat eos timor dolor horror, luctus autem exsecrationes infelicitatesque sequebantur.

Ps 13, 4. 4. *Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam sicut escam panis?* Ita omnes libidinibus obcaecati sunt, ut nemo sit, qui Deum suorum tutorem vindicemque fore putet. Faucibus apertis populum sanctum ut panem impune devorare avent. Conferenda sunt ex libro Estherae: *Et hostes eorum inhiabant sanguini* et ex Ps. 123. *Cum exsurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos.*

5. *Dominum non invocaverunt, illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Communis omnium hominum sors est, ut necesse sit credere vereri servire. Qui ea quae divina nobiscum sapientia communicavit, credere non vult, falsa quae humana invenit vesania, credat necesse est. Qui pio animo Deum verum non veneratur, ei fatum, quod superstitio finxit, ac falsi dei metuendi sunt. *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Qui recusat ne Deo serviat summa cum libertate, is non potest non incidere in servitutem voluptatis.

6. *Quoniam Dominus in generatione iusta est. Consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes eius est.* Idumaeis Dominus repudiatis, Iudaeos elegit, quos tutaretur, defenderet, ad perfectionem iustitiae perduceret. *Dominus in generatione iusta.* In quo quum Mardochaeus et Christus [1]) spem suam collocaverint, quamvis ab inimicis spreti sint, tamen vera ignominia et turpitudine affici non potuerunt.

7. *Quis dabit ex Sion salutare Israel? Quum averterit Dominus captivitatem plebis suae, exultabit Iacob et laetabitur Israel.* De conversione captivorum dictum est supra in Ioel 3, 1. Iudaei et Israelitae, quum essent ad Deum conversi, etiam ab inimicis statim liberati, in

1) De Christo qui hoc loco inops, alias pauper dicitur v. Euseb. in h. l.

unum populum redacti et paulo post in patriam re- Ps. 13, 7.
ducti sunt.

PSALMVS XXII.

De typico Mardochaei, de vero Christi convivio.

Praeclarissimi huius carminis suavitas sanctos patrum animos ita permulsit, ut de eo non explicationes sed nova carmina scripsisse videantur. Quae qui legere volet, patres ipsos adeat. Etenim nos, qui Mardochaica victoria quosdam illustrare psalmos conamur, breves de historia adnotationes, quam accuratam enarrationem scribere maluimus. Sed, ut ad rem ipsam veniamus, hunc psalmum superiori i. e. 21. coniunctissimum esse, et ex illius sententia: *Edent pauperes* fluxisse, Cyrillus Alexandrinus ostendit [1]). Quod quum ita sit, sequitur, ut quam ad rem psalmus hic, ad eamdem superior pertineat. Atqui hunc vel in exsilio vel in reditu a Iudaeis cantatum Origenes dicit, Athanasius Beda Calmetius [2]) alii. Neque silentio praetereundum est, Bedam adscripsisse verba: *ad Hester,* quibus aut se ipsum aut alios in ea esse sententia indicavit, ut eum ad Estheram spectare putarent. Quoniam igitur ex sententiis patrum superior psalmus huic cognatus est, hic vero vel in universum ad Iudaeos exsules vel singulatim ad Estheram pertinet: nonne consentaneum est, superiorem non ex arbitrio nostro sed ex auctoritate patrum allegorice ac typice posse ad rem Estherianam referri? Quod autem ad hunc psalmum attinet, eum Iudaei, ut arbitror, post victoriam conviviumque Mardochaei cecinerunt, reditum felicem exoptantes in patriam; nos

---

1) Cyrill. Alex. in h. l.
2) Origenes Sel. in v. 5. Athanas. apud Dan. Barb. Beda in h. l.

Ps. 22. vero eum, et propria quidem verborum vi retenta, Deo Filio de sanctissimo sacramento canimus, desiderantes cibum civitatemque aeternam.

1. *Dominus regit me et nihil mihi deerit* 2. *in loco pascuae ibi me collocavit, super aquam refectionis educavit me.* Hebraeus futuro tempore usus, *Dominus pastor meus,* inquit, *nihil mihi deerit, in amoenitate herbae faciet, ut accumbam, ad aquam quietis adducet me.* Populus in patriam se rediturum gaudet, ut et alimentum doctrinae divinae et aquam refectionis qui Spiritus sanctus est, a Iesu Christo accipiat [1]. Sed quomodo in patriam redire poterit, nisi ad Deum antea reverterit?

3. *Animam meam convertit, deduxit me super semitas iustitiae propter nomen suum.* Illa animorum conversio ieiunio lacrimis supplicationibusque effecta est. Mardochaeus et Esthera et qui cum eis erant, postquam per dies tres neque cibi quidquam neque potus sumpserunt, sese reddiderunt dignos, qui et suam et Mardochaei salutem a Domino impetrarent ab eoque in iustitiae viam reducerentur. Apostoli autem nonne simile videntur observasse ieiunium? Praedicens enim Dominus: *Venient autem dies,* inquit, *cum auferetur ab eis sponsus et tunc ieiunabunt* [2]. Paulus certe apostolus non sine divino consilio eam in urbem adductus est, ubi eidem Idumaei, qui Mardochaei tempore Susis, dominati sunt; ibique, ut tribulis eius Mardochaeus, trium dierum ieiunium servasse traditur.

4. *Nam etsi ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* In umbra

1) Cyrill. Alex. pascua dicit verba divina, aquam Spiritum sanctum vel paradisum; Eusebius autem aquam vel Spiritum sanctum vel baptisma.

2) Cf. Marc. 16, 10.

mortis Iudaei versabantur usque ad diem caedis, apo- Ps. 22, 3.
stoli usque ad diem resurrectionis.

4. *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Virga ex patrum sententia ad castigationem et educationem, baculus ad patrocinium, ad custodiam tutelamque spectat [1]). Sed praeter illam nescio an subtilior quaedam his verbis subsit sententia. Virga enim, qua veteres ad sortiendum et vaticinandum utebantur, etiam sortis vim habet. Vnde illud: *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum.* Iustis igitur sors a Domino data summo solatio fuit. Sed videamus de baculo. Moyses baculum, quem ad ducendos greges adhibuerat, retinere eoque suos e servitute educere iussus est. In Amanis tempore Deus quanta et comitate et benignitate fuit, quum ipse baculum gubernationemque assumere suosque e mortis periculo vindicare non gravaretur? Virga igitur etiam ad bonorum distributionem, baculus ad gubernationem pertinet.

5. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.* Hoc loco ex eis quae antea de huius psalmi tempore et fine diximus, iustum fructum capere coepimus. Nam quod alii vix demonstrare possunt, nobis per se patet, haec verba de convivio Mardochaei et de mensa Christi intelligi oportere [2]).

5. *Impinguasti oleo caput meum.* Oleum vel gratiam vel potius regalis sacerdotii dignitatem dicimus. Nam Christus apostolos et sacerdotes et iudices esse voluit. Ego dispono vobis, ait, sicut disposuit mihi pater meus, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo et sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel.

1) Athanas.
2) Cyrill. Alex. mensam corpus Christi dicit.

Ps. 22. 5. 5. *Et calix meus inebrians quam praeclarus est!* Cogitanti mihi et de admirabili Christianorum beatitudine meditanti accidere solet, ut summo gaudio acerbissimus dolor admisceatur ex haereticorum miseria perceptus. Venit autem interdum in mentem etiam dedecus illud hominibus nostris adspersum ab isto, qui amari sui animi sentinam in sponsam Christi, in iudices ab eo creatos, in institutum ab eodem missae sacrificium exhaurire atque effundere non dubitavit. Iste enim apud Saxones, qui ab antiquis iam scriptoribus insignem castitatis laudem nacti sunt, scriptis et exemplo tantum valuit, ut caecos illos furore in turpitudinem seditionemque stimularet commoveretque, uti altaria frangerent, violarent calices, Christi expellerent ministros, sacerdotes iudicesque ex finibus suis deturbarent. Quibus rebus factum est, ut Dei immortalis iudicio undecima iam generatio sine remissione peccatorum, sine evangelii praedicatione, sine administratione sacramentorum, sine sacrificio, sine sacerdotio algere et esurire consuesceret. Et calix meus inebrians quam praeclarus est!

6. *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitae meae et ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.* Eucharisticae gratiae et delectationes quid aliud nobis quam pignora sunt futurae gloriae gaudiorumque caelestium?

PSALMVS XXVIII.

Propheta Deo gratias agit.

Propheticam huius carminis altitudinem ad humilem descriptionem tempestatis pluviaeque recentiorum quorumdam detraxit inscientia. Patres contra, etiamsi accurata eis interdum vel rerum gestarum vel linguarum scientia desit, tamen semper se in explicationibus suis

subtiles, semper amplos atque ingeniosos praestant. Psalmum hunc plerique, quum *vocem Domini* de evangelio intelligerent, ad Christum retulerunt, quidam historiam secuti ad Davidem, nonnulli ad Ezechiam [1]). Sed verum de tempore vidisse videntur Eusebius et Athanasius, quorum alter *diluvium* ad quod pristini incolae reducuntur, terram esse voluit vastatam ab Assyriis [2]), alter hunc psalmum cum 95. consentire dixit [3]). Plurimum etiam hic psalmus coniunctus est cum 92. *Dominus regnavit* et cum eis vaticiniis quae a nobis exposita sunt de incursione Scytharum. Nam quum in litteris sacris populus Israelitarum compararetur terrae: quid magis consentaneum, quam ut et gentes mari camparentur, et irruptiones gentium aquarum inundationibus? Sed gentes quamvis ferae et effrenatae sint et, quocumque velint, videantur vagari, tamen numquam eis contigit, ut imperio sese Altissimi possent subtrahere aut sine eius concessu Israelitis nocere. Nam *rugire* Dominus *ex Sion* ac tonare dicitur, suisque semper ad auxilium ferendum adesse. Sed infinita cum maiestate vocem suam tum edidit, quum per Mardochaeum penitus delevit Amalecitas omnium gentium exagitatores. Ille enim percipere sibi visus est voces tumultus tonitrua. Quum autem auxilium a Domino acceperit, gratias ei agit hoc praeclarissimo carmine expressas. Ps. 28.

1. *Afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum, afferte Domino gloriam et honorem.* Hebraeus ita: *Afferte Domino filii cervorum, afferte Domino*

---

1) Theodoret. Beda.

2) Athanas. ap. Dan. Barb. ad v. 10. Dominus diluvium etc. *Desolatam ab Assyriis terram iterum reformabit et habitare faciet.*

3) Euseb. in Ps. 28. *Praesens psalmus, cui consonat nonagesimus quintus etc.* Habet autem Ps. 95. hanc inscriptionem: *Quando domus aedificabatur post captivitatem Babylonicam.*

Ps. 28, 1. *gloriam et honorem.* Si totam Iudaeorum historiam perquires diligenter, dubito num invenias quod ad Hebraica *filii cervorum* verba illustranda idoneum sit. At vero res Estheriana eiusmodi est, quae et his vocabulis et eis, quae sunt in titulo Ps. 21. *pro cerva matutina,* lucem possit afferre. Nam et Mardochaeus cervus vocatur et Christus, filii autem cervorum Iudaei, propter velocitatem, qua nocturno tempore universos hostes suos oppresserunt. Scriptura autem Septuaginta interpretum *filii Dei,* iam antiquitus, teste Eusebio [1]), et ab Hebraicis libris et ab omnibus interpretationibus abfuit. Iure autem filii Dei appellati sunt Iudaei, et appellantur Christiani; quoniam alteri a Deo per Mardochaeum liberati sunt, alteri per Christum redempti. Quamobrem eidem apte dicuntur *semen* Christi (Ps. 21.), *hereditas Domini, merces, fructus ventris.* (Ps. 126.)

2. *Afferte Domino gloriam nomini eius, adorate Dominum in atrio sancto eius.* Pro illo: *in atrio sancto eius* Hebraeus: *in decore sanctitatis.* Mardochaica victoria parta, Deus quum suis tum vero gentibus sanctitatem suam insignem fecit. Saepius autem Iudaei admoniti sunt, ne sibi victoriam illam sed soli Deo honori darent.

3. *Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas.* Litterae Mardochaei epistolas Amanis irritas fecerunt ac nullas. Superavit igitur vocem hominis vox Domini. Quae eadem omnium gentium sonitum vicit, quum Scythae in Iudaeos impetum facerent, ac postea, quum eidem isti cum Gothis aliisque barbaris coniuncti in ecclesiae fines irruerent. Dominus tum gubernator aquarum [2]), tum ultor ac punitor extitit.

1) Euseb. in h. l.: *Neque enim ipsi arietes haec Domino adferre iubentur, sed filii arietum etc.*

2) Augustinus in Ps. 1, 4. aquas dicit populos posse intelligi, *quia et aquae populi interpretentur in Apocal.*

4. *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.* 5. *Vox Domini confringentis cedros et confringet Dominus cedros Libani.* Cedros patres dicunt excelsos homines esse elatos ac superbos. Sunt autem hoc loco praeter Idumaeos Christi adversarii malignique inimici ecclesiae. Libanus Veneri dicatus in potestate erat Idumaeorum. Dominus non tantum homines perditos per Mardochaeum, verum etiam templa deorum nemora lucosque delevit [1]). Cf. Ps. 36, 35. Ps. 28. 4.

6. *Et comminuet eas tamquam vitulum Libani et dilectus quemadmodum filius unicornium.* Pronomen *eas* αὐτὰς falso irrepsisse in translationem Graecam, quis non videt? Pro verbo *dilectus* interpretes omnes: *Sarion.* Vertendum est hoc modo: Et ut vitulum comminuet Libanum, et Sarion tamquam filium unicornium [2]). Libanus et Sarion montes in finibus Damascenorum, Idumaicis deis sacri. De posteriore Moyses ita: *Hermon quem Sidonii Sarion vocant et Amorraei Sanir* (Deut. 3, 8.) [3]). Cum Iudaeorum victoria mons Sion sublime elatus est, non modo Deus, Venus contra et sol atque una cum eis Libanus Hermonque deminuti ac depressi.

7. *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Duplex potest esse sententia. Dominus restinguit flammam ignis i. e. Idumaeorum furorem, qui in Iudaeos impetum facere parati erant, aut emittet flammam ignis i. e. Iudaeorum ardorem, qui ex verbo prophetae Idumaeos tamquam stipulam consumpserunt.

8. *Vox Domini concutientis desertum et commovebit*

---

1) Euthym. in h. l.

2) Hieronymus ita: *Disperget eas quasi vitulus Libani et Sarion quasi filius rhinocerotis.* De nostra interpretatione v. Euseb. Basil. Athanas. Euthym. Nicephor.

3) Hermon i. e. mons Amonis; Sarion i. e. mons Onis; Sanir i. e. mons Oris.

Ps. 28. 8. *Dominus desertum Cades.* Desertum Sin vel Cades prope fines erat Idumaeorum, celeberrimum ex victoria de Amalecitis reportata. Cunctam igitur Idumaeam concutiet ac commovebit.

9. *Vox Domini praeparantis cervos et revelabit condensa.* Symmachus: *Vox Domini complentis campos.* Syrus: *Vox Domini agitat ramos et evellit silvas.*

9. *Et in templo eius omnes dicent gloriam.* 10. *Dominus diluvium inhabitare facit et sedebit Dominus rex in aeternum.* 11. *Dominus virtutem populo suo dabit, Dominus benedicet populo suo in pace.* Aquis gentium sola voce fugatis, Dominus terram, quam illae inundaverant, populo suo redditurus est.

PSALMVS XXIX.

De Mardochaei Christique exaltatione.

Huius psalmi titulus est: *de dedicatione domus. Davidi.* De hac domo interpretes vehementer inter se dissentiunt. Quidam tabernaculum intellexerunt, alii templum a Salomone aedificatum. Nec defuerunt, qui de altero templo cogitarent. Sed si coniecturas sequi liceat, etiam domus Amanis possit intelligi, quae data est Estherae. Patres, quum hunc psalmum ad resurrectionem referunt [1]), verba de eo templo accepisse videntur, de quo Dominus dixit: *Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud.* Et propheta profecto vel templum illud significavit vel domum familiamque Israel, quae ut antea per Mardochaeum, sic post per Christum Domino dedicata est. Qui historiae rationem habuerunt Theodoretus et Beda, hunc psalmum ab Ezechia putarunt cantatum post receptam bonam valetudinem. Quamquam autem eum cum patribus ad Christum vere et proprie

1) Hieronym.

spectare dicimus, tamen quid impediet, quin in interpretatione etiam ad Mardochaeum, qui illius similitudinem gessit, respectum habeamus? Ps. 29.

2\. *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me.* 3. *Domine Deus meus clamavi ad te et sanasti me.* Mardochaeum Deus eripuit a nece, Christum e sepulcro ad vitam revocavit, utriusque horum inimicis noluit dare laetitiam. Alterum sanavit a dolore, quem ei futurum Iudaeorum supplicium iussit, alterum a vulneribus et ab ipsa morte.

4\. *Domine eduxisti ab inferno animam meam salvasti me a descendentibus in lacum.* A descendendo, a descensu. Haec vere et proprie de quo possunt intelligi, nisi de solo Christo? Neque enim Mardochaeus ex inferno in vitam reductus est, nec David, nec Salomo, nec Ezechias nec alius quisquam.

5\. *Psallite Domino sancti eius et confitemini memoriae sanctitatis eius.* Crebra est adhortatio, ut Iudaei Deo, qui clementem iustum sanctumque se praestitit, gratias agant neve umquam laudes canere desinant. Quid est enim, quod grato animo magis Deo placeat?

6\. *Quoniam ira in indignatione eius et vita in voluntate eius, ad vesperum demorabitur fletus et ad matutinum laetitia.* Vesper et mane, ut in principio Genesis, noctem et diem significare potest vel etiam tempus fortunae ac tempus felicitatis. Sed hoc loco quid est, cur a propria verborum vi discedamus? Mardochaeus vespertino tempore in magna angustia ac tristitia erat, matutino autem summa eam secuta est laetitia. Pervesperi Christus maximis futurae mortis doloribus angebatur; vesperi mortuus est et sepultus, mane autem vitam aeternamque gloriam assecutus [1]).

---

1) Hieronym. in h. l.

Ps. 29 7. 7. *Ego autem dixi in abundantia mea: Non movebor in aeternum.* 8. *Domine in voluntate tua praestitisti decori meo virtutem. Avertisti faciem tuam a me et factus sum conturbatus.* Quod dicit *in abundantia,* secundum Hebraeum est: *in tranquillitate.* Mare quamvis fluctibus intumescat, imum tamen quietum manet atque immotum; sic etiam Christus, quum maximis doloribus iactaretur, intimo animo tranquillitatem illam divinam conservavit, quae ex fidei fidentiaeque nascitur securitate. Quum Deus Pater faciem averteret, ad eum Filius clamavit: Deus Deus meus quare me dereliquisti?

9. *Ad te Domine clamabo et ad Deum meum deprecabor.* 10. *Quae utilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionem.* Corruptionem perpetuam debemus intelligere. Nisi enim Christus resurrexisset, vana esset fides nostra. Nunc autem mortuus est propter peccata nostra et resurrexit propter iustificationem nostram.

10. *Numquid confitebitur tibi pulvis aut annuntiabit veritatem tuam?* Neque caro neque pulvis prodest quidquam. Veracem autem in promissis fidumque se Deus praebuit, quod Christum suscitavit mortuum. Divinae veritatis testis resurrectio erat ipsa.

11. *Audivit Dominus et misertus est mei, Dominus factus est adiutor meus.* 12. *Convertisti planctum meum in gaudium mihi; conscidisti saccum meum et circumdedisti me laetitia.* Estherianae rei scriptor eisdem fere verbis usus, *et luctus atque tristitia,* inquit, *in hilaritatem gaudiumque conversa sunt.* Iure autem propheta Mardochaicum saccum commemorat, cui quis non videt in Christo corpus respondere, quo poenitentiae humilitatisque opera sunt perfecta?

13. *Vt cantet tibi gloria mea et non compungar, Domine Deus meus in aeternum confitebor tibi.* Gloria quam post resurrectionem Christus et apud suos in ter-

ris, et apud Deum in coelis consecutus est, ea quidem Ps. 20. 13.
Deo Patri laudes cantat aeternas.

PSALMVS XXXIX.

Sacerdotalis oratio Christi.

In eorum numero, qui antiquitus Christi imaginem gesserunt, haud scio an primum locum obtineat Mardochaeus. Quam rem quum ex disputatione nostra tum ex vaticiniis psalmisque satis iam perspectam arbitror. Quare in amplissimo hoc typo quid mirandum, si ne is quidem defuit, qui eamdem cum Mardochaco, quam Adamus cum Christo, rationem habuit? Atque eum Saulum regem esse dicimus. Nam ut Saulus et Mardochaeus, sic Adam et Christus unum habuerunt eumdemque patrem; hi quidem Deum, illi vero Cisem. Natus est enim Mardochaeus patre Semei *viro de cognatione Saul* [1]). Christus de Spiritu sancto ex Virgine filia Adami. Quibus rebus effectum est, ut etiamsi Mardochaeus patre non usus est Saulo, neque Christus Adamo; tamen nec ille a Saulo nec hic ab Adamo genere sanguineque esset alienus. Regnum autem Deus utrique et Adamo et Saulo tradidit. Ac sacrarum litterarum testimoniis constat, nisi a duobus illis divinum mandatum spretum neglectumque esset, Deum numquam regalem dignitatem neque ab eis ipsis neque ab eorum posteris ad alios translaturum fuisse. Sed Deo neque Adamus paruit neque Saulus; alter in peccatum adductus est a muliere, a populo alter. Quamobrem eorum uterque hanc eamdem poenam dederunt, ut et regnum statim et vitam paulo post amitterent. Atque ut Mardochaeus delevit contumeliam Sauli Semeique maledicta: sic Chri-

1) II. Regg. 16, 5.

Ps. 39. stus peccatum Adami delictaque posterorum sustulit. Sed ut ad psalmum ipsum proprius accedamus, plerique patres eum de Christo esse dixerunt. Quae sententia fixa esse ac manere debet. Quosdam autem Cyrillus Alexandrinus dicit fuisse, qui eum etiam referrent ad Iudaeos exsules. Atque in hac ipsa sententia fuit Beda Venerabilis, quam nemo dubitabit, quin ab orthodoxis interpretibus sumpserit [1]). Propheta autem si ad Iudaeos exsules spectavit, num potest esse dubium, quin etiam rationem habuerit Mardochaei? Agit autem potissimum de obedientia Mardochaei et Christi, quae iuste iudicari non potest nisi inobedientia cognita Sauli et Adami. Quamobrem ad sententias accurate perspiciendas multum videtur sententia illa valere, quam Samuel pronuntiavit contra Saulum. Est autem huiusmodi: *Numquid vult Dominus holocausta et victimas et non potius ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quam victimae et auscultare magis quam offerre adipem arietum* [2]). Sed propheta quamvis respexerit ad Mardochaeum, tamen hoc vaticinium in universum ita conscripsit, ut vere ac proprie non possit nisi de Christo intelligi.

2. *Expectans expectavi Dominum et intendit mihi.* Exspectavit Mardochaeus ieiuniis orationibusque vacans per dies tres; exspectavit per totidem dies Christus in sepulcro et apud inferos.

3. *Et exaudivit preces meas et eduxit me de lacu miseriae et de luto faecis.* Sepulcrum et infernum indicat, unde non Mardochaeus sed solus Christus ereptus est.

1) Hunc psalmum a pluribus scriptoribus et eis quidem catholicis ad Babylonicum exsilium relatum esse, ex verbis s. Cyrilli apparet. Nam opinionem haereticorum sanctus ille interpres aut non commemorasset aut certe refutasset. V. Beda in h. ps. et Cyrill. Alex. Patrr. Nov. Bibl. edt. Ang. Mai t. 3.

2) I. Regg. 15, 22.

3. *Et statuit super petram pedes meos et direxit gressus meos.* Mardochaeus constitutus est super petram securitatis, Christus super firmissimum montem immortalitatis. Ps. 39, 3.

4. *Et immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro.* Secundum vaticinium illud: *Canent secundum dies iuventutis.* Quum Iudaei post liberationem Mardochaei, tum discipuli post Christi resurrectionem nova cecinerunt carmina.

4. *Videbunt multi et timebunt et sperabunt in Domino.* Iudaei et Graeci quum Dominum surrexisse cognoscerent, timuerunt et crediderunt.

5. *Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius et non respexit in vanitates et insanias falsas.* Omnes qui verum Deum colentes superstitiones spernunt, summae ex fide beatitudinis participes fore dicit.

6. *Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua, et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi. Annutiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum.* Divina consilia, quae ex liberatione Iudaeorum generisque humani redemptione cognoscuntur, nonne tam multa et varia sunt, ut omnem numerum superent? tam porro magna tamque infinita, ut numquam nec mente comprehendi nec ullo ore explicari possint? Sed propheta etiamsi multa iam se de hac re carmina scripsisse dicit, tamen se negat beneficiorum numerum aut assequi posse cogitando aut laudando satis extollere. Nam ex omni rerum memoria hanc novam rem et inauditam admirabilemque animadvertit:

7. *Sacrificium et oblationem noluisti, aures (corpus) autem perfecisti mihi, holocaustum et pro peccato non postulasti,* 8. *tunc dixi: Ecce venio.* Pro *aures* scriptura difficilior: *corpus;* et ob eam causam praeferenda. Quomodo potuerit *corpus* mutari in *aures*, video; quomodo

Ps. 39, 7. *aures* in *corpus*, non intelligo. Confirmatur autem haec scriptura auctoritate Septuaginta virorum. Nam ita eos convertisse, praeter codices testes sunt s. Paulus apostolus, Athanasius, Cyrillus Alex., vetus Itala, Ambrosius Augustinus interpres Arabs, alii. Altera autem scriptura apud veteres Latinos adeo ignota, ut s. Ambrosius Apollinaristis nihil obiiceret de diversa scriptura, sed prophetam etiam de anima Christi non de solo corpore loqui affirmaret. Sed haec de varietate scripturae. Pro peccatis Deum placare sine dubio Adam studuit et Saulus. Sed eiusmodi victimis quî divinae iustitiae satisfieri potuisset? Quocirca Christo creata ac praeparata humana natura est, ut se ipsum victimam offerret ad placandum, hostiamque ad vescendum. Non de Mardochaeo haec vere, sed de solo Christo dici posse patet.

8. *In capite libri scriptum est de me*, 9. *ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui et legem tuam in medio cordis mei*. Quidam patres Latini *caput* h. l. principium significare putarunt. Itaque verba illa vel ad primum psalmum, vel ad Genesim retulerunt, vel ad initium Evangelii, quod est secundum Ioannem. Sed vox Graeca κεφαλὶς, unde Latina sumpta est, primum indicat capitulum, deinde etiam volumen parvum, in quo capitulum unum scribi potuit. Hoc autem loco, id quod ex verbis Hebraicis et ex Ezechiel. 3. cognosci potest, iddem valet, quod volumen parvum [1]). Quodsi autem, quem potissimum librum propheta voluerit intelligi, quaeris, facile id ex Hebraicis librorum nominibus investigare poteris. Nam liber Estherae vocatus est ab ipso eius auctore *volumen libri* [2]), a posterioribus autem Iudaeis vel *volumen libri* vel *volumen* vel *volumen Estherae*

1) S. Athanas. in h. l.: *Caput Hebraei tomum appellant.*
2) Esth. 9, 26.

vel *Assueri volumen*, idque ob eam causam, quod opu- Ps. 39, 9.
sculum hoc ita convolutum pro epistola a Mardochaeo missum est ad Iudaeos. Quae quum ita sint et quum Estherae volumen de Christo magis quam de Mardochaeo scriptum esse videatur, vix dubium est, quin et haec verba et ea quae sunt apud Ezechielem 3. ad *volumen libri* pertineant. Nam ex hoc libro si Mardochaei fides cognoscitur, quanto magis quasi oculis subiecta obedientia Christi conspicitur? Nam haec tamquam igne probata est duobus modis, quum a daemone Christus tentaretur et quum moreretur in cruce. Quid vero? in Estherae libro nonne daemonem audis Christum admonentem, ut sese ad pedes ipsius proiiciat ipsumque adoret tamquam Deum? Crucem autem videsne paratam inimicosque in eo esse, ut Christo manus inferant eumque ad patibulum trahant? Christum vero *legem in medio corde* recepturum, indicavit Ezechiel *volumen libri* edere iussus atque absumere. Quemadmodum autem volumen illud primum amarum deinde dulce visum est: sic Christi obedientia, quae in morte cernitur, nihil acerbius; nec quidquam resurrectione, quae obedientiae merces est, dulcius aut iucundius. Verba, quae hactenus posuit propheta, Christi sunt in mundum ingredientis; ea quae sequuntur decedentis.

10. *Annuntiavi iustitiam tuam in ecclesia magna, ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti.* 11. *Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam et salutare tuum dixi. Non abscondi misericordiam tuam et veritatem tuam a concilio multo.* Veritas misericordiaque divina ex eo maxime perspicua est, quod promissis suis Deus stetit filiumque misit in mundum. Quemadmodum autem vaticiniis praedictisque facta conveniant, ex Christi verbis elucet. Nam mundum relicturus, Ego te Pater clarificavi, inquit, super terram.

Ps. 39. 11. Manifestavi nomen tuum hominibus. Nunc cognoverunt, quia omnia quae dedisti mihi abs te sunt, quia verba quae dedisti mihi, dedi eis. Ego dedi eis sermonem tuum. Sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est. Et ego claritatem quam dedisti mihi dedi eis. Ego in eis et tu in me, ut cognoscat mundus quia tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuum [1]). Haec quum dixisset Iesus egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus. Et hoc fere modo Patrem precatus est:

12. *Tu autem Domine, ne longe facias miserationes tuas a me; misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me, quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus; comprehenderunt me iniquitates meae et non potui, ut viderem; multiplicatae sunt super capillos capitis mei et cor meum dereliquit me.* Iniquitatibus Christus non suis sed nostris comprehensus est. Potest autem *iniquitas* etiam iddem esse atque *afflictatio*. Quod de corde dicit, simile est voci illi: factum est cor meum tamquam cera liquescens [2]).

14. *Complaceat tibi Domine, ut eruas me. Domine ad adiuvandum me respice.* Illud a Deo auxilium petit, quod nactus est in resurrectione.

15. *Confundantur et revereantur simul qui quaerunt animam meam, ut auferant eam. Convertantur retrorsum et revereantur qui volunt mihi mala.* 16. *Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi: Euge, euge.* Qui de morte Christi gavisi erant, quanto in resurrectione eius et pudore et pavore offusi sunt? cf. Ps. 34, 4. 25.

17. *Exultent et laetentur super te omnes quaerentes*

1) Ioann. 17.

2) Athanas. in h. ps. *Similis fui eis qui nec cor nec mentem habent.*

te et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt Ps. 39, 17.
salutare tuum. At vero discipuli et apostoli quanto cum gaudio admirabilem de resurrectione susceperunt notitiam et quam hilari animo divinas laudes celebrarunt?

18. *Ego autem mendicus sum et pauper, Dominus sollicitus est mei. Adiutor meus et protector meus tu es, Deus meus ne tardaveris*. Quae de confusione hostium discipulorumque laetitia dixit, ea quidem mente praevidit. Quamobrem preces aptissime ita concludit, ut ad auxilium Dei patris flagitandum revertatur. In multis psalmis hunc ipsum ordinem sententiarum observatum videmus, ut Christus vel propheta primum interitum hostium, deinde salutem quum suorum tum suam a Deo exoptet.

CAPVT TERTIVM

DE PSALMIS LIBRI SECVNDI.

PSALMVS XLI.

De desiderio patriae.

Mardochaeus acerrimorum hostium insidiis circumventus multis precibus ieiuniis lacrimis Deum, ut sibi subveniret, imploravit. A quo quum opem salutemque nactus esset, quid mirum, si coelestium consiliorum recordatio, si grata memoria beneficiorum, si divini numinis admiratio vehementissimum in eo et incredibile quoddam patriae templi altaris desiderium incendit? Monumentum huius tanti desiderii hoc carmen habemus suavissimum vero et divinum. Nam quo id cumque tempore scriptum est, hoc Eusebius Caes. Beda Euthy-

Ps. 41. mius Calmetius diversissimorum temporum interpretes una mente consentiunt, hanc esse desiderationem exsulis populi et procul a patria in Babylonia retenti [1]. Inter exsules autem sine controversia principatum tenuit Mardochaeus, cuius reditio in patriam augurium erat, quo Christi ascensio in coelum significabatur. Quare merito mihi videor hunc psalmum etiam referre ad Christum. Neque vero alienus est a Christianis universis, quorum praecipuum officium est regnum coelorum summo studio et ardore expetere. Sed psalmum melle dulciorem breviter explicemus.

2. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea a te Deus.* Cervum et Mardochaeum et Christum appellari, supra advertimus. Sed hoc loco nova profertur mirabilisque eorum, qui inter se comparantur, similitudo. Nam excitato a venatoribus cervo ac defesso fuga sitique paene confecto comparatur ac confertur Mardochaeus, qua similitudine dubito an nihil possit cogitari aptius, nihil elegantius. Desiderat autem venire ad Deum, qui est fons iugis, unde quum ad montem Horeb tum in Babylonia patres nostri vitam salutemque hauserunt.

3. *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* Fortem Deum invocat, quoniam hostes quum fortes sint, nisi a fortiori vinci non possunt. Nam Amalecitarum robur ut antea in Arabia sic illo tempore in Persia magnum Iudaeis terrorem iniecit. Vivum autem Deum suum dicit, ut indicet, quam facile possit ignavos fortissimorum

1) Euseb p. 173. Beda et Calmet. in h. Ps. Hieronymus hunc Psalmum cum Ps. 129. quem constat ad Babylonica tempora pertinere, coniunctum esse dicit p. 586. Ad Ezechiam eum Origenes retulit pag. 705.

hominum deos superare. Fortis igitur Deus, qui suos defendat, hostes deleat; vivus Deus, qui deos mortuos destruat, homines autem sibi amicos vivos faciat. Ps. 41, 3.

4. *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Vbi est Deus tuus?* Per dies tres Mardochaeus nihil aliud egit, nisi ut Deum lacrimando ad misericordiam flecteret. Christus autem saepius flevisse traditur. Enim vero si noctu Deum precabatur, quis eum umquam id sine fletu aut singultu fecisse crediderit? Illud autem: *Vbi est Deus tuus,* Mardochaeus ab impiis interrogatus est, quum sordidatus in sacco et moestitia urbem percurreret; Christus vero, quum in ipso patibulo esset.

5. *Haec recordatus sum et effudi in me animam meam. Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei in voce exultationis et confessionis sonus epulantis.* Quamquam templum ipsum incendio deletum erat, tamen locus tabernaculi summa cum religione a Iudaeis absentibus cultus est. Cum Mardochaeo plus quam trecenti cantores in patriam redierunt. Sed haec omnia vaticinii loco habenda esse, quis est quin videat?

6. *Quare tristis es anima mea et quare conturbas me? Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei et Deus meus.* Futuram gloriam in memoriam sibi revocat, ut animum suum ad acerbissimos dolores mortis tolerandos confirmet.

7. *Ad meipsum anima mea conturbata est, propterea memor ero tui de terra Iordanis et Hermoniim a monte modico.* Iordanes omnino iddem atque flumen valet. Quamobrem Iordanes hic haud scio an *Euphrates* dicendus sit. Hermoniim nihil aliud sonat nisi *montes Amonis* i. e. *solis.* Quod Latinus montem modicum dixit, hoc sumpsit ex *Mizar,* quod verbum id-

Ps. 41, 7. dem significat ac *mons Zarae Liberae lunae*. Sine dubio Idumaei hos montes deis suis dedicaverant. Mardochaeus ad templum tanto maiori cum desiderio redire avet, quo plus iniucunditatis ex terra percepit falsis deis referta.

8. *Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum*. Haec varie explicata sunt. Sed ut veram sententiam assequamur, redeundum nobis est ad maris abyssique significationem. Mare, ut antea diximus, habet hanc vim, ut universas praeter Iudaicum populum gentes designet. Abyssi autem eae sunt maris partes, quae altiores quum sint, maiorem vim vel *congregationem* aquarum continent. Quum igitur mare gentes sint in universum, nonne abyssi singulas gentes numero et pravitate ceteris superiores significent oportet? Intumescente igitur mari, gens gentem, terribili edito fluctuum strepitu, invocat et commovet, incitat ac propulsat.

8. *Omnia excelsa tua et fluctus tui super me transierunt*. In abyssum i. e. in imum mare sibi videtur esse coniectus. Excelsum i. e. altissimum mare super se transire sentit. Nam in potestatem venit gentis protervae atque omnium nequissimae.

9. *In die mandavit Dominus misericordiam suam et nocte canticum eius*. Ex data misericordia dies exordium cepit. Quamquam autem post diem nox consequetur, tamen ne noctu quidem Deus eiusque misericordia laudari desinet.

9. *Apud me oratio Deo vitae meae, dicam Deo: susceptor meus es*. Patrem etiam Christus vitae suae Deum susceptoremque suum iure vocare potuit.

10. *Quare oblitus es mei et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus? Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei*. Hebraeus et cum eo qui consentit Symmachus:

Dum mactant ossa mea. Haec verius de Christo. Neque enim confracta sed mactata sunt ossa eius. Ps 41, 10.

11. *Dum dicunt mihi per singulos dies: Vbi est Deus tuus.* 12. *Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei et Deus meus.* Hoc loco interpretandum est *per totam diem*, quoniam verba ad eam diem spectant, qua Christus in cruce pependit. Ex inimicorum insidiis impiisque in Deum conviciis sanctus ad Dominum creatorem suum confugit, in eoque dulcissimum animi solatium adipiscitur.

PSALMVS XLIII.

Iudaei venditi Amani hominesque qui in potestate erant diaboli, Deum, ut se redimat, rogant atque obsecrant.

Temporibus Maccabaeorum hunc psalmum convenire Chrysostomus censuit Theodoretus et Beda [1]). Quam opinionem repudiemus oportet, si ceterorum sequi patrum consensionem volemus. Nam Origenes Athanasius Eusebius Caes. Cyrillus Alex. summa auctoritate interpretes una voce fatentur, hunc psalmum ad tempora spectare Babylonica et a Iudaeis exsulibus esse cantatum. Quam tantorum virorum sententiam ita sequendam arbitramur, ut ne ab eis quidem ullo modo discedamus, qui cum s. Paulo [2]) hoc carmen etiam ad primos Christianos eorumque vexationes retulerunt [3]). Nam cum primis ecclesiae saeculis quam mirifice tempora Babylonica congruant, quis est, quin statim sentiat ac per-

1) Io. Chrysost. Theodoret. Beda in h. Ps. Euthymius eum ad Macedones trahere conatur.

2) Rom. 8. 36.

3) Ambrosius, Augustinus, Hieron. in brev.

Ps. 43. spiciat? At vero Maccabaicorum temporum inclinationes quum medium locum teneant inter Mardochaeum et Christum, nonne etiam cum eo tempore conferendae sunt, quod medium est inter unum et alterum adventum Christi? Sed ut ad rem ipsam redeamus, quemadmodum antea Idumaei, Amane rege, Iudaeos excidere conati sunt; sic postea Iudaei, stimulante daemone, machinati sunt omnia, ut Christianos religionemque eorum opprimerent. Hoc igitur carmen ad Iudaeos exsules quum spectet, deferri ad primos Christianos summo iure potest. Sed hoc loco propheta primum, id quod in reliquis psalmis saepius facit, rationem quamdam inter vetera in Aegypto et nova in Babylonia tempora convenientiamque intercedere docet. Itaque ex antiquis rebus illis causam repetit, quare non possit Deus aut deserere suos aut inimicorum insidiis tradere.

2. *Deus auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis opus quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis.* Superiorum beneficiorum commemoratio, quis ignorat, quantam vim afferat ad eorum, a quibus quid petimus, animos commovendos? Quamobrem propheta in carminis principio Deum de pristina in patres benignitate admonet. Quod iddem facit Esthera 13, 6: Ne despicias partem tuam quam redemisti tibi de Aegypto, et 14, 5: Audivi a patre meo, quod tu Domine tulisses Israel de cunctis gentibus etc.

3. *Manus tua gentes disperdidit et plantasti eos, afflixisti populos et expulisti eos.* Israel a Deo esse plantatum tamquam vitem, Ezechiel 17. aliique prophetae exponunt. Alibi Iudaei conferuntur arboribus. Et profecto Abraham si terrae similis esse dicitur, quid tam conveniens esse potest, quam sanctos Iudaeos vitibus arboribusque fructuosis, perditos autem sycomoris virgultisque silvestribus comparare?

4. *Nec enim in gladio suo possederunt terram et* Ps. 43, 4
brachium eorum non salvavit eos, sed dextera tua et brachium tuum et illuminatio vultus tui, quoniam placuisti in eis. Israelitae hostium copias non ipsi per se sed adiuvante Deo vicerunt. Hoc tanto socio tamque potenti et veterem Gog superarunt et Amanem Gagaeum. Quod illuminationem vultus dicit, intelligi vult, ut arbitror, vel gratiam tantum vel nubem lucidam, quod eis signum divinae defensionis providentiaeque datum est [1]).

5. *Tu es ipse rex meus et Deus meus, qui mandas salutes Iacob.* Symmachus: *Manda de salute Iacob.* Regem suum Deumque eum nominat, cuius auxilium implorat. Nam cum Israelitis Dominus eam rationem inivit, ut se eorum Deum vocari, ipsos populum suum appellare vellet. Hinc Deo quasi quaedam officia, Israelitis quaedam quasi iura oriuntur.

6. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.* Pro *spernemus* Graecus quidam accuratius: *conculcabimus.* Simile ductum est a bove; qua similitudine etiam usus est propheta. Hic enim aerea cornua ungulasque Deum Israelitis daturum promisit. Illud ventilare ad cornua spectat, conculcare ad ungulas.

7. *Non enim in arcu meo sperabo et gladius meus non salvabit me* 8. *Salvasti enim nos de affligentibus nos et odientes nos confudisti* 9. *In Deo laudabimur tota die et in nomine tuo confitebimur in saeculum.* Aquila pro *laudabimur* posuit *gloriabimur*, Symmachus *hymnos dicimus.* Iudaei salutem non armis suis sed soli Deo debuerunt. Nam Deus fuit, qui Mardochaeum eri-

1) Io. Chrysost. in h. l. *Illuminatio vultus tui h. e. defensio providentia. Velle enim et adesse eis solum suffecerit.*

Ps. 43, 9. puit a cruce populique sui conservatorem constituit. Nos omnia Christo debemus eiusque morti. Quare iure omnis gloria nostra posita est in cruce Domini nostri Iesu Christi.

10. *Nunc autem repulisti et confudisti nos et non egredieris Deus in virtutibus nostris.* Deus suos se deserere simulavit, quo facilius eos ad poenitentiam concitaret. Antiquitus Israelem assumpserat portaveratque ut aquila in humeris suis; exercitui autem eorum praefuerat ut vir pugnator. At vero nunc eos visus est repudiare.

11. *Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros et qui oderunt nos diripiebant sibi.* Symmachus: *ordinasti nos ultimos omnium adversariorum.* Theodotio: *et qui oderant nos exsultabunt super nos.* Verba quoquo modo verteris, ad eam Iudaeorum quae tunc erat conditionem apta sunt. Erant enim illi sceleratissimis Idumaeis praedae ludibrioque.

12. *Dedisti nos tamquam oves escarum et in gentibus dispersisti nos.* Deus dux et pastor gregem suum visus est Amani leoni mactandum tradere.

13. *Vendidisti populum tuum sine pretio et non fuit multitudo in commutationibus eorum.* Interpretes Graeci patresque: *in comm. nostris.* Alius quidam Graecus: *in appretiatione nostra.* Si ex hoc versu Moversius [1]) aliique de parvo Iudaicorum servorum pretio argumentum petiverunt, parum videntur, quid dicere voluerit propheta, intellexisse. Neque enim parvo pretio sed sine ullo pretio venditi dicuntur. Et omnino vix inveniri poterit qui recte hunc locum explicet nulla ratione habita ad historiam Estherae. Nam quum nonnulli rem Estherianam minus magni momenti esse censeant, quam

1) Movers. Phoen. Handel u. Schiff. Berl. 1856. p. 80.

ut de ea psalmi scripti sint: nonne percommode accidit, Ps. 43, 13.
ut sine ea quidam loci haud paulo impeditiores esse videantur? Sed Estherae cognita historia, quid hoc loco dilucidius? Aman, quos talentorum millibus decem emere voluit, gratis accepit. Tradidit igitur Deus populum suum sine pretio; nec multi erant, sed unus erat Aman, qui ad commutationem i. e. ad emptionem eorum veniret [1]). Sumus etiam nos daemoni venditi sine pretio; neque enim Adam neque Deus ab eo pretii quidquam recepit.

14. *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem et derisum his qui sunt in circuitu nostro.* Solent vicini vocari sanguine coniuncti. Et ne hoc quidem loco vis alia huic verbo subiicienda est. Sunt enim Idumaei Iudaeorum consanguinei. Qui sunt in circuitu i. e. alii exsules loco eis proximi.

15. *Posuisti nos in similitudinem gentibus, commotionem capitis in populis.* Gentes non Arabes solum intellexerim sed Amanis socii omnes. Apud quos Iudaeorum miseria in proverbium abierat; quo certe Iudaeis nihil potuit turpius accidere.

16. *Tota die verecundia mea contra me est et confusio faciei meae cooperuit me,* 17. *a voce exprobrantis et obloquentis, a facie inimici et persequentis.* Pro *obloquentis* Symmachus *blasphemantis*, et *ulciscentis se* pro *persequentis*. Verba Amanis, quae passim in psalmis exstant ac nefariam semper prae se impietatem ferunt, etiam in Mardochaei Estheraeque orationibus inveniuntur. Non solum se ipsum Aman sed maiores totamque gentem suam ulcisci voluit.

18. *Haec omnia venerunt super nos nec obliti sumus te et inique non egimus in testamento tuo.* Haec Estherae

1) Io. Chrysostomus ita haec verba intelligenda esse probavit.

Ps. 43, 19. temporibus quam maxime conveniunt. Nam Iudaei, spretis deorum simulacris, in exsilio verum Deum colere inceperant. cf. Iudth. 8, 18. s.

19. *Et non recessit retro cor nostrum et declinasti semitas nostras a via tua* 20. *quoniam humiliasti nos in loco afflictionis et cooperuit nos umbra mortis.* Aquila: *contudisti nos in loco inhabitato et obtexisti nobis umbram mortis.* Alius: *in loco Sirenum*, quod propius accedit ad veritatem Hebraicam: *in loco* תנים i. e. *Dionysi.* Is enim Idumaeorum erat deus. Deus verus, quum faciem suam averteret, Iudaeos in mortis umbra reliquit.

21. *Si obliti sumus nomen Dei nostri et si expandimus manus nostras ad deum alienum,* 22. *nonne Deus requiret ista? Ipse enim novit abscondita cordis. Quoniam propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis.* Haec quis non videt, quam vere potuerint Iudaei dicere, quoniam patria pulsi acriterque castigati iam ad morum integritatem castitatemque religionis informati erant? An illud minus vere professi sunt, divini nominis religionisque causa pati sese ac vexari? Sunt enim ab Amane accusati, quod aliis diversisque uterentur legibus ac ceremoniis [1]).

23. *Exsurge, quare obdormis Domine? exsurge et ne repellas in finem.* 24. *Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiae nostrae et tribulationis nostrae?* Deum qui dormire Idumaeisque omnia concedere videtur, ut ad iudicium auxiliumque exsurgat, supplex precatur. Mentionem facit duarum rerum, quibus animi maxime ad misericordiam flectuntur, inopiae et tribulationis.

25. *Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra,*

---

1) In h. l. praeclare Chrysostomus: *Hic etiam iure admiranda est Dei potentia, quod eos qui tamquam occisionis oves erant expositi conservaverit et quotidie morientes non siverit in mortem incidere.*

conglutinatus est in terra venter noster. Pars prior non Ps. 43, 26.
potest nisi ex ea re explicari, quod Iudaei ad mortem destinati traditique erant. Nam quod dicit, teste Chrysostomo, huiusmodi est: Perivimus, defossi sumus, nihilo meliori conditione sumus quam mortui [1]). Quocirca etiam a prophetis saepius mortui, mortificati, filii mortis, sepultique vocantur. Altera autem pars etiam ad supplicationes referri potest.

26. *Exsurge Domine adiuva nos et redime nos propter nomen tuum*. Quamquam a superstitione sese abstinuerant, tamen nulla apud Deum merita habuerunt. Quamobrem Deum orant, ut ipsos nominis sui causa redimere velit.

PSALMVS XLV.

Filiis Esavi devictis, suos propheta cohortatur, ut ex hac victoria Deum Iacob agnoscant.

Hunc psalmum cum superiore i. e. 44. connexum copulatumque dicit Bellarminus [2]). Quod si ita est, ut est, sequitur, ut inscriptio illius psalmi etiam ad hunc spectet, patrum autem testimonia de hoc etiam ad illum respiciant. Quoniam autem superiorem psalmum inscriptio ad res Susianas detulit, nonne hic quoque easdem ad res pertineat necesse est? Quid autem de hoc psalmo patres senserint, iam videndum est. Nonnulli igitur ex antiquis interpretibus, quorum Theodoretus mentionem facit, eum retulerunt ad Gog et Magog [3]). Calmetius autem quamquam res ad Gog et Magog pertinentes non penitus perspexit, tamen tanto acumine fuit, ut hanc veram esse

1) Io. Chrysost. in h. l.
2) Bellarmin. in h. l.
3) Theodoretus in h. l.

Ps. 45. sententiam intelligeret [1]. Mirum igitur ad modum, quae de superiore psalmo inscriptio, et ea, quae de hoc interpretes testantur, inter se congruunt. Nam Susianas res iam notum est eas esse ipsas, quas in vaticinio de Gog et Magog propheta praedixit. Quibus rebus ita inter se aptis et connexis, efficitur, ut nullius animus nec de hoc psalmo nec de superiore dubius esse possit. Sed omissis aliorum opinionibus [2], ad ea veniamus, quae patres de prophetica eius sententia exposuerunt. Alii igitur de aetate Christi scriptum eum esse, alii de fine temporum dixerunt [3]. Ac priores illi eum aut de vocatione gentium Iudaeorumque reprobatione ac de clade daemonum [4] explicarunt aut de passione Domini aut denique de eius ecclesia [5]. Ac nos antiquissimam de hoc psalmo memoriam venerati, horum omnium sententias amplectimur. Quid enim? Scytharum exitium num negari potest, augurium illud quidem fuisse earum rerum omnium, quae et in primis temporibus ecclesiae factae et in extremis futurae sunt?

2. *Deus noster refugium et virtus, adiutor in tribulationibus quae invenerunt nos nimis.* Amalecitis devictis, Moyses altare constituit eique hoc nomen dedit: *Dominus refugium meum.* Tribulationes autem illae quidem Iudaeis acciderunt ex insidiis Amanis Gagaei.

3. *Propterea non timebimus, dum turbabitur terra et transferentur montes in cor maris.* Qui propriam verborum vim sequitur, parem ex hac voce iucunditatem percipiet atque ex illa: *Si fractus illabatur orbis.*

---

1) Calmet. in h. Ps.
2) Beda contra Assyrios eum esse censuit.
3) Basilius.
4) Athanas. Hieronym.
5) Ambros. August. Chysost.

Sed hic prophetae sententiam ne primoribus quidem labris attigit. Sciendum enim est terram esse Abrahamum natumque ex eo populum Iudaicum. Mare autem, quod terrae est oppositum, gentes sunt. Plurimum autem è mari emergunt montes, qui sunt prophetae reges principes eique omnes qui summum in populo locum tenent. Babylonico igitur tempore terra a Nabuchodonosoro turbata et in medium mare translata est. Haec autem a Gagaeis ceterisque gentibus inundata ac superata, in imum mare paene descendisse dicitur [1]). Ps. 45, 3.

4. *Sonuerunt et turbatae sunt aquae eorum, conturbati sunt montes in fortitudine eius.* Haud scio an laudandus sit, qui versu superiore pro *marium* scripsit *maris* et hoc versu pluralem *eorum* reliquit. Symmachus: *aquis sonantibus et turbatis, concussis montibus in glorificatione eius.* Aquas significare gentium multitudinem neque Cyrillum neque Augustinum fugit neque quemquam eorum, qui multi fuerunt in legendis prophetis. Gentium igitur clamores strepitus commotiones cum aquarum sonitu fluctibusque graviter et praeclare conferuntur. Montes autem ipsi concussi i. e. reges in exsilium ducti, prophetae principesque ab Amane ad mortem destinati sunt, in glorificationem Dei, *ut manifestarentur opera Dei in illis.*

5. *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei.* Septuaginta ὁρμήματα *impetus, abundantiae.* Aquila et Symmachus: διαιρέσεις *divisiones.* Hebraeus: *rivi, rivuli.* Vt subtilitatem sententiae elegantiamque assequamur, ad comparationem principalem redeundum est. Turbulenta

---

1) Io. Chrysost.: *Terram autem hic et montes et cor maris non dicit elementa, sed eorum nomine intolerabilia pericula significat... Mihi autem videtur hic significare multitudinem virorum fortium et praestantissimos hostium et infinitum populum adversariorum.*

Ps. 45, 5. gentium multitudo, eruptione facta, totam terram inundaverat. Appropinquante Domino, Scythae occisi, aquae fugatae sunt. Sed reliquae erant quaedam gentes, quae quasi torrentis undae in alveum fluminis redactae sunt. Hae quidem amarae non sunt ut aquae marinae; sed nisi deducuntur in terram, ad mare decurrunt. Hominum igitur industria has ex flumine affluentes aquas in rivos colligit, eos rursus in rivulos dividit, agros campos prata irrigat. *Fluminis igitur abundantiae divisiones rivuli laetificabunt civitatem Dei.* Divina vox et vere digna, quam prae ceteris tamquam divini amoris monumentum osculemur. Nam in superiore migratione post occisos Scythas multi ex gentibus tamquam per rivulos in Iudaicam terram religionemque deducti sunt. In proxima autem migratione primum flumen illud terribili impetu et vehementia ecclesiam secum rapere visum est. Sed placato mari fluctibusque coercitis, Dominus rivulos fluminis in terram derivavit, Longobardos in Italiam, Francos in Gallias, Gothos in Hispaniam, novos incolas in Germaniam, hos omnes in ecclesiam adduxit. Hi eam laetificarunt novasque florum fructuumque ubertates ferre coeperunt.

5. *Sanctificavit tabernaculum suum altissimus.* Populum, in quo commorari constituit, sanctum reddidit sanguine Christi.

6. *Deus in medio eius, non commovebitur.* Terra in medium mare coniecta ac paene dissoluta est. Sed quum Deus in medio populi sui sit, terra firma constans stabilisque permanet.

6. *Adiuvabit eam Deus mane diluculo.* Septuaginta: τὸ πρὸς πρωὶ πρωὶ i. e. *mane, primo mane.* Graecus alius: *circa matutinum,* tertius: *quum matutina hora instat.* Haec dicta sunt non modo de Scytharum occisione, quae facta est post mediam noctem primo diluculo; sed etiam

de daemonum clade, quam illi passi sunt ex Christi resurrectione. Nam duobus illis factis Deus civitatem suam restituit. Ps. 45, 6.

7. *Conturbatae sunt gentes et inclinata sunt regna, dedit vocem suam, mota est terra.* Alius: *congregatae sunt gentes.* Omnibus gentibus concitatis, Scytharum copiae sese in Medorum Assyriorumque regna coniecerunt. Ac reges omnes timore inclinati atrocissimum inimicum donis muneribusque placare studuerunt. Terra i. e. populus Iudaicus multis cum lacrimis clamavit ad Dominum ac vehementissime Amanis minis terroreque commotus est.

8. *Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob.* Regibus gentibus undique coeuntibus, unam civitatem circumdantibus et obsidentibus, haec non modo ab eis nihil grave passa est sed etiam vicit superavit et evertit eos qui invadebant. Haec Chrysostomus ex hoc psalmo cognovit et sumpsit [1]), quod quidem probat, quam accurate res Estheriana hoc carmine descripta sit. Dominus hoc loco vocatur Deus Iacob, quoniam adiutor erat Iudaeorum contra Esavi filios pugnantium.

9. *Venite et videte opera Domini quae posuit prodigia super terram,* 10. *auferens bella usque ad finem terrae; arcum conteret et confringet arma et scuta comburet igni.* Eadem Ezechiel: *Percutiam arcum tuum in manu sinistra tua,* et: *succendent et comburent arma clypeum et hastas, arcum et sagittas et baculos manuum et contos et succendent ea igni.* Pro: *scuta* Hebraeus: *plaustra.* Scythis superatis, Iudaei plaustra quibus isti usi erant, ita in gaudium suum converterunt, ut ex eis ignes triumphales accenderent. Ex primo autem armorum plaustrorumque incendio nata est con-

1) Io. Chrysost. in h. Ps.

Ps. 45, 10. suetudo, ut ludos Saccaeos magnis ignibus claros illustresque redderent.

11. *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus, exaltabor in gentibus et exaltabor in terra.* 12. *Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob.* Quid? quod gentes terrae opponuntur? Quid significat aliud quam terram esse populum Iudaicum? Contra Edom suis opem tulit Deus Iacob [1]).

PSALMVS XLVI.

Occiso Amane, proselyti ad synagogam accedunt; superato daemone, gentes ad ecclesiam.

Hoc carmen posse a superiore seiungi, duo gravissimi patres negant, Chrysostomus et Theodoretus [2]). Ac prior ille, quaesita ratione historica, hoc de singulari quadam victoria tractare perspexit, totumque orbem, ut ea quae gesta sint celebret, convocari ait. Quam ille victoriam indefinitam reliquit, Maccabaicam eam esse putavit Theodorus et Beda [3]). Verius Calmetius, qui in eam sententiam inclinavit, ut victoriam illam Estherianam esse diceret [4]). Quum enim alias gentes ad

1) Idem Chrysostomus huius psalmi argumentum, quod nescio utrum ex psalmo ipso an ex historia Estherae sumpserit, his verbis colligavit: Recte dixit prodigia (v. 9.) non victorias aut tropaea. Non enim quae fiebant certo ordine et serie agebantur, nec armis et virtute corporum decernebatur proelium, sed Dei nutu, rebus significantibus eum esse imperatorem. Quoniam enim potentes vincebantur ab imbecillis, multi a paucis, qui dominatum obtinebant ab eis qui parebant, et res praeter spem succedebant; ea iure vocat prodigia, ut quae admirabiliter et praeter exspectationem eveniebant et ubique terrarum sparsa fuerant.

2) Io. Chrysost.: *Hic etiam psalmus iddem tangit argumentum.* Theodoret. in h. Ps.

3) Theodor. in cat. Bab. Beda in h. Ps.

4) Calmet. in h. Ps.

laudandum Deum, tum praesertim eas a poeta invitari Ps. 46.
quae per Mardochaeum ad ceremonias Iudaeorum sint adductae. Nam permulti ex gentibus, quum ex caede Scytharum Iudaeorum virtutem Deumque suspicerent, eam sententiam ingressi sunt, ut se beate vivere non posse putarent, nisi aut Mardochaicae coenae participes aut Iudaeorum in omnibus rebus socii essent. Quo factum est, ut per cunctam Asiam populus Iudaicus magnum ex gentibus incrementum caperet. Sed ex minoribus propheta praevidit maiora. Nam ut tum maxima multitudo onus legis observantiaeque Iudaicae sibi imponi voluit: sic fore dixit, ut omnes omnium terrarum nationes suavissimum Iesu Christi iugum susciperent. Idcirco gentes omnes appellat atque hortatur, ut propter futuram redemptionem suam, quam in Mardochaica victoria ut in speculo cernere potuerunt, Deum patris sui Abrahami collaudarent. Similiter de hoc carmine statuerunt ei, quos patres veneramur et dicimus. Id enim ad vocationem gentium Athanasius vocavit, Cyrillus Alexandrinus et Euthymius [1]). Sed hic psalmus eis verbis conceptus est, ut proprie et secundum litteram ad redemptionem nostram possit revocari.

2. *Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exsultationis.* Statim a principio Chrysostomus auditorem ait excitari ad publicam totius orbis terrae concionem divinumque ac spirituale quoddam festum. Hoc festum dico esse sortium, quod et spirituale fuit, quoniam solemnitatem resurrectionis ante significavit, et ab omnibus gentibus Mardochaei iussu celebratum est. Festi autem dies indicti sunt libro Estherae. Quem ad communem Iudaeorum et gentium usum scriptum esse, ex

1) Athanas. Cyrill. Alex. Euthym. in h. Ps.

Ps. 46, 2. eo patet, quod in eo numquam neque Dei neque Domini nomen commemoratur [1]).

3. *Quoniam Dominus excelsus terribilis, rex magnus super omnem terram.* Non causam his verbis, sed obiectum affert. Hoc ait, manuum plausu ovationisque voce nuntiate, excelsum esse Dominum etc.

4. *Subiecit populos nobis et gentes sub pedibus nostris.* Populus Iudaicus quondam ut bos fortis aeneis pedibus Gagaeos Idumaeos ceterasque gentes trituravit. Qua parta victoria, Deo hymnum obtulerunt. Sed victoria nostra multo est maior; non Aegyptiis demersis, non Scythis sepultis, sed daemonibus; non Pharaone, non Amane devicto, sed diabolo; non armis captis sensibilibus, sed sublata nequitia; non in rubro mari, non in gentium pelago, sed in lavacro regenerationis, non proficiscentibus et redeuntibus in terram repromissionis, sed in coelum tendentibus, non manna, non panem Mardochaicum comedentibus sed Dominico corpore vescentibus, non aquam e petra, non e fonte Israel bibentibus, sed sanguinem e latere [2]).

5. *Elegit nobis haereditatem suam speciem Iacob quam dilexit.* Septuaginta his verbis sententiam subiecerunt, quae etiamsi sexcenties exstat, tamen huic loco non subest. Hebraeus et ceteri Graeci omnes: *hereditatem nostram.* Iudaei heredes ex gentibus nacti sunt eos omnes, qui ad ipsorum Deum religionemque accesserunt. Quae quum ita sint, non intelligo, quare in interpretatione verbi גאון a prima et propria vi recedendum

---

1) Quod *plaudite* dicit, notandum est, Iudaeos in sortium die magnum plausum strepitumque edere solitos. Nos iddem facimus tribus illis diebus, qui ante Paschalia recordationi mortis Domini dedicati sunt.

2) Cf. Io. Chrysost. in h. Ps.

sit. Ea autem est: *incrementum augmentum*. Deus igitur Ps. 46, 5.
Iudaeis ex gentibus *hereditatem elegit, incrementum Iacob quem dilexit*. Proselytos autem elegit, quoniam ceterae gentes aut occisae aut fugatae sunt.

6. *Ascendit Deus in iubilo et Dominus in voce tubae.* Iudaeis a Moyse praeceptum est, ut si quando coenam solemnem (i. e. Mardochaicam) haberent, tuba canerent. Sublime elatus est Deus quum victoria Iudaeorum tum festo die sortium.

7. *Psallite Deo nostro, psallite, psallite regi nostro, psallite,* 8. *quoniam rex omnis terrae Deus, psallite sapienter.* Hebraeus pro: *Deo nostro*, simpliciter: *Deo*, et quidem iure. Nam quem debent universae gentes agnoscere et laudare, is non Iudaeorum, non unius populi Deus vocandus est, sed vel Deus simpliciter vel rex magnus super omnem terram. Psallite *cum sapientia* i. e. ita, ut intelligatis, cuius et quantae rei imago sit Mardochaica victoria.

9. *Regnabit Deus super gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam.* Gentes rebellaverunt contra Deum eiusque populum funditus tollere constituerunt. Sed seditiosos istos Deus oppressit et ex sede sanctitatis suae iudicavit. Neque enim regem solum, sed etiam iudicem se esse voluit.

10. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam dii fortes terrae vehementer elevati sunt.* Symmachus et Theodotio et cum eis recentiores fere omnes ita reddiderunt: *principes populorum coacti sunt populus Dei Abrahami*. Nam עם h. l. non praepositionem *cum*, sed substantivum *populum* esse putarunt. Sed primum verbum congregandi obiectum desiderat, quocum quis congregatur. Quod, verbis ita acceptis, omnino deesset. Deinde principes illi, qui ex gentibus sunt, populo Iudaico adscribi quidem possunt, sed populus electus congregari fieri effici qui possunt? Quibus

Ps. 46, 10. de causis Septuaginta interpretes sequendos esse censeo. Neque ab eis puto discedendum in altera huius versus parte. Nam qui dei et fortes vel clypei terrae appellantur, quinam intelligendi sunt nisi principes populi Iudaici? Hi ad summos honores ascenderunt et ob eam causam gentium principes Deum Abrahami profiteri ac colere coeperunt. Deus autem hoc loco non deus Iacobi, sed deus Abrahami nuncupatur, quoniam de gentibus agitur, et Abraham pater gentium et omnino is est, in quo omnes populi benedicantur. Deus igitur Abrahami, elevatis Iudaicis principibus, etiam a gentibus cognosci et adorari coeptus est.

PSALMVS XLVII.

Deus Gagaeorum victor laudatur.

Ioannes Chrysostomus mirum est, quam penitus hunc psalmum perspexerit. Quamquam enim victoriam Mardochaicam in exsilii tempus incidisse ignoravit, tamen quod hoc carmine dictum est, satis erat, unde Iudaeos exsules parem omnino illi et aequalem victoriam nactos esse cognosceret. Nam ex hoc carmine coniectura facta, innumerabiles ex septentrione gentes terram Iudaeorum exsulum invasisse atque ab illis victas esse superatasque dicit. Neque humano more bellum gestum esse, sed in proelio committendo ducem fuisse Deum ipsum. Quo tam singulari beneficio accepto, Iudaeos Deo his laudibus gratum memoremque animum significasse [1]). Quoniam igitur, ut ex hac re perspicuum est, psalmus pro se ipse loquitur, quid est quod ego verba faciam? Sed tamen hoc unum est dicendum, ad exsilium Babylonicum relatum hunc psalmum esse a Theodoreto, ab Eu-

1) Ioann. Chrysost.

thymio, a Nicephoro [1]), ad Estheram autem a Calme- Ps. 47.
tio [2]). Sed antequam ad explicationem veniamus, verba quae sunt in titulo: *secunda sabbati* considerare iuvat. Quoniam hic psalmus videtur ad diem sortium spectare, qui dies decimus quartus erat mensis Adar: probabile est, diem decimum tertium, quum Amalecitae occisi sunt, fuisse sabbatum. Quod si ita est, duae res perspicuae sunt. Vna, cur Aman, quum mensem sorte definiret, diem elegerit decimum tertium. Vsus est enim eodem, quo hostes posteriores, artificio, ut sabbato, quo die Iudaei ab operibus armisque abstinebant, contra eos dimicare constitueret. Altera res est, quod novam causam videmus, quid sit, cur Iudaei hostes suos noctu interfecerint. Etiamsi enim eis erat imperatum, ut die decimo tertio arma caperent, tamen non ante occasum solis ad proelium accesserunt, quum aliis rationibus ducti, tum etiam veriti, ne sabbati sanctitatem violarent. Victoriam igitur tum Iudaei adepti sunt eodem die eodemque diei tempore, quo sexcentis annis post Dominus noster e sepulcro excitatus inferorum victor extitit.

2. *Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto eius.* Laudatur Dominus a populo suo, quod eum tutatus est gentesque, quae ex septentrione irruperant, partim occidit partim in fugam convertit.

3. *Fundatur exsultatione universae terrae mons Sion, latera aquilonis, civitas regis magni.* Scripturae tantopere inter se differunt, ut sententia horum verborum aliunde potius assumenda, quam ex eis ipsis petunda esse videatur. Prophetae verbis *latera aquilonis* nationes eas designare solent, quae ad aquilonem spectant. Co-

1) Theodoret. Euthym. Nicephor. in h. l.
2) Calmet. in h. Ps.

Ps. 47, 3. gitavit autem de eisdem etiam Chrysostomus [1]). Sunt autem eae quidem gentes Scythicae. Quod si ita est, reliqua ab eo mirum quantum discrepant. Ex mea sententia poeta iddem hoc loco dixit, quod propheta: *Haec dicit Dominus Deus, laetante universa terra, in solitudinem te redigam* [2]). Haec ipsa sententia Graecis verbis inest, modo pro εὐρίζων, quod Eusebius iam in εὐρίζω mutandum putavit, ἐκριζῶν scripseris. *Exstirpans exsultatione universae terrae mons Sion latera aquilonis.* Septentrionales autem gentes mons Sion radicitus excidit, duce Mardochaeo ac praeside.

4. *Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam.* Deus cognitus est a familiis Iudaeorum ex eo, quod civitatem eorum ex septentrionalibus insidiis eripuit.

5. *Quoniam ecce reges terrae congregati sunt, convenerunt in unum.* Reges nuncupat principes earum gentium, quae ab Amane Scythisque excitatae in Asiam irruperant.

6. *Ipsi videntes, sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos.* Hi quum Amanis filios caesos crucibusque affixos, ceteros autem Iudaeorum hostes una nocte interfectos viderent, dici vix potest, quanto vel timore vel stupore sint affecti.

7. *Ibi dolores ut parturientis.* Cum hoc eodem dolorum genere prophetae eos angores comparant, qui a populo Iudaico Idumaeis illati sunt.

8. *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis.* Praeclara similitudo atque eo subtilior, quo diligentius con-

---

1) Io. Chrysost. in h. l. *Qua de causa quaeso meminit nunc aquilonis et situm loci nobis describit? Quoniam assidue bellum hinc suscitabatur, invadentibus barbaris, idque prophetae dicunt frequenter, bellum ab aquilone appellantes et lebetem illinc ferventem describunt.*

2) Ezech. 35, 14.

sideratur [1]). Sciendum est autem non modo Phoenices Ps. 47, 8.
sed etiam Idumaeos navibus Tartessum vehi solitos. Hi igitur Idumaei vel Gagaei, ut naves, in mari gentium summum principatum obtinent, ac cum hoc pelago in mediam Asiam advecti vehementissima divini iudicii tempestate deprimuntur.

9. *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri, Deus fundavit eam in aeternum.* Hebraica verius ita: *Sicut audivimus, sic vidimus: in civitate* (h. c. *cum populo*) *Dominus virtutum, in civitate Deus noster.* A patribus, ut Esthera in oratione testatur, audierunt Deum Iudaeos numquam derelicturum populumque sanctum immortalem fore. Haec quae a prophetis acceperant, facta esse cognoverunt.

10. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Graecus et Hebraeus: *Mente concipimus* vel *exspectamus.* Admirabili illa victoria parta, statim ad templum conversi, de eius restitutione sperare coeperunt.

11. *Secundum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terrae, iustitia plena est dextera tua.* Post victoriam nomen divinum per totum orbem divulgatum ac celebratum. Iustitiae opus manusque dexterae erat, Iudaeis contra tot tamque perditos adversarios opem auxiliumque ferre.

12. *Laetetur mons Sion et exsultent filiae Iudae propter iudicia tua Domine.* Magnum ipse mons gaudium ex ea re cepit, quod Deum suum summum esse

1) Chrysostomus ea quidem ex similitudine dicta esse non ignoravit. Ex eius verbis etiam haec notatu digna sunt: *Hic mihi videtur hoc exemplum et victoriae facilitatem et perturbationis magnitudinem significare. Nam hi quoque quum magnam classem parassent et ex longinqua aliqua et aliena regione venissent, ira Dei veluti quodam vehementi vento omnes perierunt.*

Ps. 47, 13. vidit quodque sperare potuit, populum ex Babylonia brevi ad se rediturum. *Iudicia* autem ea sunt, ex quibus ille Iudaeis salutem, Idumaeis perniciem attulit.

13. *Circumdate Sion et complectimini eam, narrate in turribus eius.* 14. *Ponite corda vestra in virtute eius, et distribuite domos eius, ut enarretis in progenie altera.* 15. *quoniam hic est Deus Deus noster in aeternum et in saeculum saeculi, ipse reget nos in saecula.* Dominus tum denuo Israelitici nominis defensorem ac vindicem sese praebuerat. Quamobrem populus eum unum Deum iudicandum pieque colendum esse profitetur. Quum totus psalmus, tum vero haec ad ecclesiam pariter et ad coelum spectant.

PSALMVS LIV.

Christi in passione rogatio et vaticinatio.

Non eram nescius, quum vaticinia psalmosque explicare ingrederer, quam magnum opus quam parvis viribus susciperem. Nam scripta divina ipsa per se obscura sunt ac difficilia. Sed difficultates, quamquam non parvae sint, incredibile tamen est, quantopere interpretibus catholicis augeantur ab eis, qui ex haereticis nostra aetate ad libros sacros illustrandos operam studiumque contulerunt. Nam ei quidem hoc tempore vehementissime inter se dissident. Alteri eorum sanam explicandi rationem plane negant ullam esse praeter historicam. Alteri hoc vitio vitato, relicta tamen mediocritatis regula, in alium errorem incurrunt. Nam priores illos, ut rationalistas abhorrent; ipsi autem de libris sacris sic putant statuendum: quanto obscuriores, tanto diviniores. Quamobrem historicam explicationem non tantum spernunt, sed etiam pertimescunt; mysticam rationem dicunt esse unam, quam pius quisque interpres sequi debeat. Sed catholici

ut horum inscientiam, quae sacris litteris detrimenti plus Ps. 54.
quam utilitatis affert, plurimum contemnunt: sic illorum doctrinam minime verentur. Nam dum historicam rationem cum prophetica coniungimus, eam mediocritatem inter duo illa vitia tenebimus, quam apostoli docuerunt, patres secuti sunt, ecclesia probavit. Sed in hac explicatorum dissensione et discordia magno interdum nobis solatio est, quod patres cum eisdem duobus illis erroribus dimicasse legimus. Hilarius enim, ut hoc exemplo utar, sese in huius psalmi interpretatione non ignorare ait, *plerosque solum verborum sonum et litteram contuentes nihil de omnibus fere psalmis congruum personae Domini nostri Iesu Christi existimare. Sed sese litem non movere. Neque enim destruere se, sed adstruere eo, quod addat potius obscuris intelligentiam quam simplicibus detrahat. Quaecumque enim David aut passus aut questus sit, etiam passionibus eius, qui universitatis nostrae caro sit factus, impleta esse* [1]. Hoc nos praeceptum omnino tenendum, hoc fixum esse ac manere volumus. Nam quae mala vel David ab Absalone vel Mardochaeus ab Amane pertulit, quaeque de utroque eorum vates vel poetae scripserunt, ea omnia ad Iesum Christum spectare credimus. Hunc autem psalmum explicari de Davide non posse, probavit Eusebius [2]. Sed idem potuisse se historicum eius fundamentum invenire negavit. Antiquus scriptor a Graeco Corderii paraphraste laudatus et eum qui secutus est Beda explicatione sua ad Oniam sacerdotem devenerunt, qui Antiocho Seleuci filio aequalis fuit [3]. Mihi autem hic psalmus Mardochaeum potius quam aut Davidem aut Oniam videtur

1) Hilarius in h. l
2) Eusebius in h. Ps.
3) Beda in h. Ps.

Ps. 54, 10. attingere. Patres vero eum dicunt intelligendum de salvatore nostro, neque iniuria; neque enim quidquam omnino huic carmini inest, quod non possit proprie de Christo explicari.

1. *Exaudi Deus orationem meam et ne despexeris deprecationem meam.* Mardochaeus et Christus ab inimicis circumdati, supplices ad Deum confugiunt. Hoc exordium plurium psalmorum commune est.

3. *Intende mihi et exaudi me. Contristatus sum in exercitatione mea et conturbatus sum a voce inimici et a tribulatione peccatoris.* Inimicum et peccatorem vel Amanem dicit vel diabolum. Quod autem vocem inimici a tribulatione distinguit, calumnias intelligi voluit et mortem crucis, quam subivit Christus.

4. *Quoniam declinaverunt in me iniquitates et in ira molesti erant mihi.* Mardochaeus Amanem, Christus diabolum adorare noluit. Hinc acerbissima ira, hinc variae calumniae. Amani autem Mardochaei accusandi tempus concessum non est. Quocirca hic versus proprie de solo Christo intelligi debet.

5. *Cor meum conturbatum est in me et formido mortis cecidit super me.* 6 *Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebrae.* Haec prophetia potius, quam historica narratio dicenda est. Ea autem exitum habuit, quum Christus animam suam tristem usque ad mortem esse dixit. Pro *tenebrae* Hebraeus et Symmachus: *horror* cf. Ps. 41, 7.

7. *Et dixi: quis dabit mihi pennas sicut columbae et volabo et requiescam.* 8 *Ecce elongavi fugiens et mansi in solitudine.* Verius Symmachus: *Longe fecissem secessionem meam, mansissem in solitudine.* Haec non verbis, sed re eamdem precationem esse atque illam: *Transfer calicem istum,* quis non videt? Nam mortem eiusque angores evitare voluit. Nec tamen quod precatus est, impetravit.

9. *Exspectabam eum qui salvum me fecit a pusil-* Ps. 41, 10.
lanimitate spiritus et tempestate. Dominus exspectavit et angelum, qui animum ipsius consolatus est, et Deum Patrem, qui die tertio corpus ad vitam revocavit.

10. *Praecipita Domine, divide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate.* Immerge eos, inquit, ut hominum genus perditum tempore Noes, dissipa eos, ut aedificantes turrim. Falsorum testium linguae inter se divisae ac contrariae erant.

11. *Die ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas, et labor in medio eius* 12. *et iniustitia et non defecit de plateis eius usura et dolus.* Vates fraudes rapinas iniurias iniquitates describit, quas Gagaei Susorum custodes, et Pharisaei templi praesides perpetraverunt.

13. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, et si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo.* Non erant apertae inter Amanem et Mardochaeum inimicitiae. Hic odium in animo suo continuerat. Iracundia autem subito tamquam flamma erupit, ut a Mardochaeo nec praevideri nec evitari posset. Similis erat ratio Iudae proditoris.

14. *Tu vero homo unanimis, dux meus et notus meus,* 15. *qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo dei ambulavimus cum consensu.* Symmachus: *qui dulce colloquium miscebamus, in domo dei versamur simul viventes.* Reges ac principes vocari deos, quum aliunde tum ex Pauli testimonio notum est. Aman Mardochaeo, Idumaeus Iudaeo sanguine erat coniunctus. Neque Mardochaeo solum, sed etiam septem principibus praefuit. Ambo eisdem conviviis, quum feriae diesque festi essent, interfuerant in domo regis. Iudas autem cum Christo pietatis amicitiaeque necessitudinem habuit. Dux eius

Ps. 54, 16. numquam fuit, nisi quum eum vinctum ad principes sacerdotum duceret. Paschalem agnum cum eo manducavit ac sapientiae panem quotidie ab eo accepit.

16. *Veniat mors super illos et descendant in infernum viventes, quoniam nequitiae in habitaculis eorum, in medio eorum.* Aquila: *nequitiae in conversatione eorum.* Haec non tam imprecatio putanda est quam vaticinatio. Vates antea de solo Amane (diabolo, Iuda) locutus, nunc de omnibus vel Idumaeis vel Pharisaeis verba facit.

17. *Ego autem ad Deum clamavi et Dominus salvavit me.* 18. *Vespere et mane et meridie narrabo et annuntiabo et exaudiet vocem meam.* Aquila et Theodotio; *clamabo.* Vespere ac mane iddem est ac nocte et die: quocirca illud *meridie* manu posteriore videtur esse adiunctum. Mardochaeus per tres dies supplicationes instituit; per totidem dies Christus de profundis i. e. ab inferis ad Deum clamavit.

19. *Redimet in pace animam meam ab his, qui appropinquant mihi, quoniam inter multos erant mecum.* Symmachus: *multi adgressi sunt me.* Eamdem sententiam etiam Athanasius subesse censuit [1]). Deus autem animam Christi redemit, quum eum a mortuis suscitavit.

20. *Exaudiet Deus et humiliabit illos, qui est ante saecula. Non enim est illis commutatio et non timuerunt Deum.* Haec verba quam plurimum me moverunt, ut hunc psalmum historiae Estherae addicerem. Nam cetera quae dicuntur, aliis factis communia esse possunt, haec autem Estherianae rei mirifice conveniunt. Nam poeta nisi Iudaeos venditos et redemptos cogitaret, numquam eam sententiam induxisset, ut Idumaeis commutationem vel redemptionem ullam fore negaret. Quae

---

1) Athanas. in h. l.

autem de Idumaeis dicta sunt, iure transferuntur ad Ps. 44, 21
Pharisaeos.

21. *Extendit manum suam in retribuendo.* Symmachus: *extendit manum suam ad eos qui pacem habebant secum,* Hebraeus et Aquila: *ad pacificos suos.* Quae Septuaginta interpretati sunt, ea et ad Idumaeos et ad Pharisaeos trahi possunt; quae apud Hebraeos leguntur, ad solos Pharisaeos. Nam Pharisaei vel Iudaei soli, antequam vitiis sese dediderunt, pacem cum Deo amicitiamque habuere.

22. *Contaminaverunt testamentum eius.* Quid de Pharisaeis verius dici potuisset? Hebraeus: *polluit.* Aman testamentum sprevit ac polluit, quum id omnino tollere constitueret.

22. *Divisi sunt ab ira vultus eius et appropinquavit cor illius.* Symmachus et Hebraeus: *Dulciora butyro ora eorum, conflictus (pugnat) cor eius.* Poeta exponit, quantopere os et lingua ab animo, verba a cogitationibus discrepent.

22 *Molliti sunt sermones eius super oleum et ipsi sunt iacula.* Neque dicta solum a cogitatis dissentiunt, sed etiam sermones ipsi ita sunt comparati, ut Iudaeis quidem morte acerbiores sint, Assuero autem oleo suaviores esse videantur. Nam Aman, dum apud Assuerum blanda verba facit, quid aliud molitus est nisi caedem sanguinemque Iudaeorum?

23. *Iacta super Dominum curam tuam et ipse te enutriet, non dabit in aeternum fluctuationem iusto.*
24. *Tu vero Deus deduces eos in puteum interitus.* Iudaei, ut ex Ezechiele et Strabone notum est, muro Scytharum sepulcrum circumdederunt, qua re factum, ut illud ad putei similitudinem proxime accederet.

24. *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos, ego autem sperabo in te Domine.* Viri sanguinum

Ps. 55. Idumaei et Pharisaei, qui innocentem persecuti sunt. Neutri ne ad mediam quidem aetatem pervenerunt. Aman Iudas Nero e vitae iuventutisque flore ad inferos rapti. Iustus autem spem suam in Domino collocat.

PSALMVS LV.

Iudaeorum exsulum precatio.

Septuaginta viri, quum perspicuitatis magis quam propriae verborum sententiae rationem haberent, titulum huius psalmi posuerunt hoc modo: *pro populo qui a sanctis longe factus est*. Hebraei autem revera hanc inscriptionem habent: *de columba, pro gente repulsa*. Columbam Estheram putamus esse, gentem repulsam vero Iudaeos dicimus a Deo venditos, ab Amane emptos. Sed inscriptio, utut explicatur, satis argumenti est, psalmum pertinere ad exsilium Babylonicum. Et id quidem ex ea collegerunt Theodoretus, Paraphrastes Graecus [1]), alii. Neque vero, si quis probaverit interpretationem Graecam, a tempore exsilii omnino poterit recedere; Hebraicam autem veritatem nemo praeferet, nisi verbis eam subiecerit sententiam quam diximus, et qua nihil potest esse probabilius. Sed ut interpretum opiniones breviter complectar, Theodoretus Euthymius Calmetius alii inscriptionem ita secuti sunt, ut in Babylonico tempore psalmum reponerent [2]); Theodorus autem Paraphrastes Graecus et Beda ab ea ad tempora Maccabaica decesserunt [3]). Sed ex nostra sententia, etsi non tam

1) Graecus Corderii Paraphrastes ad verba: *Pro populo qui a sanctis longe factus est*, ita: *Insinuatur autem hunc psalmum esse Babylonicum tamquam ex persona populi sancti procul ab Hierosolymis constituti.*

2) Theodoret. Euthym. in h. Ps. Basilius. Calmet.

3) Theodorus. Paraphr. Graecus Corder. Beda Ven. in h. Ps.

inscriptione quam argumento nitimur, hunc psalmum historice de Mardochaeo et Iudaeis, allegorice de Christo ac de primis Christianis explicari oportet. Ps. 56, 2.

1. *Miserere mei quoniam conculcavit me homo, tota die impuguans tribulavit me.* Mardochaeum conculcare studuit Aman. Christo tota die illa, quum in cruce erat, adversatus est diabolus. Propheta in eo sibi constat, quod vel Amanem vel hostem vel daemonem simpliciter vocat hominem.

3. *Conculcaverunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellantes adversum me.* Neque Aman solus erat neque diabolus, sed multos habebant socios et adiutores.

4. *Ab altitudine diei timebo, ego vero in te sperabo.* Interpretes ut his verbis sententiam subiicerent, non modo incredibilem attulerunt opinionum varietatem, sed ne a mutationibus quidem verborum abstinuerunt. Est autem confitendum, absconditam horum verborum sententiam investigaturum esse neminem, quin sit mystica sacrarum litterarum sapientia imbutus. *Dies* hoc loco indicat id temporis spatium, quod diem noctemque comprehendit. Veluti: *Et factum est vespere et manè, dies quartus.* Sed ut in hexaemero ex veterum testimoniis dies aetas mundi intelligi potest; sic hoc loco intelligatur necesse est. *Altum autem vel altitudo diei* nihil aliud est nisi aetatis mundi summa extrema ultima pars. Si autem cuiusque aetatis dimidia pars posterior nox appellatur, quantas putabimus tenebras esse in extrema aetate i. e. in extrema nocte? Tenebras autem turpitudinis et ignorantiae, exeunte quaque aetate, magnas praeter modum atque ingentes fuisse, supra demonstravimus. Ab altitudine igitur diei, a fine quartae aetatis mundi iustus hic se timere confitetur. Erat autem finis aetatis quintae de quo Dominus dixit: *haec est hora vestra et potestas tenebrarum.* Sed iustus, etsi ex temporis ratione maxime an-

Ps. 55, 5. gebatur, tamen se in Deo spem suam ponere ab eoque auxilium exspectare dicit.

5. *In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi caro.* Hieronymus: *in Deo laudabo verbum eius.* Verbum autem et promissum Dei et factum intelligi potest.

6. *Tota die verba mea execrabantur, adversum me omnes cogitationes eorum in malum.* Hieronymus: *tota die sermonibus me affligebant.* Non modo verbis calumniabantur eum, sed etiam in cogitationibus nihil aliud machinabantur, nisi ut eum occiderent.

7. *Inhabitabunt et abscondent, ipsi calcaneum meum observabunt; sicut sustinuerunt animam meam.* Symmachus et Hieronymus: *Conveniebant clam et vestigia mea observabunt exspectantes animam meam.* Haec dicit populus. Nam Idumaei Amanis iussu clam convenire, Iudaeos observare, imprudentesque opprimere constituerant.

8. *Pro nihilo salvos facies illos, in ira populos confringes.* Hieronymus: *Quia nullus est salvus in eis.* Haud scio an און h. l. Onis vel Apollinis nomen sit.

9. *Deus vitam meam annuntiavi tibi, posuisti lacrimas meas in conspectu tuo. Sicut et in promissione tua.* Hebraeus: *secretiora mea numerasti, posuisti lacrimam meam in utre tuo; nonne calculos subducis?* Populus Iudaicus, quum regeneraretur, per novem menses a tertio usque ad duodecimum quasi in matris utero fuit. Inde haec verba explicanda sunt.

10. *Tunc convertentur inimici mei retrorsum, in quacumque die invocavero te.* Novem mensibus confectis, Iudaei denuo generati hostes suos in fugam converterunt.

10. *Ecce cognovi, quoniam Deus meus es.* Antea a Deo discesserant; nunc primum eum ex calamitatibus, deinde ex insperata salute agnoverunt.

11\. *In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem, in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo.* Ab homine, qui dicitur Aman, extrema Iudaeis pericula imminebant. Sed illi vaticiniis Deoque suo confidebant. Ps. 55, 11.

12\. *In me sunt Deus vota tua, quae reddam laudationes tibi.* Populus si a Deo conservatus fuerit, se semper eius laudes celebraturum promittit. Nam haec in se vota suscipit, ut Hebraeus ait: *Super me sunt Deus vota tua.*

13\. *Quoniam eripuisti animam meam de morte et pedes meos de lapsu, ut placeam coram Deo in lumine viventium.* Hebraeus et Hieronymus: *ut ambulem coram Deo.* Novam generationem, quam supra significavit, liberationem a morte salutemque fuisse ex his verbis cognoscimus. Aman Iudaeorum pedibus laqueos posuerat eisque perniciem machinatus erat. Deus autem eos ex laqueis eripuit, ut ambularent; ex morte, ut versarentur in felicitate lumineque viventium.

PSALMVS LIX.

De regno Mardochaei et Christi.

Si inscriptio vere a nobis probeque explanata est, non potest esse dubium, quin hoc carmen ad rem Mardochaicam referendum sit. Inscriptio enim haec est: *pro Susianis,* quam Septuaginta ad Graecorum intelligentiam ita accommodarunt: *pro his qui commutabuntur.* Sed hunc titulum ad psalmum ipsum omnino aptum convenientemque esse, num ulla ex re clarius apparere potuit, quam quod Theodoretus, Euthymius et Calmetius psalmi argumento adducti sunt, ut illum ad Babylonica tempora pertinere dicerent [1]? Beda, ut arbitror, Graecos secutus

1) Theodoret. Euthym. Calmet. in h. l.

Ps. 59. ad res Maccabaicas aberravit [1]). Eusebius et Athanasius, ad tempora propiora devenerunt, quum iam Iudaei per omnes nationes dispersi essent [2]). Neque silentio praetereundum est, quod Theodoretus dixit, hunc psalmum coniunctum copulatumque esse cum superiore. Ex qua re sequitur, quae interpretes de alterutro statuerint, pariter posse ad utrumque transferri.

3. *Deus repulisti nos et destruxisti nos, iratus es et misertus es nobis.* Aquila: *iratus avertisti nos;* Hieronymus: *iratus es, convertisti nos.* Deus populum suum repulit et destruxit, quum eum Amani Idumaeisque occidendum traderet. Sed irae et indignationis significatione eos ad se revocavit.

4. *Commovisti terram et conturbasti eam, sana contritiones eius, quia commota est.* Terram non de solo, sed de populo intelligas. Populus ab Amane ita vexatus motusque est, ut paene concideret. Deo igitur poeta supplicat, ut vulnera et ea quae perpessus est, sanare velit.

5. *Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis.* Aquila: *vino soporis.* Hieronymus: *vino consopiente.* Populus Iudaicus patria pulsus per totam Asiam dispersus fracto iam animo erat. Praeterea imminebat calamitas, qua nulla umquam potest libero populo accidere acerbior. Verum ut proverbium nostrum fert, maximo quoque in discrimine Deus proximus.

6. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus.* Insperata Mardochaei salus summusque honor Iudaeis indicio ac hortamento fuit, ut divino verbo freti contra hostes suos arma caperent. Nostrae autem resurrectionis argumentum nonne resurrectio Christi est?

---

1) Beda in h. Ps.

2) Athanas. et Euseb. in h. l.

6. *Vt liberentur dilecti tui,* 7. *salvum fac dextera tua et exaudi me.* In his psalmis Iudaei non tam servi Dei quam vel dilecti vel amici vocari solent. Nam Deus, quum eos ex extremo periculo mortis eripuit, summam in eos caritatem significavit. Ps. 59, 7.

8. *Deus locutus est in sancto suo, laetabor et partibor Sichimam et convallem tabernaculorum metibor.* Cf. Ps. 107, 9. ss. Poeta factum illud esse narrat, quod Deus per Ezechielem futurum praedixit, ut Irsael et Iuda pastori uni pareant recuperentque pristini imperii gloriam. Ac primum quidem Mardochaeus obtinet Sichimam, antiquissimam urbem Sacarum, quae postea in potestatem Ephraim venit. His verbis igitur poeta designat totam tribum Ephraim [1]). Deinde in deditionem accepit vallem tabernaculorum, de qua sermo est Gen. 33, 17.

9. *Meus est Galaad et meus est Manasses et Ephraim fortitudo capitis mei.* Caput significationem habet imperii principatusque. Ad societatem accedunt Galaaditae, qui ab inimicis in servitutem primi sunt redacti. Manasses et Ephraim Iosephi posteri Beniamino proximi sunt. Sed hi discordiarum primi auctores etiam in defendendo novo regno palmarem locum obtinent.

9. *Iuda rex meus.* Hebraeus et Hieronymus: *legifer meus.* Iuda in atrocitate illius temporis nec regnum nec principatum tenuit. Attamen poeta ad eum imperium legislationemque defert propter futurum Davidem. Itaque haec verba apertissime comprobant, regnum Mardochaei imaginem fuisse regni Christi.

10. *Moab olla spei meae.* Hebraeus Aquila Hieronymus: *olla lavacri mei.* Moabitae, quoniam Idumaicorum criminum socii erant, gratiam et impunitatem numquam impetrabunt.

---

1) Eusebius in h. l.

Ps. 59, 10. [10] *In Idumaeam extendam calceamentum meum.* Amane Amalecita devicto, fore dicit, ut superbas Idumaeorum cervices pedibus suis subiectas conculcet.

[10] *Mihi alienigenae subditi sunt.* Aquila: *mihi Philistaea amica fuit*, Theodotio: *mihi alienigenae amici facti sunt*. Hieronymus: *mihi Palaestina foederata est.* Quaecumque gentes Assuero subditae erant, eae parebant etiam Mardochaeo eiusque amicitiam quaerebant. Sed nondum deleti sunt Idumaei.

[11] *Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumaeam?* Vera scriptura petenda est ex Ps. 107, 11. בצרה, *Bosra* Idumaeorum urbs potentissima. Quis deducet me Bosram, quis in Idumaeam, ut infestissimam hanc gentem prorsus excidam ac tinctis vestibus in patriam victor revertar?

[12] *Nonne tu Deus qui repulisti nos? et non egredieris Deus in virtutibus nostris.* Qui repulsi erant, Deo grati acceptique facti. Ex devictis victores sunt exorti.

[13] *Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.* In homine salutem nullam sitam esse, ex Amane eiusque gente congnoverunt.

[14] *In Deo faciemus virtutem et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.* Quo magis suam ipsorum debilitatem confitentur, eo libentius virtutem omnem a Deo exspectant. De divino autem subsidio certi quum essent, nonne etiam victoriam necesse erat sine ulla dubitatione sperarent?

PSALMVS LXI.

De victoria Amanis et daemonis.

Hoc elegantissimum carmen partim historice a sanctis patribus partim prophetice explicatum est. Atque inter eos, qui historiam non neglexerunt, magna sane et mira

consensio est, id percommode posse ex rebus Maccabaicis Ps. 61.
explanari. Et in hac quidem sententia fuerunt Basilius Theodorus Theodoretus Paraphrastes Gaecus Beda Euthymius [1]) alii. Sed quod tam magnus interpretum numerus illas res ad carmen illustrandum arripuit, id mihi videtur declarare, huic carmini multa inesse, quae non possint plana fieri nisi ex certis quibusdam ac definitis rebus gestis. Quas ego quidem Mardochaicas, non aut Maccabaicas aut ullas alias esse arbitror. Sed qui propheticam explicandi rationem secuti sunt, ei in hoc carmine vaticinium repererunt vel de futuro iudice [2]), vel de redemptore ac de devicto daemone [3]). Carmen compositum est ex strophis quattuor, quae duobus diapsalmatis sunt inter se divisae ac quaternis versibus constant. Prima et secunda inter se arctius copulatae verbis incipiunt eisdem.

2. *Nonne Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum* 3. *Nam et ipse Deus meus et salutaris meus susceptor meus non movebor amplius.* Cum his versibus prorsus congruunt 6. et 7., nisi quod eis parvum discrimen attulit incuria librariorum. Nam pro אל scripserunt ל, pro דומיה, quod utrobique multi codices exhibent, רומי. Particula כי in v. 2. omissa est, sed est a Septuaginta reddita et adhuc in codicibus invenitur. Pro תקותי *expectatio mea* ex simili pronuntiatione litterarum שׂ et ת, ע et ק scriptum est ישועתי *salus mea*, quam depravationem Syrus etiam in v. 6. habuit. Neque enim aut recte cogitari aut eleganter dici potest: quia ab ipso salus mea, nam ipse salus mea. Denique verbum רבה altero loco praetermissum est. Ita igitur interpretor: *Vere in Domino fidens est anima mea, quia ab ipso spes mea. Etenim*

1) Theodorus in Cat. Paraphr. Graec. ap. Cord. Basil. Theodoretus Beda Euthymius in h. Ps.
2) Origenes.
3) Athanasius, Cyrillus Alex.

Ps. 61. 3. *ipse petra mea est et salus mea; elatio mea, de qua non demovebor, magna facta est.* Mardochaeus quum Deum sibi subvenisse cognosceret, omni in eo fidentia posita, cum humillima animi submissione ab eodem omnia sperare coepit. *Ab ipso spes mea.* Hoc enim esse firmamentum, cui in tam turbulenta tempestate firmiter possit insistere; hunc conservatorem, cui se totum committere debeat. Quamobrem ex altissimo honoris gradu quem divinitus sit assecutus, numquam se posse deturbari confidit. Elatus autem ad dignitatem tam amplam tamque excelsam quum sit, quid est quod non etiam de proxima Amalecitarum caede certus esse possit? Itaque illorum quam prope sit interitus, ex Amanis nece docet.

4. *Quousque irruitis in hominem, interficitis universi vos tamquam parieti inclinato et maceriae depulsae?* Symmachus: *quousque in vanum laborabitis.* Septuaginta: *quousque imponitis vos in homine* i. e. *nitimini in homine.* Sententia igitur haec est: Vsquequo nitemini in homine, prosternemini universi vos tamquam *paries praecipitans et maceria promota?* Aman vel daemon homo iste est, in quo hostes omnes nituntur. Vnus victus est elatione Mardochaei, alter morte et resurrectione Christi. Quo fundamento subducto ac detracto, genus hostium pronum ad perniciem est, veluti paries inclinatus de loco suo demotus propensusque ad ruinam. Verba *paries* et *maceria* etiam ad *hominem* trahi possunt, ac nescio an et rectius et elegantius.

5. *Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti, ore suo benedicebant et corde suo maledicebant.* Multa sunt, quae emendatione indigeant. Graecam vocem τιμὴν Vulgata expressit *pretium*, verius eam et patres Graeci explicaverunt et Hilarius reddidit *honorem* [1]);

1) Hilarius in h. Ps.

et quidem *honorem* vel *elationem meam*, non *eius*. Prae- Ps. 61. 5.
terea verbum ἔδραμον Ambrosius Athanasius Euthymius recte [1]): *cucurrerunt*, Vulgata: *cucurri*. Denique ἐν δίψει *in siti* mendosum esse natumque ex: ἐν ψεύδει, iam vidit Eusebius [2]). Postremo pro *ore suo* Hebraeus: *ore eius*. His verbis emandatis, huiusmodi sententiam consecuti sumus: *Scilicet elationem meam desideraverunt prohibere, cucurrerunt in simulatione* (Hieronymus: *placuerunt sibi in mendacio*), *ore illius benedicebant, animo suo maledicebant*. Quum Mardochaeus ab Amane cum clamore per urbem duceretur, magnus Idumaeorum concursus factus est. Ac multi ex eis, etiamsi de huius honore plurimum dolebant, tamen quum eam rem a se non posse prohiberi intelligerent, gaudium simulantes, comites sese satellitesque Mardochaei praestabant. Hi igitur cucurrerunt in simulatione, ore Amanis fausta omnia, animo suo contra Mardochaeo mala atque infelicia precati sunt. Resurrectionem Christi desideraverunt prohibere Pharisaei, quod quum non possent, ad mendacia confugerunt.

6. *Verumtamen Deo subiecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea.* 7. *Quia ipse Deus meus et salvator meus adiutor meus non emigrabo.* In prima stropha spectavit vates ad Idumaeos; in secunda orationem vertit ad Iudaeos. Atque eorum animos ad fidem, ad spem concitat, ad confidentiam in eum, qui eis iam antiquitus contra iddem hostium genus opem auxiliumque tulisset.

8. *In Deo salutare meum et gloria mea, Deus auxilii mei et spes mea in Deo est.* Mardochaeus conservatorem suum honorisque auctorem Deum esse fatetur. Neque

---

1) Ambrosius Athanasius Euthymius in h. l.

2) Eusebius in h. l.

Ps. 61, 8. enim salutem gloriamque ad virtutem retulit suam, sed ad benignitatem Dei. *Super Deum* ait, *salus mea et gloria mea.* Quidquid ipse probata illa in regem fidelitate erat assecutus, id non sibi sed Deo tribui voluit. Quo tam pio animo tamque sancto quum esset, etiam spem omnem de rebus futuris in Deo collocare potuit: *robur fortitudinis meae et salus mea in Deo* (Hieronymus).

9. *Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra, Deus adiutor noster in aeternum.* Diapsalma h. l. Vulgatae auctor interpretatus est: *in aeternum;* hanc enim vim Iudaei Hebraico verbo subesse dicunt. Scriptura: *omnis congregatio populi* כל־עדת עם sine controversia vera est. Propheta enim Iudaeos adhortatur eos, qui supplicationis causa convenerant. Eidem coram Deo corda effuderunt, quum et ferrent poenitentiae fructum et laudis confessionisque sacrificium immolarent.

10. *Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Valde mihi placet interpretatio Theodotionis: *Vapor filii hominum, instabiles filii hominis sicut momentum staterae.* Nam simile illud, quod est de statera petitum, etiam apud prophetas invenitur. Quid autem magis perspicuum esse potest, quam quod ex verbis illis elucet, pro ב *in* scribendum esse כ *ut, sicut?* Quo mendo sublato, Hebraica Latine ita verterim. *Prorsus vanitas filii hominum, mendacium filii viri, sicuti lances librae in ascendendo, eidem ipsi de vanitate.* Qui filii hominum appellantur, ei sunt improbi Idumaei eorumque socii, qui omnes vani sunt inanes fragiles instabiles, ac brevi funditus tollentur. Neque vero seiungendi ab horum interitu sunt *filii viri* i. e. decem Amanis filii, qui ad summos principum honores pervenerant. Nam qui eos in altissimo gradu illo perman-

suros putat, tantopere fallitur, quantum, qui una lanx Ps. 61, 10.
si manu deprimitur, alteram, manu retracta, sublime fixam stabilemque haesuram arbitratur. Praeterae eidem illi qui *filii viri* vocantur, ex eadem illa vanitate i. e. ex eadem vana fragilique gente nati sunt. Hoc igitur, ut ait propheta, sibi quisque persuadeat, quum Amanis filios, tum Idumaeos omnes perituros. Sed praeceptum quoddam est, quod a Saulo rege neglectum a vobis observari debebit:

11. *Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere, divitiae si affluant, nolite cor apponere.* Idumaei, ut constat ex eis quae aliis locis diximus, ad divitias comparandas modis usi sunt tribus eisque turpissimis. Primum quidem exegerunt tributa iniusta *(extorsio)*. Deinde ex tota Asia praedas egerunt *(rapinae)*. Denique exercuerunt foenus iniquum, *(divitiae quae pullularunt* Hebr. vel *quae fructum pepererunt*, Symmachus). Admonentur igitur a propheta Iudaei, ne desiderent pecuniam vi exactam, ne rapinas concupiscant, ne opes appetant foeneratione paratas.

12. *Semel (unum) locutus est Deus, duo haec audivi, quia potestas Dei est* 13. *et tibi Domine misericordia, quia tu reddes unicuique iuxta opera sua.* Hebraeus pro *unicuique* habet *viro* i. e. Amani, daemoni; et *opus* pro *opera*. Afferuntur igitur tria; primum, Deum potentem esse, ut possit et salvare Iudaeos et perdere Idumaeos; alterum, in eo esse misericordiam, ut velit Iudaeos salvos esse, tertium est, quod ex iustitia fluit, eum Amani retributurum secundum opus eius. Tribus his rebus commemoratis, quantopere Iudaeorum animos in spe et fide confirmatos putabimus?

—

PSALMVS LXV.

De Mardochaei et Iudaeorum liberatione, de Christi et omnium iustorum resurrectione.

Historicam rationem huius psalmi multi patres interpretesque indagare studuerunt, ut Theodorus Heracl., ut Theodoretus, ut Paraphrastes Graecus Beda Euthymius alii. Qui quidem in eo omnes consentiunt, quod illum cantatum tum arbitrantur a Iudaeis, quum in patriam a Cyro dimissi redierunt [1]. Sed illi etiam ob eam causam id temporis Deum maximis laudibus ornaverunt, quod eius opera per Mardochaeum a morte ad vitam, a desperatione ad spem, ab exitio ad salutem revocati ac reducti erant. Nam hoc tantum beneficium adepti, quid mirum, si ad divinum nomen celebrandum usque eo excitati sunt, ut ad communes laudationes gentes omnes totumque humanum genus cohortarentur? Id ut ita facerent, hac re maxime admoniti sunt, quod post Amanem devictum multos de gentibus secum religionis inire societatem viderunt. Sed quod ad mysticam huius psalmi sententiam attinet, prorsus non est, cur de ea quis a sanctis patribus dissentire possit. Nam si illi Iudaeorum vel e captivitate liberationem imaginem dicunt esse redemptionis nostrae: quanto magis valet ad opus Christi adumbrandum victoria Mardochaica, qua eidem isti ex mortis laqueo liberati ereptique sunt? Quamobrem sublimem huius hymni sententiam quis est, quin a Mardochaeo ad Christum, a liberatione Iudaeorum ad re-

---

1) Theodorus et Paraphr. Graec. edi. Corder. Theodoret. Beda Euthym. in h. Ps. S. Athanasius hunc psalmum cum eo qui sequitur coniunctum esse dicit. Quoniam autem Ps 56. ad Iudaeos exsules refert, sequitur, ut iddem de hoc psalmo statuendum sit.

demptionem omnium hominum, ab accessione proselytorum ad vocationem gentium deferendam esse videat? Ps. 65.

1. *Iubilate Deo omnis terra,* 2. *psalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius.* Omnem terram i. e. cunctam Iudaeam a moestitia peccatorum ad sanctam laetitiam, a timore et angore ad hilarem divini nominis celebrationem convocat.

3. *Dicite Deo: Quam terribilia sunt opera tua Domine, in multitudine virtutis tuae mentientur tibi inimici tui.* In maximorum horum operum numero conservatio habenda est Iudaeorum, Christi resurrectio, redemtio generis humani, clades denique Idumaeorum ac daemonum. Qui inimici nuncupantur, ei quidem Iosuae (9,3.) maioribusque mentiti perniciem effugerunt. Quorum tamen posteri, quum Deum fallere non potuissent, per Mardochaeum ad unum omnes occisi sunt. Illa igitur verba dicta sunt ironice. Quare vera sententia haec est: inimici tui e manibus maiorum nostrorum potuerunt effugere, at ex manibus tuis non item.

4. *Omnis terra adoret te et psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo.* Iterum populus Iudaicus ad Deum suum laudibus extollendum excitatur.

5. *Venite et videte opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominum.* Ad veniendum, ad videndum invitantur, ut in Ps. 45, 9. Verba *homo, filii hominum* iddem valent ac vel *homines perditi* vel *saeculum* vel *mundus* vel *viri saeculares.* Quam vafer quamque callidus erat Aman, quum dolosis machinationibus se Iudaeos capturum arbitrabatur! Daemon autem num minus versutus fuisse putabitur, qui Christum impune supplicio tollere, qui in occupato imperio remanere conatus est? Sed horum astutiam quam facile divina sapientia devicit *(in consiliis,)* quae Amanem et daemonem, quo temporis puncto se victores somniarunt, eo ipso victos superatosque tenuit?

Ps. 65, 6. [6] *Qui convertit mare in aridam, in flumina pertransibunt pede, ibi laetabimur in ipso.* Quum Iudaei exire de Aegypto vellent, obstitit mare; quum in Palaestinam intraturi essent, obfuit Iordanes. Sed haec illi impedimenta mirabilem in modum, Deo duce, superarunt. Nam mare et fluvius ex aqua in terram solidam firmamque conversa sunt. Verum tempore Mardochaei et Christi num aliud quidquam evenisse dicemus? Quid enim? Quum multi e gentibus *(mare)* per Mardochaeum hospites et advenae, per Christum autem cives sanctorum et domestici Dei efficerentur, nonne tum mare fluxum et sterile in stabilem fertilemque terram commutatum videmus? Atque in hac quidem gentium conversione summa sanctorum posita laetitia est. *Ea in re ipsa laetabimur.*

[7] *Qui dominatur in virtute sua in aeternum, oculi eius super gentes respiciunt; qui exasperant non exaltentur in semetipsis.* Qui dominatur in fortitudine sua saeculo (Hieronymus), i. e. qui intervalla temporum mundique saecula disponit, is tanta benignitate est, ut hac i. e. Mardochaei et Christi aetate gentes respiciat easque in populi sui societatem adsciscat. At vero Amalecitae qui *exasperant* sive increduli sunt (Hieronymus) Deumque ad iram provocant, nonne ei quanto plus se extollere student, tanto gravius turpiusque cadant necesse est? Deum gentibus propitium fore propheta exposuit; iure igitur ita procedit, ut gentes ipsas ad Deum quem colit Israel laudandum admoneat.

[8] *Benedicite gentes Deum nostrum et auditam facite vocem laudis eius;* [9] *qui posuit animam meam ad vitam et non dedit in commotionem pedes meos.* Hebraeus: *animam nostram, pedes nostros.* Populus gentes arcessit, ut Deum suum secum collaudent. Nam a Deo vitam sibi salutemque tributam fatetur.

[10] *Quoniam probasti nos Deus, igne nos examina-*

sti, sicut examinatur argentum. Hieronymus: *igne nos* Ps. 65, 10.
conflasti sicut conflatur argentum. Iudaei in extremum discrimen adducti de peccatis criminibusque suis dolere coeperunt. Poenitentia autem tamquam igne purgati probati regeneratique sunt.

11. *Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro,* 12. *imposuisti homines* (hominem) *super capita nostra.* Pro *laqueo* Aquila: *munimentum*, Symmachus: *obsidionem.* Deus, quum suos tentare vellet, *collo* eorum laqueum circumdedit, ut strangularentur; vim magnam molestiarum iniunxit *dorso*, ut oprimerentur; *capiti* denique hominem imposuit Amanem, a quo conculcarentur.

12. *Transivimus per ignem et aquam et eduxisti nos in refrigerium.* Symmachus: *in latitudinem.* Omnibus modis examinati educti sunt tandem ad latitudinem suavissimamque recreationem.

13. *Introibo in domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea quae distinxerunt labia mea. Et locutum est os meum in tribulatione mea: Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum, offeram tibi boves cum hircis.* Qui tot tantisque me beneficiis honestavit, etiam quod plurimum exopto adiiciet, ut in patriam reversus, in domo Dei copiosissima quae vovi sacrificia immolem. Similis est ratio Christi ac Christianorum. Ille enim a mortuis excitatus redire in coelum desideravit; et nos quid ardentius avemus, quam eum in beatissima illa domicilia subsequi, ut Deo laudationis sacrificia offeramus in aeternum?

16. *Venite audite et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animae meae.* Quos supra ex gentibus ad religionis communionem vocavit, eos hoc loco *timentes, metuentes* appellat et ut divina miracula accuratius addiscant, hortatur.

Ps. 65, 17. 17. *Ad ipsum ore meo clamavi et exaltavi sub lingua mea.* Verius Hieronymus: *Ipsum ore meo invocavi et exaltavi in lingua mea.* Primum igitur proselytos docet, soli se Deo *(ipsi)* adorationis laudisque cultum adhibuisse. Hoc enim religionis omnis esse caput, ut nemo adoretur praeter Deum verum.

18. *Iniquitatem si adspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Oculis deorum simulacra in exsilio non videre, sane difficile factu erat. Quamobrem adiungit: *in corde meo* i. e. cum voluntate adorandi. Sententia haec est: si falsos deos veneratus essem, quomodo me exaudisset Dominus?

19. *Propterea exaudivit Deus et attendit voci deprecationis meae.* Quoniam unum verumque Deum colui, ait, idcirco ab eo quidquid petii, impetravi. His quidem praeceptis ad proselytos a falsis deis prohibendos quid potuit esse efficacius?

20. *Benedictus Deus qui non amovit orationem meam et misericordiam suam a me.* Deo agit gratias, qui pietatem dedit ad *orationem* necessariam, et orationem quam ipse dederat, solita cum *misericordia* recepit.

PSALMVS LXVII.

De Esthera et Maria Virgine.

Interpres quidam verius sane quam elegantius hunc psalmum *crucem* dixit *esse ingeniorum atque explicatorum opprobrium.* Nam tot in eo esse difficultates, quot verba [1]). Neque vero Calmetius dubitavit omnium eum dicere difficillimum. Quod quidem alii, etsi verbis minus libere indicant, re tamen et ipsi declarant, quum et maximam varietatem opinionum opinionibus novis

1) Muis.

cumulent neque ullo modo quae oriuntur dubia tollant. Ps. 67.
Quae quum ita sint, de hoc tam praeclaro quam obscuro psalmo paulo est diligentius disserendum. Primum igitur de prophetica eius sententia quid interpretes statuerint exponemus; deinde quid de historica. De adventu igitur Domini, de victis daemonibus hominibusque e spirituali captivitate liberatis eum explicavit Athanasius Hieronymus Euthymius [1]); de Christi passione et resurrectione, vel etiam de extremo iudicio Augustinus [2]); de rerurrectione in universum Diodorus Tarsensis [3]); Eusebius vero de salvatore et de vocatione gentium [4]); de Christo et ecclesia Bruno Astensis [5]); de illius ascensione et de evangelicis sacramentis Cassiodorus [6]); Cyrillus denique Alexandrinus eum omnino de puniendis peccatoribus intellexit [7]). Iam vero eum Hilarius Pictaviensis sacramentis legis evangeliique contextum dicit magnaque et e praeteritis et e futuris allegoricorum dictorum interpretatione confertum [8]). Theodoretus porro Davidem summo cum dolore dirum vidisse daemonis imperium ait, ob eamque causam ex Domino petiisse, ut hominibus quam primum subvenire vellet [9]). Haec quidem de sententia mystica, iam ad historiam veniamus. Ac primum Theodorus et Beda Davidem cecinisse hoc carmen putarunt, non quum ex daemonis tyrannide ingentes dolores, sed quum ex arca transferenda infinita

---

1) Athanasius Hieronymus Euthymius in h. l.
2) Augustinus in h. ps.
3) Diodor. Tars. Patrr. n. biblioth. t. 6. edt. Ang. Mai.
4) Eusebius in h. ps.
5) Bruno Ast. in h. ps. edt. Rom. 1789.
6) Cassiodorus in h. ps.
7) Cyrillus Alex. in h. ps.
8) Hilarius Pict. in h. l.
9) Theodoret. in h. ps.

Ps. 67. gaudia perciperet [1]). Recentiori autem memoria fuerunt, qui illud quidem ad victoriam Ezechiae posse cladem-que Assyriorum referri censerent [2]). Plerique autem qui nostro saeculo scripserunt illud Iudaeis accommodarunt de exsilio Babylonico in patriam redeuntibus [3]). Considerata hac tanta explicatorum discordia, equidem in ea sententia confirmor, ut hoc carmen, nisi historice de re Estheriana, prophetice de redemptione et iudicio accipiatur, haud facile posse explicari existimem.

Sed ut ad interpretationem ipsam veniamus, Iudaei Babylonicis temporibus mortis caedisque die constituto, non solum se victos ab Amane oppressosque senserunt, sed etiam inferis consecratos. Apostoli autem, quum Dominus in sepulcro esset superatusque a morte videretur, vehementer, ne a Pharisaeis omni ex parte circumvenirentur, timuerunt. Neque dissimilis ante extremum iudicium futura est Christianorum ratio. His igitur temporibus tribus viri sancti Deum obsecrant, ut exsurgat inimicosque in fugam convertat:

2. *Exsurgat Deus et dissipentur inimici eius et fugiant qui oderunt eum a facie eius.* 3. *Sicut deficit fumus deficiant, sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.* In libris sacris *inimici Dei* vel *qui oderunt eum* non vocantur, quicumque Iudaeis umquam bellum intulerunt, sed soli Amalecitae et Idumaei, qui a Moyse hoc nomine notati sunt. Ad Amalecitas igitur, ad eorum irruptionem et caedem, iam hoc indicio patet, hunc psalmum referri oportere.

4. *Et iusti epulentur et exsultent in conspectu Dei et delectentur in laetitia.* Quae hoc loco commemo-

1) Theodorus in cat. Cord. Beda in h. ps.

2) Apud Bellarmin. in h. ps. Ferrandus in h. l. et Haevernick Einleitung.

3) Ewaldius Koesterus Vaihingerus alii.

rantur epulae, eae quidem debent esse sanctae ac religionis mysteriorumque plenae. Quae autem epulae intelligendae sint, quis est quin statim perspiciat? Perierunt enim Amalecitae, et quotannis die sortium epulabantur Iudaei. Perierunt Pharisaei et daemones, et ad coenam Domini invitati epulantur Christiani. Perituri sunt extremo saeculo Dei ecclesiaeque hostes, et in coelesti convivio cum Christo epulabuntur sancti omnes in aeternum. Ps. 67, 4.

5. *Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius, iter facite ei qui ascendit super occasum. Dominus nomen illi.* Deus, audita oratione, sine mora venire paratus est. Poeta igitur suos, ad viam divino illi hospiti muniendam convocat, admonetque, ut itineris molestias allevent, ut aditum poenitentia parent, ut ad aperiendum prompti exspectent. Sed unde eum exspectabunt? Veniet ex Iudaea in Mediam, veniet Hierosolymis Susa, veniet ab occidente ad orientem. *Ascendit enim ab occasu.* Neque aliter Christus, qui ascendit ab occasu, revocatus ab inferis, a mortuis excitatus. At qui adventurus est, non est is quidem Idumaeorum On, sed Iah et Dominus Iudaeorum. *Iah nomen eius.* Quo eius nomine audito, exsultant de salute sua securi Iudaei, perterriti refugiunt Idumaei.

5. *Exsultate in conspectu eius turbabuntur a facie eius.* Dominus surrexit venit iudicat. Inde summa delectatio iustorum et peccatorum extrema perturbatio. Iam vero Deus quid animo intendat, quidve perficere velit, a propheta ostenditur.

6. *Patris orphanorum, iudicis viduarum.* Eo animo adest, ut iudicet inter populum et gentes. Etenim Idumaei eorumque socii dolo insidiisque freti omnia egerunt, ut liberos Iudaeorum pupillos, uxores viduas facerent; quare iustitia flagitat, ut Dominus pupillorum patrem, viduarum se iudicem praebeat.

Ps. 67, 6. 6. *Deus in loco sancto eius.* Deus non modo iustus sanctusque esse, sed etiam habitare in ipsa sanctitate dicitur. Est autem iudicium instituendum de Mardochaeo, de Esthera, de Iudaeis, de eorum hostibus. Ac Mardochaeus quidem a supplicio liberatus summum iam dignitatis gradum tenet. Esthera autem domum Amanis eamque licentiam nacta est, ut eam secum incoleret Mardochaeus patruus. Hinc dictum illud:

7. *Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.* Pro *unius moris* Hebraeus Septuaginta Symmachus Hieronymus: *soli, solitarii.* Solitaria fuerat usque ad id tempus Esthera, solitarius Mardochaeus. Deinceps vero iudicem se praestat Iudaeis.

7. *Qui educit vinctos in fortitudine.* Hebraeus: *qui educit eos qui sunt vinculis vincti*, Symmachus: *educit vinctos in dimissionem.* Idumaei Iudaeorum caedis potestatem consecuti, quasi *vinculis* eos constrictos tenebant, e quibus illos statuto die ad mortem producerent. Sed pestiferis his vinculis fractis, Deus eos ex ipsis faucibus mortis ad laetissimam vitae lucem eduxit, inimicos contra detrusit in sepulcra carceremque tenebrarum.

7. *Similiter eos qui exasperant qui habitant in sepulcris.* Hebraeus: *verumtamen rebelles incolunt* צחיחה. Quod quidem verbum Symmachus *καύσωνος ξηρότητα aestus siccitatem*, Hieronymus *siccitates*, recentiores *regionem aridam* interpretantur. Verum propriam eius vim mea sententia vix quisquam assecutus est praeter Aquilam, qui ita reddidit: *πλὴν ἀφιστάμενοι ἐσκήνωσαν λεοπετρίανδε* i. e. *verumtamen desciscentes tabernacula posuerunt ad laevem lapidem.* Sed lapis laevis ille quem dicit, quid significat? Quid aliud quam eam de qua alibi mentionem fecimus Anaitidis pyramidem? Ibi enim Idumaeos coactos sepultosque esse, fusius a

nobis est in Ezechielis commentario expositum. Septuaginta autem quum Graecis illud ignotum esse scirent rei magis quam verbis satisfecerunt, vertentes: ἐν τάφοις, *in sepulcris*. Sententia igitur haec est: ei contra qui Deum ad iracundiam provocarunt increduli ac rebelles, habitant in coemeterio Gog ad laevem lapidem in sepulcris. Deus igitur poenitentiae praemium tribuit Mardochaeo Estherae Iudaeis, poenam sumpsit de Idumaeis. Qua tam admirabili eius misericordia cognita, alacrior iam vates ad nova beneficia imploranda accedit. Ps. 67, 7.

8. *Deus quum egredereris in conspectu populi tui quum pertransires in deserto*, 9. *terra mota est, etenim coeli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel* 10. *pluviam voluntariam segregabis Deus hereditati tuae, et infirmata est, tu vero perfecisti eam.* Deus quum *in deserto*, tum vero etiam in Babylonia Amalecitarum perditor conservatorque Iudaeorum exstitit. Quae igitur antiquitus populo suo beneficia tribuit, eadem nunc propheta precatur. Dedit aquam ad montem Sinai, pluit manna in solitudine; cf. carmen Debborae Iudicc. 5, 4. Nunc igitur *terrae* ac *hereditati* tuae laetam largamque *pluviam* et copiosam atque abundantem impertire ne graveris. Nam filii heredesque tui inimicorum insidiis debilitati, *infirmati* aerumnis, malis omnibus paene confecti sunt, sed eos tu salvos validosque servare voluisti. Quare qui dubitari poterit, quin summum etiam beneficium adiicias eosque incolumes reducas in patriam?

11. *Animalia tua habitabunt in ea, parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* Quod praedictum erat, id factum est, ut *in monte Sion vulpes ambularent* [1]) terramque sanctam *animalia* incolerent. Neque vero de re-

1) Thren. 5, 18.

Ps. 67, 11. ditu desperandum. Nam is qui redeuntium dux ac princeps futurus est Mardochaeus *pauper*, dulcissimam salutem amplissimosque a Deo honores obtinuit.

12. *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa*. Symmachus : *Dominus dedit voces evangelizanti exercitui magno*. Hebraeus : *Dominus dedit sermonem, evangelizantium exercitus magnus est*. Dominum populo suo verbum esse daturum, multi e prophetis, ut alibi dictum est, praenuntiarunt. Quod quidem tum factum est, quando Mardochaeus per totum regnum salutis nuntios misit. Evangelium illud *Dominus dedit*. Magnus erat *exercitus* veredariorum qui litteras laetissimas illas attulerunt ; magna multitudo Iudaeorum, qui voce alios de hac re certiores fecerunt.

13. *Rex virtutum dilecti dilecti et speciei domus dividere spolia*. Hebraeus : *Reges virtutum fugerunt fugerunt et speciosa domus divisit spolium*. Reges ac principes, qui cum Idumaeis belli societatem coierant, Amane occiso, fuga salutem petiverunt. Hieronymus : *reges virtutum foederabuntur* i. e. Iudaei qui copiis praeerunt, foedere iuncti ad hostes interficiendos convenient. Ceteris spoliis spretis, Esthera nihil aliud accepit praeter domum.

14. *Si dormiatis inter medios cleros, pennae columbae deargentatae et posteriora dorsi eius in pallore auri*. Sortium ollae poetice dictae שפתים cf. Ezech. 40, 43. Septuaginta igitur et Symmachus recte probeque interpretati : *inter medias sortes*. Si funestis illis Amanis daemonisque sortibus obruti *dormitis*, si mortui ac sepulti estis ; Estheram habetis adiutricem, deprecatricem ac matrem Mariam. Hanc vestram *columbam* respicite, quae regali cultu ornatuque nitet, cuius *pennae* splendent *argento*, cuius *dorsum auro* fulget. Ex hac quidem similitudine quis est, quin poeticum vere

prophetae ingenium animumque tenerrimum sentiat atque cognoscat? Poeta, quum virginem Asiaticorum more columbae comparat, non sine magna elegantia usque eo sibi constat, ut vestem candidis plumis factam pennas deargentatas appellet. Idem quod Estherae collum ex mulierum medicarum consuetudine ita monili decoratum conspexit, ut splendidissimum ornamentum illud cervici, non iugulo inhaereret, quid ornatius et in eadem similitudine subtilius dicere potuit quam illud: *et posteriora dorsi eius in pallore auri?* De veste plumaria cf. Ps. 44, 14. Iam Estherae laudes ita persequitur, ut illius opera hostes superatos falsumque Deum On ex divinitatis gradu deiectum esse enarret. Ps. 67, 14.

15. *Dum discernit, coelestis reges super eam nive dealbabuntur in Selmon.* 16. *Mons dei mons pinguis mons coagulatus mons pinguis.* 17. *Ut quid suspicamini montes coagulatos? Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, etenim Dominus habitabit in finem.* Haec difficillima verba explanabimus, si prius tria de eis annotaverimus. Primum igitur in Hebraicis libris mendum quoddam est, quo totam sententiam perturbari censeo. Scriptum est enim *in* vel *ut* vel *et Selmon*, quae quidem varietas iam corruptionis indicium est. Scribendum est autem, id quod in codicibus suis Symmachus habuit, sine ulla particula *Selmon*. Quod quidem *imaginem Onis* significans, proprium nomen est montis, qui Oni deo dedicatus, haud procul ab antiqua Sacarum urbe Sichem distabat [1]. In ea igitur regione positus erat, quae urbi Bethsan vicina, interdum ab antiquis nominabatur Basan. Alterum est, quod istinc iam liquet pro *mons pinguis* dicendum esse *mons*

1) Iudicc. 9, 48.

Ps. 67, 17. *Basan*. Tertium autem pertinet ad verba *mons coagulatus*. Apud Hebraeos legitur *mons cacuminum*, quo Hebraismo vitato, Symmachus Hieronymusque reddiderunt: *mons excelsus*. His explicatis, quid est quod magis perspicuum sit, montem dei eum dici montem qui falso deo Oni consecratus erat, et ob eam causam verum Deum vel *coelestem* vel robustissimum vocari? Ita igitur Latinis verbis Hebraica tradiderim: Quum per eam (Estheram, Mariam) reges dissiparet Potentissimus, tu palluisti, o Selmon, mons falsi dei mons Basan, mons altissime mons Basan. Sed quid aemulamini, quid concertatis, montes alti, cum monte illo, in quo habitare desideravit Deus? Etenim Dominus tabernaculum suum ponet ibi in aeternum. Sententiam ipsam non esse novam, statim intelliges. Sed videsne illud novum esse et maxima admiratione dignum, quod Israelitarum certamen cum Sacis, ut a prophetis ad amborum deos, sic a poeta summo et fervore animi et splendore orationis ad ipsos transfertur deorum montes?

18. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia laetantium, Dominus in eis in Sina in sancto.* Verba Vulgatae non video quomodo explicari possint. Neque eis lucem afferunt Septuaginta: *τὸ ἅρμα τοῦ θεοῦ μυριοπλάσιον, χιλιάδες εὐθηνούντων*, neque Symmachus: *ὄχησις τοῦ θεοῦ μυριάδων, χιλιάδες ἠχούντων* h. e. *equitatio Dei denorum millium, millia sonantium*, neque s. Hieronymus: *Currus Dei innumerabilis, millia abundantium.* Quae quum ita sint, redeundum est ad verba Hebraica. Atque ex eo omnis pendet quaestio, utrum רכב substantivum an verbum putandum sit. Qui substantivum illud esse volunt, quod iustae sententiae simile sit, non modo elicere ex verbis, sed ne subiicere quidem potuerunt. Quamobrem verbum illud esse ducimus. Vim autem habet primum quidem *equitandi*, deinde et

subigendi et *opprimendi* et *conculcandi* et *superandi*. Ps. 67, 18.
Veluti equitare facere homines super capita nostra, iddem est ac homines capita nostra deprimere ac conculcare pati. Sed est a poeta hoc verbum electum, propterea quod ad reliquam orationem nullum eo erat aptius. Etenim surrexit et venit Deus; venit autem, ut gigas curru vectus et equis. Hunc igitur versum interpretatus sim hoc modo: *Oppressit Deus myriades, millia sunt eorum qui laetantur, Dominus Sinai in eis in sanctitate.* Equitando enim occidit hostium myriades septem et dimidiam; qua re effecit, ut et Iudaeorum et proselytorum millia summo gaudio exultarent.

19. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus, etenim non credentes inhabitare Dominum Deum.* Deus ab inimicis spretus et pro nihilo habitus, ascendit in altum, apparuit cum auctoritate maxima, captivos hostes suos duxit, tamquam sacrificia accepit eos, qui fuerunt increduli ipsumque populo suo subventurum negarunt. *Captivam ducere captivitatem* iddem valet quod vel *capiendo capere* vel *capere capientes*. Amalecitas mactatos esse ut sacrificia ut victimas, etiam a prophetis dicitur. Cepit autem hostes suos Deus per Mardochaei litteras, eosque pro sua iustitia mactari voluit.

20. *Benedictus Dominus die quotidie, prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum. Deus noster Deus salvos faciendi et Domini Domini exitus mortis.* Mirabilem victoriam poeta meditatus, ut Deum ex intima animi sententia victorem extollat, eum identidem *Deum salutis* praedicat, qui suos e diris manibus mortis eductos regit ducit gubernat. Hieronymus: *portabit nos Deus salutis nostrae.* Exitus parare e morte et ex proximo periculo educere, non hominum sed Domini est.

Ps. 67, 22. 22. *Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis.* Hebraeus: *ambulantis in delictis suis.* Deus iam perfecit ut confringerentur Amalecitarum capita vertexque Amanis *ambulantis in delictis.* Sed verbis illis: *verticem capilli* (κορυφὴ ἔντριχος S.) quis non videt, quam lepide poeta et superbiam Amanis et capillamentum cavilletur? Solebant enim Assyriorum Medorumque reges atque nobiles vel ascitis crinibus uti vel etiam ita capillos componere suos, ut similes essent crinibus emptis. Hanc consuetudinem, quam usque ad proximum saeculum homines nescio an urbanitate nimia an barbaria decepti retinuerunt, iam antiquitus apud Assyrios Medosque fuisse, possumus et ex Xenophonte cognoscere [1]) et ex regum imaginibus, quae Anglorum studio et industria Nini inventae atque erutae sunt [2]). Aman igitur quum in Medorum regno pro rege se gereret, ne quid sibi ornamenti deesse videretur, sine dubio imitatus est eumdem morem illum; idque eo magis quod Scytharum gens, qua natus erat, capillum mollem rectumque habebat [3]). Quo factum est, ut Aman et Absalon, ut in maximis rebus inter se consimiles sunt, quod easdem daemonis partes imaginesque gesserunt, sic ne capillis quidem inter se differrent. Quid vero? in interpretatione Symmachi: *verticem capilli revolutum in delictis suis*, forsitan quaedam Absalonis supplicii significatio est?

23. *Dixit Dominus: ex Basan convertam, convertam in profundum maris*, 24. *ut intingatur pes tuus*

1) Xenoph. Cyrop. 1, 3, 2.

2) Delle scoperte di Nineve descriz. di Layard. Volg. del Tortorelli Bol. 1855.

3) Aristotel. de gen. anim. 5, 3, 16. 19.

in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Ps. 67, 24.
Symmachus Hieronymus et Hebraici codices quidam: *ex profundo* i. e. *ex alto, ex medio mari.* Vtrumque potest explicari, sed praestat scriptura Vulgatae. De eisdemque Ezechiel: *Et circumagam te Gog.* Scythae, ut a scriptura Hebraica ordiar, quum universae Asiae dominarentur et Basan patriam suam in Palaestinae finibus recuperarunt, et, ut probabile est, Panchaeam insulam sacram, quae in Arabico mari sita incredibilem thuris myrraeque copiam tulit, occupaverunt [1]). Sed a Mardochaeo quum in Basan occisi, tum in insula illa sub Medorum potestatem redacti sunt [2]). *Convertam ex profundo maris.* Altera autem scriptura quam praeferendam ducimus, hanc fert sententiam: *Ex Basan*, quae in terra sancta est, eos convertam adducamque in sepulcrum, in infernum, in profundam tenebrisque undique clausam abyssum. Quae sequuntur, ita inter se cohaerent: ut intingatur pes tuus et lingua canum tuorum in sanguine et ex inimicis (Amalecitis) profluente et ex ipso (Amane). Sed et haec verba: *Manus suas lavabit in sanguine peccatoris* conferenda sunt et Regum libri, ex quibus intelligetur gravissimam fuisse divinae irae significationem, si vel corpora mortuorum vel cruor canibus tangeretur [3]).

25 *Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei regis mei qui est in sancto.* Hebraeus: *regis mei in sanctitate.* Sanctissima erat causa, cur Deus caelo egressus adveniret, ut, servatis suis, hostes perderet. *In sanctitate* igitur iustitiaque ingressus illos esse factos, nec Iudaeos nec gentes latere potuit.

---

1) Diodor. Sic. 5, 42.
2) Esth. 10, 1.
3) Ps. 57, 11. III. Regg. 21, 19. 22, 18. IV. Regg. 8, 10. 36.

Ps. 67, 26. 26. *Praevenerunt principes coniuncti psallentibus, in medio iuvencularum tympanistriarum.* Hebraeus: *Antecedunt principes, postea (post tergum horum) psallentes, in medio puellae tympanistriae.* Quibus verbis hoc esse carmen triumphale apparet, quod tum primum cecinisse Iudaei videantur, quum ex eorum more triumphum agerent de Idumaeis. In eo enim triumphantium ordo qui fuerit, describitur. Praeiverunt Iudaeorum, principes, in quibus certe non ultimum locum tenuit Mardochaeus. Secuti sunt psallentes, qui incesserunt alius post alium continenter et ita in duos ordines divisi, ut quod loci interfuit, Estherae id virginibusque concederent. Sed his rebus quae possunt de huius carminis auctore indicia esse clariora? Nam si Moyses et Maria, si Debbora et Barac, si denique Iuditha de liberato populo cecinerunt carmina: quid est, cur non huius carminis Esthera et Mardochaeus auctores fuisse putentur? Praeterea Esthera ipsa si huic triumpho praesens interfuit, nihil habet offensionis, quod tam accurate quomodo vestita ornataque fuerit describitur. His cognitis, qui *cantatores* pro *principes* interpretandum putarunt, ei vix necesse est redarguantur. Nam tribui primum locum principibus oportuit, quorum etiam mentio est in eis versibus qui sequuntur. Neque vero multum absum, ut principes ipsos qui prae se regiam Davidis vel potius Christi dignitatem tulerunt, cecinisse existimem. Erant igitur chori quattuor, primus principum vel Davidis, hunc secutus est secundus, qui laevus, et tertius qui dexter erat et dicebatur, quibus medius interiectus est quartus chorus puellarum.

27. *In ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel.* Nec corrigendum quidquam est, nec immutandum. Quid enim? ad montem Horeb non ex fonte refecerunt vires animumque ad devincendos Amalecitas,

et in Media nonne ex fonte, quae Esthera dicitur [1]), Ps. 67, 27.
spem et alacritatem, vitam salutemque hauserunt? *Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris* [2]). *Benedicite Deo de fontibus Israel.*

28. *Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu.* Hieronymus: *ibi Beniamin parvulus continens eos.* Hebraeus: *ibi filius Iamin natu minimi calcans eos.* Poeta antea commemoravit Estheram, nunc Mardochaeum designat filium Iamin, qui, hostium torcularibus calcatis, Iudaeos cum Israelitis coniunxit ac continuit.

28. *Principes Iuda duces eorum, principes Zabulon, principes Nephthali.* Hieronymus: *Principes Iuda in purpura sua.* Cui prorsus congruit illud quod in psalmo legimus: *Iuda rex meus.* Qui igitur chorus Christum Davidis filium repraesentabat, is duces habuit principes Iudae filios Davidis. Afferuntur quoque principes Zabulon et Nephthali, qua equidem tribus, ut omnibus notum est, Debbora magistra, contra eosdem inimicos fortissime pugnaverant. Pro *duces eorum* Hebraeus: *coacervatio eorum,* quasi quos hostes Beniamin occidit, eos illustrissimae illae tribus Iuda Zabulon Nephthali coacervassent aut tumulassent. Cf. Ezech. 39, 12.

29. *Manda Deus virtuti tuae, confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.* Hieronymus: *praecepit Deus tuus de fortitudine tua.* In illa virtute qua Iudaei inimicos superarunt Deus praeceptum i. e. augurium dedit victoriae Christi. Confirmato ac ratum facito hoc vaticinium, opus inchoatum perfice. Quod iddem et ad redemptionem et ad reditum in patriam transferre licet.

30. *A templo tuo in Ierusalem tibi offerent reges munera.* Interpretandum est Hebraicum hoc modo:

1) In Mard. somn.
2) Ies. 12, 3.

Ps. 67, 30. *propter templum, templi aedificandi causa.* Divino spiritu propheta illustratus Persarum reges in primis Cyrum et Artaxerxem ad templum incipiendum absolvendumque dona Deo daturos praevidet.

31. *Increpa feras arundinis, congregatio taurorum, in vaccis populorum, ut excludant eos qui probati sunt argento. Dissipa gentes, quae bella volunt.* Quod Amalecitae boves vel saginati vituli nominantur, eius rei nimium adipem causam fuisse diximus. Sed quid est, quod eidem *ferae* vel *arundinis* vel *cannae* appellentur? Num ut crocodilos in fluviis Scythas habitasse putabimus? An, ut ranas, in paludibus? ut inde ferae arundinis recte dicerentur? Quod si ita esset, quis Gesenium verum vidisse negaret? qui non videtur iocari, quum crocodilum esse arundinis feram illam asseverat. Sed hic poeta tam ingeniosus tamque subtilis est, ut non possit nisi ab eo intelligi, qui numquam cogitandi labore supersedeat. Quum igitur de hac re cogitarem, apud antiquum scriptorem me legere memini, veteres cannis quum ad alias res tum ad sagittas faciendas uti solitos. Et ad eum usum quid posset cannis esse accommodatius? Nam quae ex eis factae sunt sagittae, eae quum directae sint mirabiliter tenorem servant, et quum iusto nec leviores nec graviores, coniici possunt in immensum. Quanta igitur cum elegantia poeta hoc nomen ad terribiles illos sagittarios significandos invenerit, quis a poetica arte tam alienus est, quin, cognita explicatione nostra, statim sentiat ac perspiciat? Sed haec quidem hactenus. Septuaginta si Eusebium sequimur τοῦ ἐκκλεισθῆναι *ut excludantur*, si codices quosdam τοῦ μὴ ἀποκλεισθῆναι *ne includantur.* Poeta igitur a Deo hoc beneficium petit, ut *excludantur* ei, qui sunt *argento* taxati venditique talentorum millibus decem. Corruptam esse scripturam Hebraicam:

gloriantem se in frustis argenti, quum per se pateat, Ps. 67, 31.
quid attinet dicere?

32. *Venient legati ex Aegypto, Aethiopia praeveniet manus eius Deo.* Est mendum quoddam in his versibus, quod sententiarum coniunctionem omnino dissolvit. Nam versus: *a templo tuo in Ierusalem tibi offerent reges munera*, omissus primum, deinde margini adscriptus, postea repositus est loco non suo. Quo sublato, sententiarum continuatio huiusmodi erit: *Manda Deus virtuti tuae, confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaecis populorum, ut excludant eos, qui probati sunt argento. Dissipa gentes quae bella volunt.* Hic ordo incredibile est, quantum etiam sententiis lucis afferat. Manda, ait, impera virtuti tuae, ut quod opus incepit, id strenue perducat ad finem, armatas feras cannis puniat, liberet eos qui venditi argento quasi mortis vinculis inclusi tenentur, eos denique dissipet omnes, qui pacis inimici bella desiderant. Verba ita disposita, conclusionem qua antea carebant habent gravissimam. Quae autem sequuntur, ita inter se apta sunt: *A templo tuo in Ierusalem tibi offerent reges munera, venient legati ex Aegypto, Aethiopia praeveniet manus eius Deo.* Primum ad faciendum templum Persarum reges conferunt, deinde Iudaei, qui in Aegypto habitant, denique Aethiopes. Hunc versum Aquila ita convertit: *Ferent festinanter ex Aegypto, Aethiops accurrere facit manum suam Deo.* Symmachus: *Veniant efferentes (manifestantes)·ex Aegypto, Aethiopia festinet dare manum Deo.* Vltro, ait, ac festinanter dona mittent Iudaei Aegyptii; Aethiopia autem currere faciet manum suam i. e. propere celeriterque manum dabit Deo. Aethiopes ei Iudaei videntur esse qui incolebant Colchidem, quae in libris sacris etiam כוש

Ps. 67, 32. *Aethiopia* vocatur. Ceterum verum exitum haec vaticinatio non est nisi in Christo nacta.

33. *Regna terrae cantate Deo, psallite Domino, psallite Deo* 34. *qui ascendit super coelum coeli ad orientem versus.* Sed si ei qui antea nominati sunt templo Dei dona afferunt; nonne Deo ipsi, qui *ab occasu ad orientem versus ascendit,* omnes populi atque universa *terrarum regna* sacrificium laudis debent afferre? Neque vero indignum est notatu, ab aequinoctiali circulo tantum Hierosolyma quantum Susa distare. Venit igitur ab occidente Dominus ad orientem.

34. *Ecce dabit voci suae vocem virtutis.* 35. *Date gloriam Deo, super Israel magnificentia et virtus eius in nubibus.* Venit autem in tonitru et tempestate, quibus quasi armis improbos hostes terreat perturbet concutiat.

36. *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suae, benedictus Deus.* Hieronymus: *Terribilis Deus de sanctuario suo.* Finis praeclarus, et poeta dignus et toto carmine. Magna quae in hoc psalmo est scripturarum varietas, a nobis eo quidem consilio praetermissa est, ut diligentius posset argumentum exponi. Rebus enim illustratis sententiarumque coniunctione perspecta, in verbis si quid erratum est facile dignoscitur. Sed ad criticam emendationem si quis studium conferre volet, eum nolim ignorare divisum esse hunc psalmum in partes quinque, quarum quaeque octonos habere versus videatur. Pertinet prima quidem usque ad v. 8. *Deus quum egredereris,* secunda ad 15. *Dum discernit,* tertia ad 21. *Deus noster Deus salvos,* quarta ad 28. *Ibi Beniamin,* ex quo incipit quinta. Ac de hoc psalmo satis diximus.

—

PSALMVS LXVIII.

Mardochaeus et Christus Deum ut e mortis angoribus se eripiat precantur.

Hunc psalmum, quem haud immerito dicunt omnium fere elegantissimum, non modo ad locum superiori, sed etiam ad sententias finitimum esse putavit Eusebius. Et eum quidem ad eamdem celebrandam victoriam valere, plura sunt clarissimaque argumenta. Nam eius inscriptio est: *pro Susianis*. Susiani autem qui dicuntur, quinam possunt intelligi nisi Iudaei dumtaxat Susiani? qui ad mortem empti sine pretio ab Amane, a Deo ad vitam salutemque redempti sunt? Ex titulo igitur iam satis apparet, hoc carmen pertinere ad exsilium Babylonicum. Sed iddem interpretes non tam ex titulo, quam ex psalmo ipso cognoverunt. Nam in hac ipsa sententia primum quidem fuit interpres Chaldaicus, deinde vero plurimi patres et explicatores, veluti Theodorus Heracleensis, Cyrillus Alex., Theodoretus, Pharaphrastes Graecus, Euthymius alii [1]. Calmetius autem non modo psalmum sed etiam auctorem psalmi in exsilio illo reponendum duxit. Antiquissimi vero patres, ut altitudinem sententiarum semper sunt secuti, supplicium Christi hoc psalmo castigationemque Iudaeorum adumbratam conspexerunt. Et hos quidem quod verum est vidisse, quis infitiari audeat? Nam quae Mardochaeo hostes Idumaici machinati sunt, nonne in Christo ea omnia flagitiosi Iudaei perfecerunt? quum eum a Iuda argento mercati gentibus traderent taeterrimaque nece interimerent? De Mardochaeo igitur de eius-

1) Theodor. Heracl. Cyrill. Alex. ad v. 30, Theodoret. Paraphr. Graec. Corder. Euthymius in h. ps.

Ps. 68. que supplicii similitudine quidquid dictum est, id de illo typice quidem intelligi potest, vere autem et proprie de eodem intelligi qui potest? Itaque haec omnia vere et secundum litteram accipi de Christo oportere, quis est quin perspiciat? Sed ad interpretationem pergamus.

2. *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam,* 3. *infixus sum in limo profundi et non est substantia. Veni in altitudinem maris et tempestas demersit me.* Pro *substantia* Hebraeus Septuaginta Symmachus: *status* i. e. locus ubi quis potest stare. Hieronymus: *et non possum consistere, veni in profundum aquarum et flumen operuit me.* In immenso illo gentium mari, quod in inferiorem Asiam influxerat, quum universus populus Iudaicus ab Amane oppressus, tum vero Mardochaeus quasi suppressus videbatur. Quare hic homo innocentissimus hostium insidiis petitus, ad Deum supplex confugit, ut is iudex sibi liberatorque esse vellet.

4. *Laboravi clamans, raucae factae sunt fauces meae, defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.* Hieronymus eadem in similitudine persistens elegantius: *defecerunt oculi mei expectantes Deum meum.* Haec de Mardochaeo dicta sunt quum ad Deum per dies tres, nulla hora intermissa, cum ieiuniis lacrimisque clamabat; de Christo autem, quum Deum Patrem ter rogabat de salute sua in monte olivarum.

5. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei qui oderunt me gratis, confortati sunt qui persecuti sunt me, inimici mei iniuste. Quae non rapui, tunc exsolvebam.* Infesti ei inimici erant *gratis* i. e. immerito ac sine ulla causa, cumque persequebantur iniuste. Christus naturam divinam maiestatemque minime rapuit, sed eam sibi iure vindicavit, quum patre natus esset Deo semperque ei substantiae unitate iunctus maneret.

Non est igitur rapinam arbitratus, esse se aequalem Ps. 68, 5.
Deo. Sed hanc ipsam causam fuisse, cur a sacerdotum principe capitis damnaretur, quis ignorat? Tum ergo reddere iussus est id quod non rapuerat.

6. *Deus tu scis insipientiam meam et delicta mea a te non sunt abscondita.* Haec nisi aliter ac dicta sunt, intelliguntur sane non Christo possunt, sed aut Mardochaeo tantum aut populo Iudaico convenire.

7. *Non erubescant in me, qui exspectant te Domine, Domine virtutum. Non confundantur super me, qui quaerunt te Deus Israel.* In Mardochaeum Christumque et Iudaei et proselyti oculos converterant, quorum alteri salutem *exspectant a Deo Israel*, alteri *a Domino virtutum.* Vtrique autem e resurrectione Christi lucem sibi spemque salutis apparere confidebant.

8. *Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.* Mardochaeus ad Amanis, Christus ad diaboli pedes se proiicere recusavit. Hinc odia illa et mendacia, hinc insidiae atque iniuriae.

9. *Extraneus factus sum fratribus meis et peregrinus filiis matris meae.* Mardochaeus per urbem cucurrit solus. Christus quum per Hierosolyma duceretur, ab apostolis desertus fuit. Fratres autem qui vocantur, Iudaei Christi adversarii putandi sunt.

10. *Quoniam zelus domus tuae comedit me et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Christus Patris domum familiamque dilexit; pro qua amore adductus est, ut mortem crucis subiret. Ceciderunt porro in eum opprobria eorum qui Deum Patrem negarunt.

11. *Et operui in ieiunio animam meam et factum est in opprobrium mihi.* Aquila Symmachus Hieronymus: *Et flevi in ieiunio animam (vitam) meam.* Mardochaeus ieiunans cilicioque indutus, futuram vitae perditionem ploravit, qua re maxime offendit animum Amanis.

Ps. 68, 11. Et iddem cadit in Christum. Qui quum ieiunasset quadraginta dies, a diabolo tentatus est.

12. *Et posui vestimentum meum cilicium, et factus sum illis in parabolam* 13. *Adversum me loquebantur qui sedebant in porta et in me psallebant, qui bibebant vinum.* Christum non legimus sacco se umquam induisse; sed Mardochaeum id fecisse scimus. Praeterea ex verbis: *qui sedebant in porta* perspicuum est, qui iustum illum persecuti sint, eos quidem fuisse civitatis principes. Quod quidem in Idumaeos quadrat, qui id temporis Susa occupata tenebant. Pro *vinum* Aquila et Symmachus: *ebrietatem.*

14. *Ego vero orationem meam ad te Domine, tempus beneplaciti Deus. In multitudine misericordiae tuae exaudi me, in veritate salutis tuae.* 15. *Eripe me de luto, ut non infigar, libera me ab iis qui oderunt me et de profundis aquarum.* Pro *beneplaciti* Hieronymus: *reconciliationis.* Ex insidiis iniuriisque hostium supplex confugit ad Dominum, ut is, magna qua est et misericordia et veritate, ipsum ex profundis aquis i. e. e mediis gentibus eripiat. Erat autem saeculum Mardochaei tempus reconciliationis, quo tempore primum factum est, ut universus populus poenitentia ductus ieiuniis lacrimis supplicationibusque cum Domino in gratiam rediret.

16. *Non me demergat tempestas aquae, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.* Hieronymus: *fluvius aquae* et: *non coronet super me puteus os suum.* Haec ad Christi moram in inferno spectant. Dicit enim: ne claudas ostium putei i. e. sepulcri inferni super me; quod quid aliud est ac dicere: ne derelinquas animam meam in inferno?

17. *Exaudi me Domine quoniam benigna est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum*

tuarum respice in me. Deum de tot tantisque misera- Ps. 68, 17
tionibus admonet, quas et singulis patribus et universo populo tribuit. Hanc admonitionem quis non sentit plurimum posse ad animum commovendum?

18. *Et ne avertas faciem tuam a puero tuo, quoniam tribulor, velociter exaudi me.* Vnde Deus faciem avertit gratiamque retraxit, subito in eum locum mors et tenebrae succedant necesse est.

19. *Intende animae meae et libera eam propter inimicos meos eripe me.* Non propter iustitiam suam sed magis propter inimicorum nequitiam se sperat quod petit impetraturum.

20. *Tu scis improperium meum et confusionem meam et reverentiam meam.* Pro *reverentiam* Hebraeus et Hieronymus: *ignominiam.* Haec si ad Mardochaeum apta sunt, quanto magis nobis in memoriam revocant, quam gravem pro nobis Christus ignominiam contumeliamque sustinuerit?

21. *In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me, improperium exspectavit cor meum et miseriam.* Symmachus cum Hebraeo: *opprobrium confregit cor meum et dolebam*. Paulo nervosius Hieronymus: *Opprobrio contritum est cor meum et desperatus sum.* Quae a Symmacho dicta sunt, plane cum humana Christi natura consentiunt.

21. *Et sustinui qui simul contristaretur et non fuit, et qui consolaretur et non inveni.* Mardochaeus moestus sordidatusque per urbem cucurrit solus. Christus ex omnibus unus erat, qui redemptionis opus patiendo perficeret. Discipuli cum Christo nec vigilare potuerunt nec orare nec denique eum consolari.

22. *Et dederunt in escam meam fel et in siti meo potaverunt me aceto.* Haec ad allegoriam contorquere et ad dolorum magnitudinem indicandam dicta pu-

Ps. 68, 22. tare, nonne levissimorum hominum est et in maximis rebus vehementissime errantium? Nam veteres, ut inter omnes constat, quem trahebant ad supplicium, ei ad animi conscientiam tollendam mitigandosque dolores fel dare et acetum solebant. Mardochaeo quidem huiusmodi pastus potusque iam cum cruce erat paratus, sed nec Mardochaeus nec alius quisquam eum sumpsit nisi qui in crucem est pro peccatis nostris actus.

23. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum et in retributiones et in scandalum.* Pro *retributiones* Symmachus: *supplicium.* Hieronymus: *in retributiones ad corruendum.* Aman ab Esthera invitatus atque in ipsa coena capitis damnatus, ad illum cibum raptus est, quem Mardochaeo apparandum curaverat. Reliqui Iudaeorum hostes dum coenant, trucidati sunt. Quae quum ita sint, nonne ipsa eis mensa facta est retributio laqueus scandalum?

24. *Obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva.* Haec ad corpus si referimus, Idumaeis acciderunt, quoniam nocturnis tenebris obcaecati in insidias incurrerunt; si ad mentem, Iudaeis, qui post Christi mortem caligine obruti et ubique sunt in servitutem redacti.

25. *Effunde super eos iram tuam et furor irae tuae comprehendat eos.* Precatio haec quidem de Idumaeis, vaticinatio de Pharisaeis.

26. *Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.* Ne haec quidem iusto eventu caruerunt. Nam Iudaei eum ex Scythica victoria fructum ceperunt, ut Bosra aliasque urbes funditus delerent. Sed eadem ad Hierosolymorum quoque eversionem spectare, quid attinet pluribus dicere?

27. *Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Hebraeus et

Symmachus *enarrabant* pro *addiderunt*. Hieronymus: *et ut affligerent vulneratos tuos narrabant*. Christus perinde atque Iob a Domino est percussus. Sed eius dolores Pharisaei irridendo illudendoque auxerunt. Ps. 68, 27.

28. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, et non intrent in iustitiam tuam* 29. *Deleantur de libro viventium et cum iustis non scribantur*. Vt peccatores saepius vocantur mortui, sic soli iusti viventium nomine digni sunt. Haec prophetice spectant ad infideles Iudaeos, qui veterum Idumaeorum partes susceperunt.

30. *Ego sum pauper et dolens, salus tua Deus suscepit me*. Pauper etiam alibi et Mardochaeus appellatur et Christus. Sed *divina salus* horum utrumque *suscepit*. Nam a morte alter ereptus, alter excitatus est. Quam ob causam ambo canunt id quod sequitur tamquam carmen triumphale.

31. *Laudabo nomen Dei cum cantico et magnificabo eum in laude* 32. *Et placebit Deo super vitulum novellum cornua producentem et ungulas*. Melius Symmachus: *et placebit Domino magis quam taurus ungulas diffindens cornutus*. Nam cornua ad aetatem spectant, ungularum divisio ad puritatem. Hoc clarissimum vaticinium est, per Christum fore, ut sacrificium laudis in sanguinis veterumque victimarum locum succedat.

33. *Videant pauperes et laetentur, quaerite Deum et vivet anima vestra,* 34. *quoniam exaudivit pauperes Dominus et vinctos suos non despexit*. Hieronymus: *qui quaeritis Deum, vivet anima vestra*. Pauperes dicuntur Iudaei hominesque omnes, quoniam omni humano auxilio erant destituti; eidem autem vocantur vincti, quia ab Amane et a daemone damnati capitis obsessique tenebantur.

35. *Laudent illum coeli et terra, mare et omnia reptilia in eis*. Hieronymus: *mare et omnia quae mo-*

Ps. 68, 55. *ventur in eis.* Moveri quid aliud est quam vivere? *Caeli* intelligendi sunt angeli, *terra* Iudaeos significat, *mare* gentes esse constat, *reptilia* indicant vivos i. e. eos proselytos qui inter gentes habitabant. Hi omnes, ut Deum laudent, admonentur.

56. *Quoniam Deus salvam faciet Sion et aedificabuntur civitates Iuda et inhabitabunt ibi et haereditate acquirent eam.* Haec ut Iudaeos sic etiam gentes attingunt. Nam Iaphet habitabit in tabernaculis Sem. Sed his verbis consideratis, quis hunc psalmum negabit scriptum de exsilio Babylonico?

37. *Et semen servorum eius possidebit eam et qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea.* Divina gratia effectum est, ut etiam maiores nostri Abrahami filii heredesque instituerentur. Eadem omnino psalmi huius atque aliorum distributio. Constat enim psalmus, ex partibus quinque, partes ex octonis versibus. Primae partis conclusio haec est: *Non confundantur.* Secunda deinde exorditur a versu 8. *Quoniam propter te*, tertia vero a 17. *Exaudi me*, quarta a 13. *Fiat mensa*, quinta denique, ut dixi, a 31. *Laudabo* incipit. Ac de hoc quidem psalmo diximus.

PSALMVS LXX.

Mardochaeus et Christus divinorum memores beneficiorum, Dei laudes celebrare numquam desinunt.

Secundum inscriptionem hic psalmus est filiorum Ionadab et priorum captivorum. A filiis Ionadab quidem, de quibus in psalmo nulla ne significatio quidem invenitur, recedendum mihi videor, illud vero tenendum, auctorem eius inter eos fuisse qui sunt a Nabuchodonosore anno octavo capti in Babyloniamque deducti.

Fuit autem in eorum numero Mardochaeus et ei omnes, qui tantam ab Amane dolorum acerbitatem perpessi sunt. Ad difficillimum autem illud tempus Babylonicum hunc psalmum retulerunt summa auctoritate interpretes Theodoretus Beda Euthymius Remigius Antissiodorensis Bruno Astensis alii [1]). Eum cum 21. psalmo coniunctum copulatumque dicit Eusebius [2]). Vnde aliquis sic argumentari possit: hic psalmus si ad exsilium Babylonicum pertineat, illum necesse esse ad iddem tempus pertinere, et rursus si ille ad rem Estherianam relatus sit, etiam hunc eamdem ad rem esse referendum. Sed quamvis ad Mardochaeum is de quo dicimus psalmus referatur, tamen quis est quin in eo plura inesse sentiat, quae vere et proprie neminem possint nisi Christum attingere? Quamobrem si ab Origene, si ab Eusebio Hieronymo aliis eum ad Christum relatum reperimus [3]), nonne optimo iure id ab eis factum esse fatebimur? Ps. 70.

1. *In te Domine speravi non confundar in aeternum*, 2. *in iustitia tua libera me et eripe me.* Spem suam iustus in Deo collocat, et ob eam causam non timet, ne in discrimen adductus pereat. Salutem autem sperat ex divina iustitia, unde debet intelligi, innocenti ei iniurias esse illatas.

2. *Inclina ad me aurem tuam et salva me.* Sed quamvis iustus sanctusque sit, tamen orationem non putat supervacaneam esse, sed Deum supplex adire festinat.

3. *Esto mihi in Deum protectorem et in locum mu-*

---

1) Theodoretus Beda Euthymius in. h. ps. Remigius Antiss. in Bibl. m. Patrr. t. 16. p. 1177, Bruno Ast. ibid. t. 20. p. 1525.

2) Eusebius in pss. edt. Montfaucon. p. 392.

3) Origenes Eusebius Hieronymus in h. ps.

Ps. 70, 3. *nitum, ut salvum me facias, quoniam firmamentum meum et refugium meum es tu.* Hieronymus: *Esto mihi robustùm habitaculum, ut ingrediar iugiter, praecepisti, ut salvares me.* Auxilium non aliunde sed a solo Deo exspectat, et quidem iure. Nam Mardochaeum ab inimicis circumventum quis in libertatem vindicare, Christum mortuum quis revocare in vitam potuisset?

4. *Deus meus eripe me de manu peccatoris et de manu contra legem agentis et iniqui.* Hieronymus: *de manu impii, de manu iniqui et nocentis.* Haec adscripsi, ne quis *legem* apud Hebraeos credat esse h. l. commemoratam. Nam id iam omnibus plane probatum est, peccatorem vel iniquum non esse alium nisi vel Amanem vel daemonem.

5. *Quoniam tu es patientia mea Domine, Domine spes mea a iuventute mea.* Symmachus: *in te patientia mea semper*, Hieronymus: *Quia tu es exspectatio mea.* Haec quidem Christo convenit dicere, qui ab Herode infans ad mortem quaesitus in Aegyptum aufugit. Neque vero a Mardochaeo, qui et ipse puer hostium in manus incidit in exsiliumque est deductus, abhorrere ea quidem videntur.

6. *In te confirmatus sum ex utero, de ventre matris meae tu es protector meus, in te cantatio mea semper.* A prima aetate ex Deo totus pependit. Ab eo omnia accepit, ad eum refert omnia.

7. *Tamquam prodigium factus sum multis, et tu adiutor fortis* 8. *Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.* Quod in patibulo quis moritur et moriendo mortem vincit atque idem suscitatus a Deo summa veneratione ab omnibus nationibus colitur, nonne unicum hoc in omni historia, nonne portentosum et alias usquequaque inauditum est? Quam quidem gloriam tam eximiam tamque

divinam Christus assecutus, semper se divini Patris amplitudinem laudaturum spondet. Quibus in rebus certe Christi typus fuit Mardochaeus. Ps. 70, 8.

9. *Ne proiicias me in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Senectutem hoc loco ita definimus, ut eam aetatem illam esse dicamus, non quae absit plurimum ab eo quo quis natus est die, sed quae maxime vicina sit morti. Ita quidem haec verba explicata apta consentaneaque sunt Christo, quamquam is eo tempore sine controversia non quadragesimum annum egit. Sed ab inimicis debilitatus haud multum tum a morte abfuit.

10. *Quia dixerunt inimici mei mihi et qui custodiebant animam meam consilium fecerunt in unum.* 11. *dicentes: Deus dereliquit eum, persequimini et comprehendite eum quia non est qui eripiat.* Symmachus et Hieronymus: *qui observabant animam meam* i. e. qui vitae meae insidiabantur. Haec quum de Amanis concilio dicta sunt tum vero etiam de sacerdotum ad iudicandum Christum conventu. Nam eum pontifices, quum captum a servis ligatumque conspicerent, divina illa virtute, qua semper pollebat privatum spoliatumque opinati sunt.

12. *Deus ne elongeris a me: Deus meus in auxilium meum respice.* Quoniam se ab inimicis circundatum ac comprehensum videt, maiori cum studio et ardore precatur.

13. *Confundantur et deficiant detrahentes animae meae, operiantur confusione et pudore, qui quaerunt mala mihi.* Hoc vaticinium quam accurate quam praeclare glorioseque evenit? Nam Idumaei quum Mardochaeum apud regem in honore esse cognoscerent, et Pharisaei, quum Christum acciperent a mortuis excitatum, quanto pudore affecti ac perfusi sunt?

Ps. 70, 14 14. *Ego autem semper sperabo et adiiciam super omnem laudem tuam.* Multis iam hymnis a se divinum nomen celebratum ostendit, et tamen se fatetur aliter non posse, quin nova carmina veteribus adiiciat. Fortasse huius psalmi numerus qui est *septuagesimus*, poetam admonuit, ut canendi finem faceret.

15. *Os meum annuntiabit iustitiam tuam, tota die salutare tuum quoniam non cognovi litteraturam.* Verbum *γραμματίας* Latinus reddidit *litteraturam.* Suidas illud explicat *ἐξαριθμήσεις enumerationes.* Symmachus: *non enim scio numerare,* Hebraeus: *non novi numerum.* Poeta antea se dixit novas laudes veteribus adiecturum. Nunc se ait cantaturum quotidie. Nam ut innumerabilia sint beneficia divina, sic etiam carminum nullum se aut nosse numerum aut velle aut probare. Nam quomodo aequum videri possit ut carmina, quibus infinitas immortali Deo gratias agat, ad certi cuiusdam numeri fines limitesque revocet? Se igitur usque ad senectutem cantaturum pollicetur.

16. *Introibo in potentias Domini, Domine memorabor iustitiae tuae solius.* Hieronymus: *ingrediar in fortitudine Domini Dei.* Se psalmorum librum alacriter continuaturum confidit divina potentia sustentatus atque adiutus. Neque enim aliud se quidquam cogitaturum nisi vel divinam iustitiam vel legem Domini.

17. *Deus docuisti me a iuventute mea, et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua.* Non temere gloriatur, Deum fuisse ipsum, qui se instituerit; sed se dicit semper in eo versari, ut quae Deus ipsius saeculo magna et mirabilia fecerit, ea omnia exponat doceat memoriaeque prodat.

18. *Et usque in senectam et senium Deus, ne derelinquas me, donec annuntiem brachium tuum generationi omni quae ventura est, potentiam tuam.* Hieronymus: *donec annuntiem brachium tuum generationi.*

cunctisque qui venturi sunt fortitudines tuas. Veram esse eam quam supra fecimus senectutis definitionem, ex hoc loco liquet. Generationem cave credas, unius esse hominis vitam. Generatio enim saepius apud sacros scriptores aetatem mundi significat. Hoc autem loco poeta de ea aetate loquitur, quae ab exsilio Babylonico ad Christum pertinuit. Huic generationi se dicit annuntiaturum brachium, fortitudines autem eis omnibus, qui usque ad finem mundi futuri sint. Ps. 70, 18.

19. *Et iustitiam tuam Deus usque in altissima quae fecisti magnalia; Deus quis similis tibi?* Se iustitiam dicit celebraturum usque *in excelsum*, usque ad illud tempus, quum post ultimum iudicium sit vitam in caelo acturus. Sed tot tantisque rebus enarrandis quum sibi impar esse videatur, in admirationem raptus exclamat: quanta fecisti magnalia? Deus quis similis tibi?

20. *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas et conversus vivificasti me et de abyssis terrae iterum reduxisti me*. Vbinam inveniri possunt, qui maiores quam aut Mardochaeus aut Christus acerbitates pertulerint. Sed tam ingentes perpessi miserias, quanta et quam insignia adepti sunt praemia? Nonne Christus de abyssis terrae ut alter Ionas ad vitam immortalitatemque revocatus est? Hieronymus: *vivificabis nos et educes nos*. Quae si vera est scriptura, haec verba de omnium sunt resurrectione explicanda.

21. *Multiplicasti magnificentiam tuam et conversus consolatus es me*. 22. *Nam et ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam, Deus psallam tibi in cithara sanctus Israel* Deus amplitudinem et suam et Christi ad immensum auxit. Nam quanta sit veritate in promissis, quanta fide ac sanctitate, ostendit. Mardochaeus autem tam admirabile expertus Dei auxilium ac divinitus cuius similitudinem gesserit edoctus, quid vel

Ps. 70, 22. sibi dulcius vel Deo gratius facere potuit, quam ut et Patrem et Sanctum Israel perpetuis laudibus celebraret?

23. *Exsultabunt labia mea cum cantavero tibi et anima mea quam redemisti.* Si Deo salvatori suo in hymnis aeternas gratias agit, quid mirum, si gaudio exsultent labia animusque laetitia?

24. *Sed et lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam, cum confusi et reveriti fuerint, qui quaerunt mala mihi.* Symmachus: *quia confusi aut quia obruti sunt qui quaerunt afflictionem meam;* quae quidem interpretatio ad Scytharum sepulturam videtur esse aptissima. Non carmina solum verum libros etiam morales se de iustitia et de lege scripturum pollicetur. Qui quidem libri utrum conservati sint an perditi, non est huius temporis quaerere. Christus non per litteras sed per apostolos iustitiam docuit, quum inimici pudore essent offusi humoque obruti.

CAPVT QVARTVM

DE PSALMIS LIBRI TERTII.

PSALMVS LXXII.

De Mardochaei et Christi victoria.

Plerique interpretes poetam in hoc psalmo dicunt id agere, ut quae in Babylonia populo Iudaico acciderint exponat. Ita enim consentiunt de elegantissimi huius psalmi argumento Theodoretus, Theodorus, Paraphrastes Graecus, Beda, Euthymius, Ferrandus, Calmetius alii [1]. Nonnulli ad eam etiam opinionem inclinant, ut

1) Theodoretus Theodorus Paraphr. Graec. ed. c. Beda Euthymius Ferrandus Calmetius in h. ps.

non modo huius psalmi rem, sed auctorem etiam in Babylonico tempore reponendum putent. Quorum si vera est sententia, cur non ipsum Mardochaeum eius poetam esse ducas? Nam in eis quae scriptor de se dicit, quid est, quod non Mardochaeo dicere conveniat? Praeterea illa quae ab eo facta est inimicorum suorum descriptione quid potest ad Idumaeos designandos esse aptius? Haec quidem de historica huius psalmi explicandi ratione. Quodsi autem eam similitudinem quam inter Mardochaeum et Christum intercedere diximus recordari volueris, nullus tibi relinquetur dubitandi locus, quin quae poeta vel de se vel de hostibus locutus sit, omnia ea et ad Christum sint et ad Pharisaeos transferenda. Ps. 72.

1. *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde.* Hieronymus: *qui mundo sunt corde.* Praeclarum est psalmi exordium, ut suos propheta ad Dei bonitatem benevolentiamque meditandam adhortetur.

2. *Mei autem paene moti sunt pedes, paene effusi sunt gressus mei.* Mardochaeus sane haud multum abfuit, quin summum in discrimen adductus laberetur atque corrueret. Christus autem labefactatus in ipsumque sepulcrum coniectus, postea restitutus erectusque est a Deo Patre.

3. *Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* Hieronymus: *quia aemulatus sum contra iniquos.* Ex rerum memoria hanc fuisse tum Idumaeorum conditionem patet, ut per multos annos Asiae dominarentur nec esset, qui eis vel resistere vel arma inferre auderet. Aemulatio autem inde orta est, quod vates cum fortuna suorum felicitatem horum contulit.

4. *Quia non est respectus morti eorum et firmamentum in plaga eorum.* Haec et Symmachus et Hieronymus ita: *Quod non recogitaverint de morte sua,*

Ps. 72, 4. *et firma sint vestibula eorum.* Neque in valetudine infirma neque in aliis rebus ullam causam inveniunt, cur de morte aut cogitarent aut timerent. Praeterea in Susorum portis fortissimas disposuerunt custodias.

5. *In labore hominum non sunt et cum hominibus non flagellabuntur.* Symmachus cum Hebraeo: *In miseria hominis non erant et cum hominibus non percutiebantur.* Homo et homines qui h. l. dicuntur intelligendi sunt impius et impii, qui delictorum poenas omnes subire coguntur. A quibus poenis Idumaei in perpetuum fore liberi videbantur.

6. *Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate et impietate sua.* Symmachus: *Superbia induti sunt, horrea ex iniquitate habentes.* Hieronymus: *Ideo nutriti sunt ad superbiam, circumdederunt iniquitatem sibi.* Quoniam Deum impune a se posse sperni arbitrabantur, superbia quodammodo pingues effecti atque inflati, iniquitate autem quasi pro veste quotidiana usi sunt.

7. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis.* Symmachus: *exierunt prae adipe oculi eorum,* Hieronymus: *processerunt a pinguedine oculi eorum.* Hebraica verba, quorum Septuaginta reddiderunt sententiam, haud scio an accuratius ita vertantur: *fluxit ex adipe fons eorum.* Cf. Provv. 5, 16. ss. i. e. fluxit ex adipe turpissimus fons stupri fornicationis et adulterii, abierunt in cupiditatem cordis. Gavisi sunt igitur impii illi bona valetudine, vacuitate dolorum, omnium divitiarum abundantia, quibus rebus factum est, ut totos se dare voluptatibus inciperent.

8. *Cogitaverunt et locuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelso locuti sunt,* 9. *Posuerunt in coelum os suum et lingua eorum transivit in terra.* Hieronymus: *Irriserunt et locuti sunt in malitia calumniam, de excelso loquentes.* Idumaei quum bonis om-

nibus affluerent, quam nefandis verbis et Deum laeserint, et terram i. e. populum Dei sint calumniati, ex aliis psalmis constat. Ps. 72, 9.

10. *Ideo convertetur populus meus hic, et dies pleni invenientur in eis.* Illi quidem dolis calumniisque sibi perfecisse visi sunt, ut Iudaei converterentur ad inferos, ipsi contra ad plenam senectutis aetatem pervenirent.

11. *Et dixerunt: Quomodo scit Deus et si est scientia in excelso.* Haec ipsa sunt eorum verba impia scelesta et divinam maiestatem laedentia.

12. *Ecce ipsi peccatores et abundantes in saeculo obtinuerunt divitias.* Idumaei vix dici potest, quantas ex tota Asia copias opesque cumulaverint;

13. *Et dixi: Ergo sine causa iustificavi cor meum et lavi inter innocentes manus meas.* Quod nefarii isti perditique homines facultatibus et omnium rerum felicitate abundant, dum iustus et innocens in summa miseria est, nonne divinae iustitiae videtur esse contrarium?

14. *Et fui flagellatus tota die et castigatio mea in matutinis.* Symmachus: *et perseveravi illusus singulis diebus.* Inimici eo die Mardochaeum illudebant, quum eum sacco indutum, palam per urbem cursitare videbant; matutino autem tempore constituerunt eum crucifigere. Quae quidem omnia in Iesu Christo impleta sunt.

15. *Si dicebam: Narrabo sic; ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.* 16. *Existimabam, ut cognoscerem hoc, labor est ante me.* Mardochaeus variis cogitationibus anxius distrahebatur. Qui si peccatores, considerata eorum beatitudine, semper credidit divites semperque laetos ac felices fore, populum autem Iudaeorum interiturum putavit: nonne peccavit in *nationem filiorum Dei,* qui numquam mori numquam perire delerive possunt? Sin persuadere *hoc* sibi studuit sempi-

Ps. 72, 16. ternos fore Dei filios; quantum dubitationis excitavit id, quod se ipsum in summis aerumnis, populum in extremo discrimine esse animadvertit?

17. *Donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum.* Christus postquam, devictis hostibus, in sancta sanctorum intravit, ab omni in aeternum dolore liberatus est.

18. *Verumtamen propter dolos posuisti eis, deiecisti eos dum allevarentur.* Hieronymus: *Verumtamen in lubrico posuisti eos, deiecisti eos ad interitum.* Commune hoc Idumaeorum Pharisaeorumque fatum fuit, ut inopinantes mediis ex voluptatibus vitae in tenebras inferni praecipitarent.

19. *Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.* Pro *perierunt* etc. Hieronymus: *consumpti sunt quasi non sint.* Amalecitas Gagaeosque penitus perituros prophetae ante nuntiaverant, quamobcausam repente paene omnes ad inferos rapti sunt.

20. *Velut somnium surgentium Domine in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Hieronymus: *quasi somnium evigilantis.* Singularis admirabilisque est horum verborum elegantia. Iudaei nocturna caede tam facile Idumaeos occiderunt, ut quum primo mane de hostibus, de horum insidiis et clade, de suo periculo ac salute cogitarent, ea sibi somnia esse viderentur. Nam in civitate i. e. per cives suos Deus perfecit, ut istorum vel imago vel recordatio tamquam somnium evanesceret.

21. *Quia inflammatum est cor meum et renes mei commutati sunt.* Hieronymus: *Quia contractum est cor meum et lumbi mei velut ignis fumigans.* Mardochaeus tanto cum ardore inimicos delevit, ut eos tamquam ignis consumere videretur.

[22] *Et ego ad nihilum redactus sum et nescivi,* [23] *ut* Ps. 72, 22.
iumentum factus sum apud te et ego semper tecum Hieronymus: *et ego insipiens et nescius, quasi iumentum factus sum apud te.* Mardochaeus quum hostium copias persequeretur, non proprio consilio, non prudentia, non viribus usus est suis: sed quid aliud fuit quam ad inimicos interficiendos quasi quoddam in manu Dei instrumentum?

[24] *Tenuisti manum dexteram meam et in voluntate tua deduxisti me et cum gloria suscepisti me.* Deus numquam ei non adfuit. Manum eius tenuit, ut e medio proelio domum eum cum gloria reduceret.

[25] *Quid enim mihi est in caelo, et a te quid volui super terram?* Quis est in omnibus vel hominibus vel deis, quem mihi praeter verum Deum socium adiutoremque adesse desiderem.

[26] *Defecit caro mea et cor meum Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum.* Hieronymus pro *Deus cordis mei* cum Hebraeo *robur cordis mei.* Haec vere Christus dicere potest, Mardocheus non item. Caro enim et cor Christi defecerunt in morte, sed in resurrectione ad integrum sunt a Deo patre restituta.

[27] *Quia ecce qui elongant se a te, peribunt, perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.* Luculentissimum huius rei exemplum est tum Idumaeorum pernicies tum exitium Pharisaeorum.

[28] *Mihi autem adhaerere Deo bonum est et ponere in Domino Deo spem meam, ut annuntiem omnes praedicationes tuas in portis filiae Sion.* Verba: *in portis filiae Sion* et ab Hebraicis libris et ab interpretatione s. Hieronymi absunt. Eleganter carminis finis ad exordium redit. Qui Deo coniunctus est, quid ei ad bene feliciter beateque vivendum deesse potest?

PSALMVS LXXIII.

De Idumaeorum peccatis et poenis.

Quidam interpretes consentaneum hunc psalmum putarunt esse Maccabaicis temporibus [1]). Quae tamen eorum sententia iam a Theodoreto tam probabilibus est rationibus refutata, ut mirum sit, quomodo defensores habere recentiori memoria potuerit. Ceteri autem partim eum ad priorem, partim ad alteram Hierosolymorum vastationem retulerunt. Qui de expugnatione secunda et a Romanis facta cogitarunt, facem eis praetulit Eusebius [2]). Sed occurritur his a Ferrando, qui in hoc psalmo ostendit plura inesse, quae referri illam ad rem nullo modo possint. Nam, ut e multis unum afferam, urbis sanctae ruina in hoc carmine crimini datur illis, qui eam everterunt. At vero Romani propter Hierosolyma diruta non modo poenas dederunt nullas, sed maxima etiam praemia consecuti sunt. Vt enim a Tito ad eos candelabrum aureum, sic a sanctissimo Petro summum sacerdotium veritatisque lux traducta ac delata est. Sed si quaerimus, quid sit, cur tanti tamque periti homines hunc psalmum non ad priorem urbis, sed ad alteram eversionem revocaverint; eius rei causa posita omnis est in versu decimo, ubi id temporis ullus fuisse propheta negatur [3]). Multos autem apud Iudaeos prophetas dicunt tempore fuisse Babylonico. Vnde sequi, non posse hunc psalmum Babylonico illi tempori tribui, sed ad alteram esse Hierosolymorum

1) Theodorus Paraphr. Graec. alii.
2) Eusebius Athanasius Augustinus Theodoretus Euthymius alii.
3) V. Euseb. et Theodoret.

ruinam transferendum. Verum haec tota argumentatio haud maiori quidem vitio laborat, quam quod ei prorsus deest id quod fundamentum dicimus. Nam totus ille versus non sententiam continet prophetae, sed errorem hostium, et hoc ipsum propheta his verbis docet v. 8. *Dixerunt in corde suo.* Inter ea autem quae dixerunt, etiam illud est: *non est propheta, nos non cognoscet amplius.* Ex hac igitur infidelium voce quis colliget, nullum fuisse eo tempore prophetam? An ex altera illa *Non est Deus* concluditur non fuisse tum Deum? Sed in re non dubia quid argumentis utamur non necessariis? Ceterum ne eo quidem tempore quum a Romanis Hierosolyma sublata sunt, prophetae defuerunt, quoniam discipulos suos Dominus prophetas esse voluit. Nihil igitur nos impedire videtur, quin ad Babylonicum tempus aptum hunc psalmum accommodatumque esse dicamus, praesertim quum in hac re auctores sequamur gravissimos Origenem Hieronymum Brunonem Astensem alios [1]). Fuerunt autem Idumaei, qui, urbe vi capta, templum incendio delevere, nec multo post cunctum populum statuerunt radicitus excidere. Sed hic psalmus quamquam historice ad Idumaeos spectat, tamen prophetice ad Pharisaeos et Iudaeos referatur necesse est. Sed consideremus singula. Ps. 73.

1. *Vtquid Deus repulisti in finem, iratus est furor tuus super oves pascuae tuae.* Deus quum urbem deleri ab Assyriis pateretur, iuventutem tamen Iudaicam, quae in exsilium ducta erat salvam esse voluit. Tum igitur non *repulit in finem.* Exsules vero illos quum ab Amane sineret urgeri, nonne omnino tum quidem et repulisse et deseruisse visus est?

1) Origenes Hieronymus in h. l. Bruno Astens. Bibl. m. Patrr. t. 20. p. 1530. Ferrandus Liran. Caiet.

Ps. 73, 2. ² *Memor esto congregationis tuae, quam possedisti ab initio, redemisti virgam hereditatis tuae, mons Sion in quo habitasti in eo.* Verba iungenda sunt ita: Recordare congregationis quam possedistis, virgae hereditatis quam redemisti, montis Sion in quo habitasti. Acquisivit enim eos in initio, quum Abrahamum eligeret, heredes instituit suos, quum redemptos eos e servitute Aegyptiorum in felicissimam patriam induceret, denique habitavit cum eis in monte Sion. Poeta igitur tria tangit tempora Abrahami Moysis Davidis.

³ *Leva manus tuas in superbias eorum in finem.* Hebraeus: *Leva pedes (gressus) tuos ad desolationem in perpetuum.* Deum propheta rogat, ut exsurgat ad perdendos hostes, ut veniat, ut properet. Quare eorum crimina in eis qui sequuntur versibus, enumerare incipit. Sed iam hoc versu, si quidem Hieronymum audimus, crimen commemoratur omnium maximum. Etenim ille interpretatus est hoc modo: *Sublimitas pedum tuorum* (i. e. sanctum sanctorum, ubi steterunt pedes tui) *dissipata est usque ad finem.*

³ *Quanta malignatus est inimicus in sancto.* Hieronymus: *Omnia mala egit inimicus in sanctuario.* Templum Idumaeorum opera sociorum Nabuchodonosoris conflagrasse, ex investigationibus nostris satis, ut arbitror, patet.

⁴ *Et gloriati sunt, qui oderunt te in medio solemnitatis tuae* [1]). Qui antea inimici sunt indefinite dicti, ei nunc *Domini hostes* vocantur. Hostes autem Domini qui sint, satis notum censeo. Vrbem autem Chaldaei et Sacae ceperunt die nono mensis quarti [2]). Qua potiti incredibile est, quibus furiis instincti in Iudaeos

1) IV. Regg. 25, 3. Ierem. 39.

2) Hieronymus ita: *Fremuerunt hostes in medio pacti tui.*

irruerint omnesque in templo promiscue obtrunca- Ps. 73, 4.
verint.

4. *Posuerunt signa sua signa* 5. *et non cognoverunt sicut in exitu super summum.* Symmachus: *posuerunt signa sua manifeste, cognita in introitu sursum.* Hieronymus: *posuerunt signa sua in trophaeum, manifesta in introitu desuper.* Signa Eusebius militaria putat intelligenda, qui apud Sacas erant dracones. Ei sine dubio positi sunt in porta Media, ubi principes hostium convenerunt [1]). Itaque de Hierosolymis expugnatis, de templo deiecto, de populo capto serpens triumphari visus est.

5. *Quasi in silva lignorum securibus* 6. *exciderunt ianuas eius in idipsum, in securi et ascia deiecerunt eam.* Symmachus: *instrumentis ligneis et securibus suis et portas eius cum vectibus et furcis deiecerunt* [2]). Vt silvam solent securibus prosternere, sic furor hostium dirumpere portas, sculpturas frangere, templum destruere coepit.

7. *Incenderunt igni sanctuarium tuum, in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.* Illud iam lectores monuimus Idumaeos fuisse ipsos, qui templum incenderint.

8. *Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul.* Eorum cogitata poeta totidem verbis affert, quo facilius appareat, quanta fuerit in eis impietas.

8. *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.* Ex ipsis Amanis verbis perspicuum crediderim, quam moleste Idumaei quamque aegre tulerint, quod propriis uti Iudaeos ceremoniis ritibus solemnitatibusque vide-

---

1) Ierem. 39, 3.

2) Hieronymus ita: *In saltu lignorum secures. Et nunc sculpturas eius pariter bipenne et dolatoriis deraserunt.*

Ps. 73, 8. bant. Quid enim habuerunt antiquius, quam ut vel illam eis quam a Deo habebant praestantiam detraherent, vel ex nationibus eos omnino tollerent.

9. *Signa nostra non vidimus, iam non est propheta et nos non cognoscet amplius.* Idumaei quotiescumque populum Dei opprimere conati sunt, infecta re semper discedere cogebantur. Sed quod saepenumero voluerunt, tandem se posse Amane duce perficere opinati sunt. Cur igitur, inquiunt, non omni conatu id agimus, ut gentem infestissimam nomini nostro trucidemus? Num signa impressa nobis, num inustae notae sunt, ut, hoc quis fecerit, Deus sciat; an inter eos ullus vates est, qui nos cognoscat amplius? Cognitum scilicet habuerunt a prophetis sua saepius incepta ad nihilum esse redacta. Iam hostes quae cogitaverint, quot et quanta crimina commiserint, satis est expositum.

10. *Vsquequo Deus improperabit inimicus, irritat adversarius nomen tuum in finem.* Deum inimici nec mente vel ore nec verbis factisve negare dubitabant.

11. *Vt quid avertis manum tuam et dexteram tuam, de medio sinu tuo in finem.* Hieronymus: *de medio sinu tuo consumens.* Variae sunt horum verborum interpretationes. Equidem sinum h. l. positum existimo pro eo quod in sinu est. Est autem in sinu Dei, ut amicus, ut dilectus, populus Iudaicus. Deum igitur propheta orat, ne a dilecto defendentem manum suam umquam avertat.

12. *Deus autem rex noster ante saecula operatus est salutem in medio terrae.* Hieronymus *ab initio* pro verbis *ante saecula.* Deus rex erat Iudaeorum ab initio aetatis eius quae tunc fuit, i. e. a temporibus Moysis. Hebraeus *in interiori terrae.* Morbus spiritualis in animo fuit atque in visceribus populi. Huic Deus adhibuit medicinam poenitentiae. Sed haec verba nescio

an melius de ipsa terra et de spirituali quae in terra Ps. 73, 12.
facta est regenerationis accipiantur. Nam sortibus litterisque Amanis populus obrutus ac sepultus erat. In media terra, in ipsis sepulcris Deus opem ei salutemque tulit [1]).

13. *Tu confirmasti in virtute tua mare, contribulasti capita draconum in aquis*. Pro *confirmasti* Symmachus et Hieronymus: *dissipasti*, Theodotio: *divisisti*. Est mare quidem de gentibus intelligendum. Gentium mare, quum ingenti saevitia terram i. e. populum Iudaicum inundaret, admirabili cum celeritate et magnificentia dissipatum est. Inerant autem mari illi tamquam dracones Gagaei Amalecitae et Idumaei, quos pro signis usos fuisse draconibus constat. At Deus horum capita confregit.

14. *Tu confregisti capita draconis, dedisti eum escam populis Aethiopum*. Pro *draconis* Hebraeus: *Leviathan* i. e. *draco Dionysi* et *solitudinicolae* vel *nomades* pro *Aethiopes*. Leviathan non alius putandus est nisi Aman, qui, ut Nehusthan (serpens Dionysi) a Moyse, sic ille ab Assuero cruci affixus est. Capita autem huius decem sunt filii, qui priore die Susis caesi, altero in patibulo suspensi sunt. Ex Amanis autem morte nata est clades exitiumque Nomadum. Quamobrem venenatam Amanis carnem i. e. sortem Scythis esse nomadibus datam tam fortiter quam concinne poeta dicit cf. Deut. 32, 33.

15. *Tu dirupisti fontes et torrentes, tu siccasti fluvios Ethan*. Deus fontem i. e. matrem conservatricemque Iudaeorum Estheram constituit; gentem vero Idumaeorum paene exstinxit. Haec est metaphorae sententia. Nam Mardochaeus, quem in somnio fontem vidit, eam

1) Ioh. Chrysost. in ps. 134, 9. Illud *in medio* ubique iddem significat quod aperte, ut quando dicit: *Fecit salutem in medio terrae*. Est enim medium manifestum omnibus.

Ps. 73, 15. dixit Estheram esse matrem ac procreatricem Iudaeorum omnium. Sed ut fons ille crevit usque ad magnitudinem fluminis, sic Idumaeorum gens ad interitum imminuta est. *Tu siccasti flumina iugia, perennia.* Sic enim recentiores soliti sunt explicare *Ethan.* Aquila: *fluvios solidos,* Symmachus: *fluvios antiquos,* Hieronymus: *flumina fortia* [1]). Graeci interpretes non modo hoc loco sed etiam apud Ierem. 48, 43. 49, 19. 50, 44. verbum איתן retinuerunt Hebraicum. Quod quid significet, me certo scire nego. Sed quid suspicer si dicere licet, equidem illud nihil puto aliud valere nisi *laeva, sinistra.* Nam qui tributi sunt psalmi choro laevo, inscripti ei quidem leguntur *Ethan* i. e. *laeva* vel *Idithun* i. e. *manus laeva,* qui autem choro dextero, ei titulum habent הימן i. e. *dextera.* Quo posito et approbato, illud assumitur, *fluvios Ethan* idem significare ac *fluvios sinistros, perditos, reprobatos.*

16. *Tuus est dies et tua est nox.* Priorem cuiusque aetatis partem diem dicit, noctem alteram.

16. *Tu fabricatus es auroram et solem.* Hebraeus: *tu ordinasti luminare et solem.* Poeta si luminare dicit, lunam intelligi vult. Diei i. e. priori illius aetatis parti sol praefuit sacerdotii ac legis; posteriori parti, quam noctem dicimus, dominata est luna regni Davidici.

17. *Tu fecisti omnes terminos terrae, aestatem et ver tu plasmasti ea.* Hieronymus cum Hebraeo: *aestatem et hiemem tu plasmasti.* Intelligenda haec quidem sunt spiritualiter. Nam dies vel aestas lucis caloris vitae tempus est felicitatis, divinae gratiae ac misericordiae; tempestas vero tenebrarum frigoris dolorum molestiarum ac calamitatum vel nox vel hiems appellatur.

---

1) Hieronym. epist. crit. ad Fab. mansio III.

18. *Memor esto huius: inimicus improperavit Domino* Ps. 73, 18.
et populus insipiens incitavit nomen tuum. Oratio redit, unde discessit. Divinum animum ut flectat, iterum admonet, quae et quanta sit inimicorum impietas. Non modo falsos colunt deos, sed Deum ac creatorem omnium despicere audent spernere atque irridere.

19. *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi et animas pauperum tuorum, ne obliviscaris in finem* 1). Hieronymus: *Ne tradas bestiis animam eruditam lege tua.* Huiusmodi videtur esse Mardochaei anima et Christi. Pauperes autem magna cum constantia appellantur vel Iudaei qui tunc erant, vel Christiani. Idumaei, quum divinum nomen infestum invisumque haberent, in eos qui aperte illud et ingenue confitebantur, tanto tamque acerbo odio exarserunt, ut eos omnes una die una litterarum significatione de medio tollere constituerent. Quod quidem ne ex horum sententia succedat Deus providebit.

20. *Respice in testamentum tuum.* Te nostrum dominum, nos tuos servos esse recordare.

20. *Quia repleti sunt, qui obscurati sunt terrae domibus iniquitatum.* Hebraeus: *quia repleta sunt loca tenebrosa terrae habitaculis Dionysi.* Etenim חמס scriptura alia est pro חמש vel שמש i. e. vel *sol* vel *Dionysus.* Septuaginta in eo sibi constant, quod huius dei nomine vitato ac suppresso ponunt *iniquitas.* Multi tum ex Israelitis Dionysum venerabantur. *Loca tenebrosa terrae* iniquae dicuntur vel familiae vel tribus populi Iudaici. Ab his pro vero Deo adoratur Diony-

1) Hoc versu usa est S. Clara implorans divinum auxilium contra Idumaicas illas Saraeenorum catervas, quum monasterium S. Damiani oppugnarent.

Ps. 73, 20. sus. Memento igitur testamenti tui, ut eos quoque ad te reducas.

21. *Ne avertatur humilis factus confusus.* Ne prodas hominibus flagitiosis Mardochaeum servum tuum. Quem si salvum esse nolles, etiam Israelitae in impietate sua persisterent.

21. *Pauper et inops laudabunt nomen tuum.* Adiuva eos, quos gratias tibi scis acturos esse maximas.

22. *Exsurge Deus iudica causam tuam, memor esto improperiorum tuorum, eorum quae ab insipiente sunt tota die.* 23. *Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum, superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.* Extrema Hieronymus ita: *sonitus adversariorum tuorum ascendit iugiter.* Tuus te laudabit populus, hostes vero nomen tuum laedere non desinunt. Deus igitur a poeta rogatur, ut suam tandem causam iudicet defendat propugnet. Itaque Amanis Amalecitarumque et impie dicta et superbe facta paucis, sed gravissimis verbis condemnat.

PSALMVS LXXIV.*

Dolorum calicem vel a Mardochaeo ad Amanem vel a Christo ad daemonem translatum esse.

Si inscriptionis habetur ratio hoc carmen Asaph i. e. vel synagogae vel populo adscribendum est [1]). Eius autem argumentum cernitur in eo, quod populus laudibus subtilissimis admirabile illud sive *incorruptionis* sive conservationis beneficium celebrat [2]). Sed salus illa Mardochaei et populi, quis dubitat, quin nobis et resur-

1) Hieron. in Brev.

2) Pro: *Ne disperdas* Symmachus *incorruptio.*

rectionem Iesu Christi et redemptionem portenderit hominum omnium? Quamobrem verum tum Eusebium vidisse tum Athanasium fatendum est, quorum alter ad resurrectionem hunc psalmum, alter ad iudicium referendum duxit [1]). Sed hi quidem prophetice. Tempus autem historiaque si quaeritur, incidit hic quidem psalmus in exsilium ipsum Babylonicum; quam rem una mente cognoverunt Cyrillus Alexandrinus, Theodorus Heracl. Theodoretus Euthymius multique alii [2]). Iam vero ut tempus eius accuratius definiamus, eum censemus inter supplicium Amanis et Idumaeorum caedem esse interiectum. Sed qui hunc de quo agimus psalmum, quum obscurus difficilisque sit, penitus volet perspicere, ea cognita habeat necesse est, quae de Amane Habacuc 2, 15. ss. et de Idumaeis Iesaias 51, 22. et Ieremias 25, 15. ss. cecinerunt. Ps. 74.

2. *Confitebimur tibi Deus, confitebimur et invocabimus nomen tuum, narrabimus mirabilia tua.* **Pro:** *invocabimus nomen tuum,* Hebraeus: *propinquum nomen tuum,* Chaldaeus: *appropinquante nomine tuo,* Hieronymus: *iuxta nomen tuum.* Populus pluraliter quidem sed una voce loquitur. Nam quum Mardochaeum salvum omnibusque honoribus ornatum, Amanem contra in crucem actum cognoscerent, qui non intellexerint proximum esse, ut ad iudicium habendum maiestas Domini appareret?

3. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Quum gratum sibi, quum acceptum opportunumque tempus venerit, tum se pollicetur iuste iudicaturum.

---

1) Eusebius et Athanasius in h. ps.

2) Cyrillus Alex. quum dicit: *Historico quidem sensu praecipitur Assyriis ac Babyloniis, ne sint in Deum blasphemi neve viribus propriis superbiant.* Theodorus Heracl. Theoderet, Euthymius, Ferrandus, Calmet.

Ps. 74, 4. [4] *Liquefacta est terra et omnes qui habitant in ea, ego confirmavi columnas eius.* Liquidum mare gentium est; huic autem terra vel gens sancta resistit, propterea quod solida, quod firma stabilisque est. Sed haec quum funestis illis Amanis sortibus subiecta ac quodammodo liquefacta et absorpta esset; a Deo postea confirmata est vel, ut aliis verbis utar, quum ad liquidum incliuaret *ad aequilibrium a deo restituta* (Hebraeus et Hieronymos) dicitur. Columnae autem eius Mardochaeus et Esthera ceterique principes putandi sunt. Ab eo qui sequitur versu vel Mardochaei vel Christi oratio incipit.

[5.] *Dixi iniquis: Nolite inique agere, et delinquentibus: Nolite exaltare cornu* [6.] *nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui adversus Deum iniquitatem.* Hebraeus: *Dixi... nolite extollere in altum cornu vestrum, loquentibus in collo praefracto.* Iniqui in his psalmis constanter ita describuntur, ut eiusdem semper arguantur inpietatis, eiusdemque fastidii ac superbiae.

[7.] *Quia neque ab oriente neque ab occidente neque a desertis montibus,* [8.] *quoniam Deus iudex est, hunc humiliat et hunc exaltat.* Haec verba intelligi nisi cognita superstitione veterum nullo modo possunt. Augures, ut notum est, unam partem faustam ac felicem, alteram adversam contrariamque iudicarunt. Hanc opinionem apud summam iam antiquitatem valuisse, ex Balaamis historia apparet. Infausta auguria apud Romanos a septentrione advenire putabantur. Erat praeterea Aegyptiorum atque Asiaticorum opinio, versari ac dominari in quibusdam mundi partibus deos Typhonicos. Quae quum etiam Idumaei ita esse crederent, ubi repentino supplicio Amanem sublatum accipiunt, cui mirum videbitur, si eum istius generis fortunae succubuisse dictitant? Ac revera memoriae proditum est, Cabiros quorum unus nominatur

Aman, in expeditionibus esse ab infesto deo concisos. Ita quidem quum flagitiosis verbis aut convertere vera aut evitare studerent, impietatis caecitatisque crimine a poeta accusantur. *Non ab oriente, non ab occidente, non a deserto montium* (i. e. *a septentrione*); *sed Deus iudex est hunc humiliavit, illum vero exaltavit.* Nec sibi a meridie vel ab oriente evenisse, ut evitato supplicio summos post regem honores consequeretur nec Amani ab occidente aut a septentrione accidisse ut spoliatus regno patibuli poenam toleraret; sed Deum esse aeternum iudicem qui istius oppresserit superbiam se his tantis honoribus auxerit. Ps. 74, 8.

9. *Quia calix in manu Domini vini meri plenus misto, et inclinavit ex hoc in hoc.* Hieronymus: *Quia calix in manu Domini est vino meraco usque ad plenum mixtus.* Vinum merum sanguinis colorem ac similitudinem refert. Calix autem plenus esse dicitur, ut intelligatur, quum unus biberit, reliquum esse, quod alii bibant. Praeterea tum vinum merum tum calix plenus haud mediocriter valent ad calamitatis atrocitatem magnitudinemque describendam. Deus igitur mortis calicem *ex hoc* i. e. a Mardochaeo retraxit, eumque *in hunc* i. e. ad Amanem detulit. Quod fecit iddem in Christo et in daemone. Nam quum a mortuis Christum suscitaret, calicem ab eo inclinavit ad daemonem.

9. *Verumtamen faex eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terrae.* Hieronymus: *verumtamen faeces eius epotabunt bibentes omnes impii terrae.* Sed ille quamvis multum et ad vomitum usque biberit (Habac. l. c.), calix tamen nondum est exhaustus. Tantum enim faecis superest, ut Idumaei omnes possint ad satietatem sumere.

10. *Ego autem annuntiabo in saeculum, cantabo Deo Iacob.* Poeta Dominum dicit Deum Iacob, quoniam

Ps. 71, 10. cum Idumaeis Iudaeorum causa agitur. Quod propheta saepius promisit, se ad posteritatem omnia admirabilia Dei facta relaturum, hoc ut summa cum probitate perficeret, operam dedit.

11. *Et omnia cornua peccatorum confringam et exaltabuntur cornua iusti.* Cornu iddem valere potest ac corona potestatis auctoritatisque signum. Sed verbo illi eam hoc loco vim tribuere maluerim, ut eo decem Amanis filios significentur. Quamquam historice a nobis est omnis hic psalmus explicatus, tamen quis est tam imperitus typorum, qui non eum illam etiam ad victoriam transferendum intelligat, quam de daemone reportavit Christus?

PSALMVS LXXV.

De Idumaeorum vel daemonum potestate fracta.

Hoc carmen quod magno et robore orationis et elegantia excellit, scriptum est non modo de illo iudicio, quod Deus et Mardochaei et Christi aetate instituit, verum etiam de eo quod in fine temporis ad impios superbosque perdendos instituturus est. Superiori carmini hoc non loci solum sed sententiarum etiam vicinitate coniunctum esse, duo eique diligentissimi auctores sunt Athanasius et Eusebius [1]). Neque negari potest, in sententiis, in earum ordine ac dispositione magnam huius esse cum illo similitudinem. Sed vicinior multo ea coniunctio est, quae ei cum Ezechielis vaticinio de Gog et Magog intercedit. Qua cognita Iudaici potissimum interpretes commoti sunt, ut ad Gog et Ma-

1) Athanasius et Eusebius in h. ps.

gog hoc carmen referri oportere dicerent [1]). Quamquam Ps. 76.
hanc interpretationem fieri potest, ut ex antiqua quadam vel memoria vel traditione hauserint. Sed eam rem etiam inscriptio *in Assyrios* videtur confirmare. Nam Gagaei et Amalecitae etsi Assyrii non erant, tamen cum eis semper erant belli societate coniuncti. Quod quum non nimis compertum esset, factum est, ut et inscriptionem et psalmum nonnulli ad Sennacheribum traducerent [2]).

2. *Notus in Iudaea Deus, in Israel magnum nomen eius.* 3. *Et factus est in pace locus eius et habitatio eius in Sion.* Hebraeus: *notus in Iuda Deus, in Israel magnum nomen eius, cuius fuit in Salem tabernaculum et habitatio in Sion.* Is quidem verius ad orationisque subtilitatem aptius. Nam hanc interpretationem, quae etiam s. Hieronymo probata est, membrorum postulat similitudo atque convenientia, quae quum inter Iuda et Israel tum inter Salem atque Sion interest. Cognitus est autem Deus ex victoria Mardochaica; Ezechielisque 35, 11. vaticinium illud evasit: *Et notus efficiar (ego Deus) per eos (Iudaeos), quum te (Edom) iudicavero.* Cf. Ezech. 38, 23. 39, 7: *Et nomen sanctum meum notum faciam in medio populi mei Israel.* Quum Israelitae per tot saecula et ab Iudaeis et a Deo separati ac hoc tandem miraculo excitati, cum Deo in gratiam et cum Iudaeis in religionis societatem redirent, maximum fuit ac commune omnium gaudium multisque vaticiniis et psalmis celebratum.

4. *Ibi confregit potentias arcuum scutum gladium et bellum.* Hieronymus: *volatilia arcus.* Propheta quod *ibi* dicit, eos intelligi vult Iudaeorum Israelitarumque fines, quos in exsilio obtinuerant. Si a prophetis arma

---

1) Kimchius, Kabvenakius Seppurn. v. etiam Genebr.

2) Theodorus Theodoretus Beda Euthymius Bruno Astensis, alii.

Ps. 75, 4. Scythica nominantur, primum semper in eis locum tenet arcus. Bellum a Deo confractum dicitur, quia victoriam illam diuturna consecuta pax est.

5. *Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis.* Hebraeus et Hieronymus: *Lumen tu es magnifice a montibus captivitatis.* Populus Iudaicus, quum in exsilio fuit, montes incoluit, qui ob eam causam *montes* vel *captivitatis* vel *exsulum* vocantur. Ab eis igitur montibus Deus tamquam ignis exarsit ad Idumaeorum copias consumendas.

6. *Turbati sunt omnes insipientes corde.* Hieronymus: *spoliati sunt superbi corde.* Qui paulo ante Deum negaverant atque eluserant, quanto ei stupore attoniti ac defixi sunt, quum repente ab eo imprudentesque comprehenderentur?

6. *Dormierunt somnum suum et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Haud scio an nihil his verbis vel ad humanitatem dici urbanius, vel ad ironiam subtilius cogitari possit. Hebraeorum enim in eos qui decesserant pietas dura illa mortis et moriendi verba vitare et ita mitigare solebat, ut pro eis dulcia dormiendi et somni vocabula usurparent. Quo quidem euphemismo quum optime etiam resurrectionis spes declararetur, et Dominum nostrum et S. Paulum usos accepimus. Sed haec sive humanitas sive consuetudo apud poetam tantum valuit, ut ne de inimicorum quidem morte propriam vocem adhibere vellet. Dormierunt, ait, somnum suum i. e. mortui sunt Idumaei mortem suam et nihil invenerunt in manibus suis, etsi copiarum isti omnes ac divitiarum viri erant. Tanta in vivis et tam insatiabilis fortunarum cupiditas fuit, ut non modo divitibus quae supervacanea sed etiam pauperibus quae necessaria ad vitam essent, promiscue eriperent atque auferrent. Erat autem apud illos statutum,

ut ne mortuos quidem suos phialis aureis rebusque Ps. 75,6.
pretiosis carere in sepulcris paterentur. Sed Idumaei qui hunc morem observabant, quamvis vel principes vel nobiles vel fortunatissimi essent, tamen a Mardochaeo ad numerum septuaginta quinque millium sepulti sunt, neque ulli quidquam est vel auri vel argenti adiectum. Cf: quum dives factus fuerit homo, quum interierit, non sumet quidquam.

7. *Ab increpatione tua Deus Iacob, dormitaverunt qui ascenderunt equos.* Hieronymus: *consopitus est currus et equus.* Hebraeus: *eques et equus.* In equitandi arte Idumaei prae ceteris nationibus excelluerunt. Quamobrem etiam a prophetis equites vocantur. Ceterum quum Iudaei a praeda omnino se abstinere constituissent, quid est quod dubitemus, quin etiam equos caesorum occidendos curaverint.

8. *Tu terribilis es, et quis resistet tibi, ex tunc ira tua.* Deus in Amalecitas iram concepit tempore Moysis, quum illi ad montem Horeb Iudaeos adorirentur. Ex eo tempore irae divinae exordium fuit.

9. *De caelo auditum fecisti iudicium* [1], *terra tremuit et quievit,* 10. *quum exsurgeret in iudicium Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terrae.* Iudaei, hanc enim vim verbum habet *terra,* quum Deum tantam de Idumaeis poenam sumere viderent, primum ipsi perterriti timere ac tremere, dein omni timore liberi quiescere, gaudere, dies festos agere.

11. *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, et reliquiae cogitationis diem festum agent tibi.* Pro *cogitatio* apud Hebraeos: חמת *aestus ira.* Quod iddem Hieronymus interpretatus est: *quoniam ira hominis confi-*

1) Itala apud Augustinum: *De coelo iaculatus es* (i. e. ἠκόντισας) *iudicium.* Scriptura depravata.

 tebitur tibi. Ex his verbis videre vellem, qui sententiam ullam rectam et iustam eliceret. Septuaginta legerunt חמדת ἐνθύμιον *desideratus dilectus.* In locum suum hoc verbum restituendum existimo. Sententia igitur haec est: *Quoniam dilectus hominum confitebitur tibi et reliquiae i. e. posteri dilecti diem festum agent tibi.* Quantopere a suis Mardochaeus dilectus sit, ex his verbis elucet: *et quomodo Mardochaeus magnus apud Iudaeos et acceptabilis plebi fratrum suorum fuerit etc.* [1]). Erat autem etiam Iesus Christus ut pulcherrimus hominum sic etiam summe dilectus. Quae dicta sunt, de die festo, ea et ad Iudaeorum sortium diem et ad nostra Paschalia pertinent.

12. *Vovete et reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius, affertis munera terribili* 13. *et ei qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terrae.* Gratum in Deum animum vel sacrificiis et pietate in Deum ipsum vel beneficentia in homines significare solemus. Poeta suos ut eiusmodi dona et voverent et darent admonet; in primis autem eos qui Deum circumdant hortatur, i. e. Iudaeos, ut ad solemnem diem coenamque celebrandam munera conferant. *Principes* qui dicuntur, intelligendi sunt filii Amanis. His animam Deus vitamque abstulit, nec minus terribilem ipsi se praebuit Amani.

---

1) Esth. 10, 3.

PSALMVS LXXVI

De Iudaeorum liberatione.

Hunc psalmum de Iudaeis scriptum esse in Babylonia exsulantibus, vere dixerunt optimi interpretes, ut Theodorus, ut Theodoretus, Paraphrastes Graecus, Beda, Euthymius, Calmetius [1]). Quod autem postremus ille poetam queri putavit de exsilii longitudine, certe eius sententia quae sit, non penitus perspexit. Nam quas a propheta hoc carmine descriptas legimus commotiones animi timores anxietates ac perturbationes, eas diuturnitas illa quidem exsilii quomodo potuit concitare? Quamobrem probata illa de tempore sententia, rem huius psalmi argumentumque ita definimus, ut eum et de Mardochaei vicissitudinibus et de dissipata gentium multitudine confectum dicamus. Quod si ita est, psalmus continuo propheticus evadit. Nam quae de Mardochaeo et de Amalecitis pronuntiata sunt, nonne ea de Christo esse et de daemonibus intelligenda comprobavimus? Sed quod ad argumentum dispositionemque pertinet, primum quidem poeta 1–10. Iudaeos a Deo derelictos videri, ac dubiis anxiisque cogitationibus cruciatos esse exponit, deinde 10–21. quemadmodum Deus advenerit, quam repente et hostes deiecerit et suos ex insidiis Amanis in pristinam salutem ac libertatem restituerit, splendida oratione persequitur.

2. *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Deum, et intendit mihi.* Esthera, quum regem adeundi consilium cepisset, Mardochaeum oravit, ut convocaret

---

1) Theodorus Paraphr. Graec. edt. Corder. Theodoretus Beda Euthymius Calmetius in h. ps.

Ps. 76, 2. Iudaeos ac per dies tres ieiunia supplicationesque pro sua populique salute institueret. Quod quidem illi religiosissime fecerunt. Nam saccis induti sordidati et ad terram proiecti, die nocteque ad hunc unam rem incubuerunt, ut sibi divinum numen multis laesum offensumque peccatis reconciliarent. Neque ita Susis solum, sed per totum regnum Deo supplices fuerunt. Quamobrem populus si ad Dominum se clamasse dicit, id quidem congruenter illis temporibus dicere potuit.

3. *In die tribulationis meae Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum et non sum deceptus.* Symmachus: *manus mea nocte extensa erat assidue.* Hieronymus: *manus mea nocte extenditur et non quiescit.* Haec non modo ad supplicationis dies spectant, sed ad totum illud intervallum, quum litteris Amanis populus morti erat destinatus. Nam ex quo die litterae illae allatae sunt, orare obsecrareque Deum numquam intermiserunt.

3. *Renuit consolari anima mea* 4. *memor fui Dei
et delectatus sum et exercitatus sum et defecit spiritus meus.* Propius ad Hebraicam veritatem Hieronymus accessit: *Recordans Dei conturbabar, loquebar in memetipso et deficiebat spiritus meus.* Populus quum suorum criminum memor esset, nec de Deo cogitare nisi dolore et pudore perturbatus nec mentem ad suam ipsius conditionem futuramque mortem convertere potuit, quin aerumnarum omnino acerbitate conficeretur.

5. *Anticipaverunt vigilias oculi mei, turbatus sum et non sum locutus.* Hieronymus: *Prohibebam suspectum oculorum meorum, stupebam et non loquebar;* similiter Symmachus: *Recusabant sursum adspicere oculi mei, dubitabam et non sum locutus.* Mardochaeus in tanta moestitia erat, ut oculos in terra defigeret; ita dubitationibus timoribus angoribusque turbabatur, nul-

lum ut verbum auderet proferre. Quae enim Deus promiserat, ea cum illis quae fieri tunc patiebatur vehementer discrepare videbantur. Nam Dominus quum se Iudaeorum rectorem adiutoremque fore iuratus esset, qui concedere potuit, ut sui Amani ad occidendum traderentur? Pollicitus nullum fore tempus, quo eos derelinqueret, cur iam tertium mensem, ex quo eis supplicii dies constitutus est, praeterire patitur, quin auxilii eis ullam daret significationem? Si fide sua populum sempiternum fore spopondit, quid est quod non moveatur, quum vitam eius insidiis Amanis praecisam esse videat? Quibus cogitationibus dum dubius haeret, Deum tamen ut sanctum iustum verum veretur; quid aliud facere potuit, quam conversis in terram oculis, obstupefactus conticescere? Verum dubiorum molestias plurimum et vaticiniorum recordatio levavit et antiquitatis memoria. Ps. 76, 5.

6. *Cogitavi dies antiquos et annos aeternos in mente habui.* Hieronymus: *annos saeculorum.* In Abrahami, in Moysis temporibus cum saeculo suo similitudines invenit admirabiles et aptas, ex quibus sanctissima solatia hauriret.

7. *Et meditatus sum nocte cum corde meo et exercitabar et scopebam spiritum meum.* Symmachus: *Sed psalmos meos noctu cum corde meo recitabam.* Hieronymus autem ita vertit cum Hebraeo: *Recordabar psalmorum meorum, in nocte cum corde meo loquebar et scopebam spiritum meum,* ac *scopebam* verbum minus usitatum hoc modo explicat: *fodiebam quasi agrum* [1]. In diebus illis tacitae moestitiae propheta investigavit meditatusque est ea omnia, quae postea elegantissimis carminibus protulit. Cognovit autem, Deum etiam antiquitus eo ipso tempore subvenire solitum, quum

1) Hieronymus in h. l.

Ps. 76, 7. res in extremum discrimen adducta ac paene perdita esse videretur.

8. *Numquid in aeternum proiiciet Deus, aut non apponet ut complacitior sit adhuc*? Vtrum miserandi Deus finem tum faciat, an iterum suis sit propitius futurus, interrogat, quo quid magis potest periculi magnitudinem significare?

9. *Aut in finem misericordiam suam abscindet a generatione in generationem*? Hieronymus: *Ergo ne complebit usque in finem misericordiam suam, consummabitur verbum de generatione in generationem*. Superiori versu vates, num fortasse extremi iudicii tempus venisset, quaesivit. Quod Deus si fieri ita vellet, quomodo aut in Christo misericordiam suam complere, aut quae esset de generationum ordine per Moysem vaticinatus, ad exitum perducere posset?

10. *Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas*. Quid dici potuit pulchrius, quam etsi Deus ut non misereatur se teneat, tamen misericordia eum vinci ac superari [1])? Sed veniamus ad huius psalmi partem alteram.

11. *Et dixi: nunc coepi, haec mutatio dexterae excelsi*. Propheta, gravissimis illis animi aerumnis obrutus ac moerore paene consumptus, contra omnium exspectationem factum audit, ut Aman interimeretur sufficereturque in locum eius Mardochaeus. Quibus rebus cognitis, qui potuit, quin exclamaret: *Nunc coepi*? Quid enim? cogitare et quaerere, ut antea feci ac divina consilia ignorare, non *imbecillitatis meae est*? Nonne haec commutatio, ut pro Mardochaeo Aman, Idumaei pro Iudaeis occidantur, divino est consilio facta?

12. *Memor fui operum Domini, quia memor ero ab*

1) Idem in Breviar.

initio mirabilium tuorum 13. *Et meditabor in omnibus operibus tuis et in adinventionibus tuis exercebor.* Hieronymus Symmachum secutus ita: *Recordabor cogitationum Domini, reminiscens antiqua mirabilia tua. Et meditabor in omni opere tuo et adinventiones tuas loquar.* Antea quidem ipsi Mardochaeo necesse erat, spem suam omnem salutemque quasi clausis oculis Deo committere et de rebus nondum absolutis reticere. At quum summos iam honores suos, quum Idumaicorum hostium internecionem, quum Iudaicae salutis prodigium cerneret animoque suo consideraret: nonne quae antea in antiquarum rerum historiam quasi involuta erant, aperta esse cognovit ac mirabilem in modum illustrata? Quid? singularis illa, quae inter Abrahami Moysis Mardochaeique tempora intercedit, ratio ac similitudo, nonne perspicua iam erat et posita ante oculos? Quare si animum suum, quin divina facta omnibus enuntiet, non potest amplius retinere, numquid hoc mirum est? Ps. 76, 13

14. *Deus in sancto via tua, quis Deus magnus sicut Deus noster?* A sanctitate consilia ac facta divina et proficiscuntur et diriguntur omnia. Haec potissimum virtus in Idumaeorum iudicio tum Iudaeis tum gentibus apparuit. Neque haec sola, sed simul et fortitudo et potentia.

15. *Tu es Deus qui facis mirabilia. Notam fecisti in populis virtutem tuam.* Quae in Deo Israel et quantae virtutes essent, ne gentes quidem praeterire potuit.

16. *Redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Iacob et Ioseph.* Iudaeorum qui venditi erant conservatio vera fuit redemptio. Iosephi nomen adiectum est, tum propter Ephraim, qui regno Israel praefuit, tum propter Mardochaeum, natum ex Beniamin et Iosephi consanguineum, qui regna duo unius sceptri societate coniunxit.

Ps. 76, 17. [17.] *Viderunt te aquae Deus, viderunt te aquae et timuerunt et turbatae sunt abyssi.* Pro *timuerunt* Hebraeus et Hieronymus: *parturierunt.* Totam hanc carminis partem explicabimus, ut scriptam putamus, allegorice, exemplum auctorum sequentes fide dignissimorum [1]). Aquae sunt multitudines gentium. Mare antiquitus, quum a Deo adspiceretur, refugit, et retrorsum reversus est Iordanis. Illis autem temporibus aquae, i. e. gentium turbae, Domino conspecto, non sine pariendi doloribus proselytos ediderunt. Abyssi autem i. e. impiae Amalecitarum gentes conturbatae et in locum suum repulsae sunt.

[18.] *Multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes. Etenim sagittae tuae transeunt.* Hieronymus cum Hebraeo: *Excusserunt aquas nubila, vocem dederunt nubes, et sagittae tuae discurrebant.* Dominus iudex de coelo cum terrore tempestatis venit, e nubibus coniecit grandinem, *nubes percusserunt aquas,* aerem perculit tonitribus, *vocem dederunt nubes,* in hostes fulgura ut sagittas iaculatus est. cf. Ezech. 38, 22. et Somn. Mard.

[19.] *Vox tonitrui tui in rota, illuxerunt coruscationes tuae orbi terrae, commota est et contremuit terra.* Deus quasi hominis speciem gerens sedet in throno rotis imposito. Ezech. 1, 15. 26. Qui vel orbis vel terra dicitur, populus est Iudaicus. Is fulguribus collustratus, nihil tamen mali passus est.

[20.] *In mari via tua et semitae tuae in aquis multis et vestigia tua non cognoscentur.* Hebraeus et Hieronymus: *Et vestigia tua non sunt agnita.* Dominus quamvis strepentibus rotis per medios populos transveheretur, repentino tamen adventu Idumaeos impru-

---

1) Eusebii Augustini Bedae.

dentes oppressit. Nam ab illis omnia potius, quam Dei Ps. 76, 20.
vestigia sunt praevisa. Ies. 41, 3. *persequetur eos (iustus), transibit in pace (silentio), semita in pedibus eius non apparebit.*

21 *Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysis et Aaron.* Propheta hoc duxit simile ex pristino maris Iordanisque transitu. Qua potentia antea Moyse et Aarone ducibus Iudaeos ex Aegyptiorum manibus eripuisti : eadem nunc eos et ex insidiis Gagaeorum et ex ceterarum gentium incursionibus redemisti per Mardochaeum et Ezechielem [1]).

PSALMVS LXXVIII.

De Idumaeorum peccatis.

Vtrum David [2]) psalmi huius auctor sit, an Asaph [3]), an Ieremias [4]), an alius quis ex prophetis, non est nobis hoc tempore quaerendum. Namque huius scriptionis est, psalmos, qui ad rem Estherianam vel proprie spectare vel allegorice videntur, de ceteris depromere atque illa ex re quantum fieri potest collustrare. Quapropter de psalmorum argumentis magis quam de auctoribus erit disceptandum. Propheta autem, quod iddem in Ps. 73. fecit, usque ab eversione templi urbisque ruina repetit, ut perditissimorum hominum crimina quae et quanta sint, testetur. Sed si quaenam illa templi vel eversio vel violatio sit quaeritur, eadem prorsus est in

1) Beda: In manu i. e. in potentia Moysi et Aaron, non historialis, sed veri Moysi et Aaron.

2) Theodoretus.

3) Eusebius Athanasius.

4) Calmetius alii.

Ps. 78. hoc psalmo interpretum dissensio, quam in septuagesimo tertio esse diximus. Nam quidam eam vastationem templi arripuerunt, quae facta est a Romanis [1]). Quod quum facerent, dubitare possis, historicamne huius carminis sententiam, an propheticam sequi voluerint. Sed in refutanda hac quidem opinione Eusebius cum maiori ingenii acumine versatus est, quam in nova invenienda [2]). Etenim explosa opinione illa, ipse probare conatus est, Maccabaica tempora accuratissime hoc psalmo esse descripta. Qua quidem in re numquam tot tantosque esset sectatores nactus [3]), nisi qui de Maccabaicis rebus scripsit, huius quidem psalmi versus quosdam citasset [4]). Sed illos ut arbitror ab hac opinione revocare debebat, quod non modo violatio quaedam templi, sed urbis etiam memorata expugnatio atque eversio est. Quoniam autem Maccabaeorum aetate Hierosolyma eversa non sunt, idcirco illorum aetati nullo modo psalmus convenit. Quae quum ita sint, nihil aliud reliquum est, quam ut doctissimos auctores Chaldaeum, Syrum, Hilarium, Hieronymum secuti, exordium quidem de priore Hierosolymorum ruina, totum autem psalmum quum de Iudaeis exsulibus, tum de Idumaeorum peccatis poenisque esse statuamus [5]). Sed ad tempus Mardochaicum si hunc psalmum aptum consentaneumque habemus, iam per se constat, simul eum et ad redemptionem spectare et ad

1) Socrat. h. e. 1, 17. Iust. Mart. alii apud Apolinarium.

2) Eusebius in h. ps.

3) Athanas. Theodorus Augustinus Theodoretus Beda Euthymius alii.

4) I Macc. 7, 17.

5) Interpr. Syr. et Chald. Hilarius in ps. 136: Nam et alio psalmo manifestum est absolute eversionem gentis istius atque urbis prophetatam fuisse quum dicitur: Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum. Hieron. Brev. in h. ps. Ferrandus Dupin. Calmet alii.

iudicium ultimum. Neque vero silendum, eum, quoniam Ps. 78.
nullo diapsalmate distinctus est, tributum esse synagogae recitatumque a populo in prima persona pluralis.

1. *Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam.* Hebraeus, Aquila et Hieronymus: *posuerunt Ierusalem in acervos lapidum;* Symmachus: *in silvas, in saltus.* Primum exponuntur crimina, quae quum ab aliis gentibus tum praesertim ab Idumaeis et Sacis in Deum populumque eius commissa sunt. Est autem hereditatis invasio, inflammatio templi, urbis eversio. Iam eae iniuriae afferuntur, quae illatae sunt hominibus.

2. *Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus coeli, carnes sanctorum tuorum bestiis terrae.* Haec tanto erant atrociora, quanto in mortuos religio sanctior.

3. *Effuderunt sanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Ierusalem et non erat qui sepeliret.* Haec quamquam solos attingere homines videntur, tamen latius manant et ad Deum ipsum perveniant necesse est, quoniam huius servi illi clientesque erant. Sed dicta non acerbiora esse quam facta, nec ulla ex parte exaggerata, nimis manifestum est ex eo, quod Iudaei, qui ex urbe in templum ad Deum et ad altare confugerant, omnes promiscue nec ulla vel generis vel aetatis habita vel ordinis vel sexus ratione, caesi atque trucidati sunt.

4. *Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio et illusio his qui in circuitu nostro sunt.* Vicini mea sententia sunt sanguine coniuncti, alteri vero, qui in circuitu, vicinitate loci. Vicinos igitur vel proximos Idumaeos putaverim. His poeta expositis, Deum quum ad misericordiam in suos tum vero etiam ad iustitiam in Idumaeos commovere atque excitare coepit.

Ps. 78, 6. 5. *Vsquequo Domine irasceris in finem, accendetur velut ignis zelus tuus?* Ad novam haec calamitatem pertinent. In urbis expugnatione ceterisque proeliis maxima populi pars occisa, nos ad numerum pauci conservati. Sed num gladium videmur effugisse, ut laqueis Amanis capti pereamus?

6. *Effunde iram tuam in gentes quae te non noverunt, et in regna, quae nomen tuum non invocaverunt.* Exarsit ira tua in nos, qui nomen tuum denuo adorare colere atque invocare coepimus. Convertas igitur illam iram tuam a nobis in gentes, quae non modo te nominare vel venerari recusant, sed etiam nos omnibus propter te machinis persequuntur.

7. *Quia comederunt Iacob et locum eius desolaverunt.* De ruina urbis quum dictum sit antea, quis est, qui poetam iterum de ea mentionem fecisse credat? An praeferat quis interpretationem Hieronymi; *et decorem eius desolaverunt?* Iudaei ab Amane empti capitisque damnati, caesis omnino mortuisque similiores effecti sunt quam vivis. Terra sancta videtur esse campus ille quem vates refertum vidit ossibus aridis. Aman Iudaicum populum deformare ac devorare ausus est.

8. *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiae tuae, quia pauperes facti sumus nimis.* Symmachus cum Hebraeo: *Festina, praeveniant nos misericordiae tuae, quia infirmati sumus valde.* Iam sextus decimus annus fuit, ex quo patria relicta in exsilium ducti erant. Peccata igitur, quae vel ipsi vel patres commiserant in Iudaea, iure optimo vocari vetera possunt. *Festina* igitur, ne Amani, quod molitus est, ex sententia succedat. Misericordiae tuae nos amplectantur ac tueantur, ne forte nos strangulet is cuius in laqueo sumus.

9. *Adiuva nos Deus salutaris noster, propter gloriam*

nominis tui Domine libera nos et propitius esto pec- Ps. 78, 9.
catis nostris propter nomen tuum. Ne forte dicant in gentibus: ubi est Deus eorum? Hieronymus: *Quare dicunt gentes.* Nihil in nobis confitemur esse, cur hoc tanto beneficio tuo digni habeamur. Quin multa sunt, quod iustissimas ex nobis sumere poenas possis. Sed consideres precamur, id his agi temporibus, utrum ex interitu nostro nomen tuum afficiatur ignominia, an summam auctoritatem laudem gloriamque ex salute nostra consequatur.

10. *Et innotescat in nationibus coram oculis nostris ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est.* Scytharum caede eum Iudaei sanguinem ulti sunt qui ab istis, Hierosolymis captis, erat effusus. Hic versus maxime me in ea sententia confirmat, ut hunc psalmum ad Mardochaeum referendum censeam. Quod qui mihi minus consentire voluerint, videant, ubi et quando hoc vaticinium evenerit.

11. *Introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum. Secundum magnitudinem brachii tui posside filios mortificatorum.* Hebraeus: *filios mortis.* Iudaei, qui empti ab Amane mortisque vinculis constricti tenebantur, *vincti filiique mortis* non subtilius vocantur quam verius. Precibus, aiunt, benigne susceptis, magna tua virtute superstites facito, qui sunt venditi ad mortemque destinati. De vinctis mortuisque cf. Ies. 41, 4. 49, 9.

12. *Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi Domine.* Idumaeorum maleficia quae in nos diriguntur, etiam in te cadant necesse est. Quamobrem hanc eis poenam constitue, ut ad quod nos trahere supplicium volunt, ad hoc ipsi rapiantur.

13. *Nos autem populus tuus et oves pascuae tuae, confitebimur tibi in saeculum, in generationem et ge-*

Ps. 78, 13. *nerationem annuntiabimus laudem tuam*. A Mardochaeo nova generatio, quae est quinta, initium sumpsit, a Christo sexta vel ultima incipit. *In saeculum* igitur idem valet quod usque ad Iesum Christum; *in generationem* et *generationem* autem significat usque ad mundi finem. Iudaei Idumaica impietate devicta quanto studio ad laudandum Deum excitati, quo ardore inflammati sint, testes sunt qui exstant psalmi ipsi.

PSALMVS LXXIX.

Ad Susianos exhortatio.

Sive ad gravitatem sententiarum sive ad orationis ornatum attendo, hoc carmen in praestantissimis venustissimisque habendum arbitror. Sed quantum ceteris praestet, non potest prius aestimari, quam qua de re agat cognitum perspectumque sit. Qua quidem in re permulti quum errassent, ne suavitatem quidem coniunctam gravitati satis potuerunt percipere. Nam hoc carmen dum quidam in remota illa vel Davidis vel Salmanassaris tempora reiiciunt, alii ad recentissimum Antiochi regnum [1]) detrahere non dubitant. Sed quibus paulo acrius fuit ingenium, eis melius etiam temporis successit definitio. Nam Eusebius, Athanasius, Theodorus Heracleota, Theodoretus multique alii illud ad sublata Hierosolyma exsiliumque Babylonicum retulerunt [2]). Sed temporis rationes, ex quibus splendor eius et elegantia ac celsitudo fluxit, accuratius et ex eo ipso et ex inscriptione eius definiri possunt. Nam res quae hoc

---

1) Theodorus et Beda.

2) Eusebius Athanasius Theodorus. Heracl. Theodoretus Paraphrastes Graecus Euthymius Bellarminus Ferrandus Calmetius in h. ps.

carmine tractatur, indicio est, in Mardochaicis tempo- Ps. 79.
ribus illud quidem esse ponendum; quod iddem verba declarant inscripta. Est enim hic psalmus in eorum numero quartus, qui scripti sunt ad Susianos. Totus autem titulus huiusmodi est: *Ad invalescendum. Pro Susianis exhortatio testimonium. Synagogae cantus.*

2. *Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ovem Ioseph.* Hieronymus: *qui pascis Israel ausculta, qui ducis quasi gregem Ioseph.* Pastoris est, viam accurate nosse, omnia circumspicere ac religiosissime providere, ne quid greges sibi commissi detrimenti capiant. Quamobrem Israelitae quum ab Amane Idumaeisque circumvenirentur, pastorem suum obsecrant, ut ad ipsos velit animum attendere. Deus autem Israel quidem pascere, Ioseph vero ducere dicitur, propterea quod Ioseph tum principatum tenuit. Nam tribus Beniamin, ex qua Mardochaeus ortus est, maxime erat coniuncta cum Ioseph. Sed quod decem tunc tribus Israel ad Deum reversae sunt, omnes, ut saepius diximus, Iudaei plurimum gaudebant. Sed Beniamin quanto gaudio ex ea re complebatur, quod veterem cum Ioseph sanctamque illam renovare amicitiam potuit, quam patriarchae iam inter se intimam coluerant? Per multa enim saecula Ioseph, qui ceteris tribubus anteivit, caritatis vinculum illud dissolverat. Mutuum igitur et Ioseph et Beniamin ex eo gaudium ceperunt, quod post alterius discessum tam diutinum tamque infelicem in pristinam tum sanguinis tum religionis redire coniunctionem potuerunt. Vt autem Iosue Iosephi filius antiquitus Amalecitarum impetum reiecerat, sic tum eosdem hostes Mardochaeus omnino delevit.

2. *Qui sedes super Cherubim manifestare* 3. *coram Ephraim Beniamin et Manasse.* Haec verba explicari nisi ex visione Ezechielis non possunt. Neque enim a mysticis his animalibus foederis arca sustentata sed

Ps. 79, 2. obumbrata erat. At vero Deus ut ab Ezechiele iudex est conspectus, in solio sedit, quod in Cherubim rotisque nitebatur. Populi igitur precatio haec est, ut Deus *super Cherubim sedens* i. e. tamquam iudex appareat. Tribuum ordo communis Ephraim Manasse Beniamin non sine causa immutatus. Nam Beniamin locum medium inter filios Ioseph obtinet, ut et sanguinis amorisque indicetur societas et Beniamin habere inter eos principatum significetur.

3. *Excita potentiam tuam et veni, ut salvos facias nos.* Sollicitum de populi salute intendere, regis est; iudicis autem, sedentem super Cherubim in conspectum populi venire; excitata denique fortitudine adiuvare subvenire tutari, conservatoris ac propugnatoris. Sed rex in Iudaeis ac multo magis in Israelitis obedientiam desideravit, postulavit iustitiam iudex, emendationem morum conservator flagitavit. Has sibi virtutes a Deo ipso precari coeperunt.

4. *Deus converte nos et ostende faciem tuam et salvi erimus.* Post conversionem non amplius veriti, ne ex aspectu Dei mors sibi accidat, eum et ut iudicem videre et salvatorem habere desiderant. Quare nullam iam eorum exspectatio moram patitur.

5. *Domine Deus virtutum quousque irasceris super orationem servi tui?* Apud Hebraeos ceterosque interpretes Graecos pro *servi tui* exstat: *populi tui*. Quae scriptura praeferenda videtur, quamquam se etiam populus appellare Dei servum potest.

6. *Cibabis nos pane lacrimarum et potum dabis nobis in lacrimis in mensura?* Chaldaeus: *vino lacrimarum tripliciter.* Hieronymus: *potasti nos in lacrimis tripliciter.* Hebraeus: *magna lacrimarum mensura.* Pro peccatis poenam suscepimus amarissimam, tertium iam mensem flevimus, tres dies totidemque noctes sine ulla

intermissione cum ieiunio multisque lacrimis ad te clamamus. Ps. 79, 6.

7. *Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris et inimici nostri subsannaverunt nos.* Oppugnant vicini ac consanguinei nostri Idumaei, irrident Amalecitae homines inveterato odio et obstinata inimicitia.

8. *Deus virtutum converte nos et ostende faciem tuam et salvi erimus.* Verba ex v. 4. repetit, primam carminis partem concludens.

9. *Vineam de Aegypto transtulisti, eiecisti gentes et plantasti eam.* Hebraeus et Septuaginta: *vitem*, quo verbo nihil potest esse aptius ad unum populum uno patre natum indicandum, nihil accommodatius. Prophetae simile iddem ex vite duxerunt, ut docerent, populus Iudaicus quantum gentibus praestaret, et quibus beneficiis Deo esset ad ferendos fructus obstrictus.

10. *Dux itineris fuisti in conspectu eius, plantasti radices eius et implevit terram.* verba Hebraica: *scopasti in conspectu eius*, tam simplicia sunt, ut, etsi non displiceant, tamen nec a Graecis ita nec a Latinis transferri potuerint. Quamobrem Symmachus: *Amovisti in conspectu eius*, posuit, et Hieronymus: *Praeparasti ante faciem eius*.

11. *Operuit montes umbra eius et arbusta eius cedros Dei.* Hieronymus: *Operti sunt montes umbra eius et ramis illius cedri Dei.* Quae tamen probata mihi non sunt propter rationes quas dicunt aestheticas. Nam secundum membrum non modo ad sententiam nihil adfert novi, sed totam orationem debilitat. Quamobrem hanc equidem interpretationem praefero: *et rami eius cedri roboris i. e. robustae.* Vitis, radicibus sanis firmisque a Deo plantatis, quum totam planitiem occupasset, ascendit ad altitudinem montium, quoniam rami eius ad numerum duodecim ut cedri erant alti, fortes ac firmi.

Ps. 79, 12. 12. *Extendit palmites suos usque ad mare et usque ad flumen propagines eius.* Symmachus et Hieronymus: *extendit capillos (comas* i. e. *claviculas).* Haec comparatio ita est et sententiis crebris acutisque ornata, et verbis tam apta ac pressa, ut prorsus nesciam, utrum sententiarum magis frequentia admiranda sit, an verborum suavitas. Primum igitur vitis, ut dictum est, totam terram implevit crevitque in altum, ita ut ingentibus ramis montes obumbraret, tum Davide regnante una et claviculas suas usque ad littora maris extendit et propagines misit usque ad Euphratem [1]).

13. *Vtquid destruxisti maceriam eius et vindemiant eam omnes qui praetergrediuntur viam.* Primum vitem uvis ramulisque nudarunt Idumaei, et hi quidem saepius, deinde Assyrii, tum Chaldaei.

14. *Exterminavit eam aper de silva et singularis ferus depastus est eam.* Hieronymus: *Vastavit eam aper de silva et omnes bestiae agri depastae sunt eam.* Aman *ferocissimo apro*, Amalecitae *belluis solivagis* (μονίοις) comparantur, quo quid potest esse dictum significantius? Nam his verbis quodammodo depingitur, Aman quis fuerit, quae eius patria ac vivendi agendique ratio. Fuit enim Iudaeis maiale invisior non modo propter gentem, sed etiam propter inimicitias turpitudinesque gentiles. Vagabantur autem Sacae per silvam ac per loca deserta, qua de causa etiam in aliis psalmis vel solivagi vel nomades appellantur. Aman autem in Iudaeos coepit furere tamquam belua. Vitem ceteri quidem inimici spoliare voluerunt, hic radicitus tollere.

15. *Deus virtutum convertere, respice de caelo et vide et visita vineam istam* 16. *Et perfice eam quam*

---

1) Chaldaeus fluvium dicit Euphratem.

plantavit dextera tua et super filium hominis quem Ps. 79, 16.
confirmasti tibi. Hieronymus versum 16. hoc modo: *et radicem quam plantavit dextera tua et filium quem confirmasti tibi.* Antea populus: *converte nos* precatus est, nunc: *convertere;* antea: *ostende faciem tuam,* nunc: *respice vide;* antea: *et salvi erimus,* nunc: *visita vineam.* Vitis quamvis ab Amane vastata ac paene perdita sit, incolumis tamen salvaque radix remansit, qui est Mardochaeus, qui totam vitem in antiquum statum restituit. Haec transferri debent ad Christum, qui quasi radix est ac germen totius generis humani.

17. *Incensa igni et suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt.* Pereant Idumaei igni accenso et sub terra abscondito, qui repente erumpens imprudentes consumit, pereant vultu iudicioque tuo. Sed nec silvarum illi quos dixit, nec tenebrarum incolae ex ea quam sibi arrogaverant potestate expelli possunt, nisi prius victi superatique sint per hominem. Quamobrem propheta Deum precatur, ut virtutem tribuat Mardochaeo, divinam naturam suam Christo.

18. *Fiat manus tua super virum dexterae tuae et super filium hominis quem confirmasti tibi.* Verbis illis: *virum dexterae* poeta elegantissime designat Mardochaeum *filium* Iamin i. e. *dexterae*, quae quidem ad utrumque et Mardochaeum et Christum spectant. Est enim filius hominis eorum uterque, sed alterum sibi Deus confirmavit gratia, alterum sua natura ipsa.

19. *Et non discedimus a te, vivificabis nos et nomen tuum invocabimus.* Populus numquam se a Domino discessurum pollicetur. Vivificandi et redimendi verba in his psalmis propriam vim habent, quoniam tum et venditi erant Iudaei et capitis damnati.

20. *Domine Deus virtutum converte nos et ostende faciem tuam et salvi erimus.* Haec verba ut antea ite-

Ps. 79, 20. rata primam partem, si nunc denuo repetita totum carmen accommodate ornateque concludunt.

PSALMVS LXXX.

De festo die sortium.

Hunc psalmum in numero eorum habemus, qui sunt gravissimis difficultatibus implicati. Nam ad eum explicandum quae et quam accurata Iudaicarum rerum cognitio necessaria sit, si minus ex obscuritate verborum sententiarumque abscondita coniunctione perspicuum est, certe colligi ex incredibili interpretum discrepantia potest. Totam enim illi Iudaeorum peragrarunt historiam. Quidam ad Iosephi usque patriarchae aetatem hunc psalmum reiicere conati sunt. Alii eum in Davidis regno reponere atque ad translationem arcae referre non dubitarunt. Fuerunt etiam, et in hoc quidem numero homines sunt rerum gestarum peritissimi, ut Theodorus, ut Theodoretus Paraphrastes Graecus Beda Ferrandus, qui collocandum eum in Babylonicis temporibus dicerent [1]). Neque defuerunt, qui temporis rationes, unde hic psalmus manavit, inquirere aut definire vererentur. E quibus alii eum allegorice retulerunt ad vocationem gentium Iudaeorumque reprobationem [2]), alii ad mensem Tisri et festum tubarum [3]), alii ad solemnes tabernaculorum dies, alii denique eum in universum ad eiusmodi dies festos traxerunt. Sed in hac tanta varietate si, quam potissimum sequi debeamus sententiam, quaerimus, haud fere possumus, quin sectemur eam, quae est de Ba-

1) Theodorus Theodoretus Paraphr. Graec. Beda Ferrandus.
2) Eusebius Athanasius.
3) Hieronymus Eusebius ad v. 24. Calmetius.

bylonicis temporibus, quaeque auctoritate nititur optimorum interpretum. Et psalmus ipse profecto, si diligentius examinatur, quid aliud est, quam elegantissima ad festos illos dies sortium celebrandos exhortatio? Quae quidem tanta cum subtilitate et arte scripta est, ut facile omnia quae huius generis sunt vincere videatur. Nam singulari cum acumine et brevitate poeta comparationes instituit inter Iosuam et Mardochaeum, inter primum bellum Amaleciticum et ultimum. Qua quidem re quid potuit esse ad dies sortium vel instituendos vel commendandos efficacius? Sed ad sententiam nostram probandam haud parvi momenti est inscriptio: *pro torcularibus.* Intelligenda enim ea sunt torcularia quae calcavit Mardochaeus, quum Sacas interficeret. Ps. 80.

2. *Exsultate Deo adiutori nostro, iubilate Deo Iacob.* Populum propheta adhortatur, ut Deum laudet, non alienum et exterum, sed Deum Iacob, qui contra Edom tam propinquus sibi fortisque fuit adiutor. *Exsultate, iubilate,* nam nunc nobis hoc munus suscipiendum est, ut gratias Domino iustissimas agamus ac tanto beneficio dignas.

3. *Sumite psalmum et date tympanum, psalterium iucundum cum cithara.* Aquila: *levate melodiam,* Symmachus: *suscipite canticum.* Sed facite quod decet, monstrate modos, tympanum pulsate, tangite dulcem citharam cum nablio. Nam post acceptam ex Idumaeis victoriam quid tam iustum tamque aequum ac conveniens est, quam ad animum gratum moderatam vocem, ad vocem autem suavissimum instrumentorum sonum adiungere?

4. *Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestrae.* Hieronymus: *Clangite in neomenia buccina, in medio mense, die solemnitatis nostrae.* Neque enim potest tuba ullo modo deesse, quas omne ad convivia convocentur. Est enim hic quidem חדש

Ps. 80, 4. *novus mensis*, in quo non sumus antea dies festos agere soliti. Canite autem non in principio mensis Adar, sed *in medio mense*, nam institutum est, ut sortium dies sint quartus decimus et quintus decimus. Neque vero hi quidem dies minus quam scenopegia digni existimantur, qui appellentur *dies solemnitatis*. Nam Moyses, etsi tantummodo in festis tabernaculorum diebus ut tuba sonarent praecepit, tamen prophetarum princeps quum esset, providit, ne novis his diebus tubarum festivitas desideraretur.

5. *Quia praeceptum in Israel est et iudicium Deo Iacob.* Etenim lata a Deo lex est, ut omnes his diebus tubarum sonum ad convivia congregarentur. Sed fortasse quispiam dubitat, num veri simile sit, datam a Moyse legem esse de diebus sortium, quos Mardochaeus esset post tot saecula instituturus. Quid vero? idem Moyses non regnum praevidit apud Israelitas? non maxima ex eo incommoda ante nuntiavit? nonne leges regi scripsit et populo? Quid mirum igitur, si *epulas*, si *festos dies*, si *novum mensem* ante cognovit, quam ea essent instituta? Quid si iubente Deo imperavit, ut in his ipsis sortium diebus tuba sonaretur? An haec eius verba aliter possunt explicari: *Si quando habebitis epulum (Mardochaicum) et dies festos (sortium) et calendas* (חדש *mensem novum Adar*), *canetis tubis super holocaustis (sacrificiis* Hebr.) *et pacificis victimis (LXX. sacris salutis vestrae*, Hebr: *sacrificiis vel epulis eucharisticis), ut sint vobis in recordationem Dei vestri (LXX: et erit vobis recordatio coram Deo vestro). Ego Dominus Deus vester* [1]). Quid igitur? Moyses quum nominatim non posset dies Mardochaicos afferre, quomodo eos accuratius significare potuit, quam trium horum verborum copia

1) Numm. 10, 10.

et varietate: *epulae, dies festi, mensis novus* ac praecipue prophetica illa futuri temporis significatione *(aliquando habebitis)*? Et sortium convivia quibus verbis potuit definire concinnius, quam quibus usus est: *sacrificia quae tota offeruntur totaque consumuntur, epulae vel salutis vel eucharistiae*? Ac novae solemnitatis finis: *et erit vobis recordatio coram Deo vestro*, qui potuit magis definite commonstrari? Sed quod prior praecepit legislator, id animis denuo inculcavit posterior: *Sepeliet eum (Gog) omnis populus terrae et erit eis nominata dies, in qua glorificatus sum, ait Dominus Deus* [1]). Vere igitur poeta de diebus sortium praeceptum in Israel legemque esse dixit. Ps. 80, 5

6. *Testimonium in Ioseph posuit illud cum exiret de terra Aegypti.* Hebraeus: *revelationem in Ioseph posuit illam.* Sed quid est, de quo Deus Iosephum voluit habere testem? Estne proelium illud celeberrimum, quo penitus Amalecitae deleti ac necati sunt? estne gloriosa illa victoria quam in latissimo Medorum imperio Mardochaeus est adeptus? Nonne Moysi a Deo est mandatum: *Scribe hoc ob monimentum in libro et trade auribus Iosue (filii Ephraim, filii Ioseph): Delebo enim memoriam Amalec sub coelo.* Hoc autem adiecit vaticinium: *Dominus refugium meum, quia in manu abscondita dimicat adversus Amalec e generationibus in generationes* [2]). Sed haec divina promissa huius psalmi auctor ita ad poeticam orationem revocat, ut, nec Amalecitarum extinctione nec victoria Iudaeorum diserte commemorata, divinum auxilium extollat, quod antecessit illam victoriam tamquam

1) Ezech. 39, 13.
2) Exod. 17, 14. s. sec. LXX.

Ps. 80, 6. causa efficiens. Deus igitur ad Iosephum huiusmodi testimonium retulit poeticis verbis conceptum.

6. *Linguam quam non noverat audivit.* Ioseph i. e. Iosue vaticinium audivit de delenda Amalecitarum memoria. Sed quod apostolis ante Spiritum sanctum acceptum saepius accidit, huic quoque usu venit, ut verba audiret, sententiam vaticinationis non assequeretur. Hebraeus: *Labium i. e. sermonem vel cantum, quem non noveram, audiam.*

7. *Divertit ab oneribus dorsum eius, manus eius in cophino servierunt.* Hebraeus Symmachus et Hieronymus: *Subduxi ab onere humerum eius, manus eius a cophino liberatae sunt.* Quemadmodum et in Aegypto et ad montem Horeb tibi auxilio fui, sic tibi nunc quoque subveniam, ubi depressum te video ab Amalecitis.

8. *In tribulatione invocasti me et liberavi te, exaudivi te in abscondito tempestatis, probavi te apud aquam contradictionis.* Aquila et Hebraeus: *exaudiam te in abscondito tonitrui.* Iudaeos Deus excitavit per Mardochaei litteras. Hostes, ut promiserat, *manu occidit abscondita,* imprudentes, repente, noctu, in coena. *Probabo te super aquas contradictionis.* Vt enim ad montem Horeb, inquit, Iudaeos repentino impetu Amalecitarum in proximum periculum adduxi atque Iosua duce Iosephi filio liberavi: sic illos hoc tempore tentare, sic probare in animo est, quum eos eisdem ab Amalecitis vinci ac paene tolli patior, sed, Mardochaeo pastore ac rege, ex istorum faucibus probatos eruturus sum. Probabo te, sicuti feci ad montem Horeb super aquas contradictionis [1]). Iam Dei verba propheta referre ad populum coepit.

1) Exod. 17.

9. *Audi populus meus et contestabor te, Israel, si* Ps. 80, 9.
audieris me 10. *non erit in te deus recens neque adorabis deum alienum.* 11. *Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, dilata os tuum et implebo illud.* Haec verba Deus ad populum fecit, quum eum ex Aegypto educeret. Mihi, inquit, si obedire ac parere voles, neque in superstitionis turpitudinem incides neque in ullas calamitates delaberis. Servum te redemi, foedus tecum ici, leges ac praecepta dedi. Sed doctrinae plus si desiderabis; me eum esse scias, qui omni desiderio tuo satis superque facere possim. *Dilata os tuum.* Cf. Ps. 118, 131.

12. *Et non audivit populus meus vocem meam et Israel non intendit mihi.* 13. *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* Futurum: *ibunt* non consilium illud quidem declarat dimissionis, sed id quod necessario ex dimissione sequitur. *Dimisi eos et ita factum est, ut ambularent.* Quum populum non haberem quam gentes parentiorem, dimittere eum cupiditatibusque suis tradere constitui. Itaque aliter fieri non potuit, quin in maxima vitia incurreret.

14. *Si populus meus audisset me, Israel si in viis meis ambulasset.* Hieronymus verius et nervosius: *Vtinam populus meus etc.*

15. *Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem et super tribulantes eos misissem manum meam.* Quod septuaginta reddiderunt *pro nihilo,* id verius vel Symmachus *in minimo (tempore)* vel Chaldaeus et Syrus *brevi* interpretati sunt. Vtinam populus mihi meus obtemperasset, omnes ego quam brevissimo tempore ad montem Horeb Amalecitas et Amorraeos in Palestina radicitus delevissem. Verum proh dolor, non paruit.

16. *Inimici Domini mentiti sunt ei et erit tempus eorum in saecula.* Haec non facillima sunt ad expli-

Ps. 80, 16. candum. Intelligendi *inimici Domini* sunt Amalecitae aut Amorraei, qui ante Israelitas terram incoluerunt. Semel eos in tota historia mentitos Israelitis esse legimus. Nam Gabaonitae, impii illi Amorraei [1]), qui postea Sacae Amurgici appellati sunt, dolo malo Iosuam totumque populum fefellerunt. *Et factum est* (Hebr. et Syr.) *tempus eorum in saecula.* Istos ego statim e medio sustulissem. Sed populus quum mihi credere nollet, ab eis est deceptus. Qua re factum, ut Amorraei isti et Amalecitae per novem saeculorum decursum gentem suam propagarent et nunc populum Iudaicum vocare in proximum discrimen conarentur. Sed e contrario Israelitae ex periculo erepti, istos ipsos omnino sustulerunt.

17. *Et cibavit eos ex adipe frumenti et de petra melle saturavit eos.* Quemadmodum in deserto Deus suos manna coelesti cibo illo aluit et aqua excitata ex saxo refecit, ut hostes Amaleciticos vincerent: sic, victis istis, iam eos non aqua de petra sed dulcissimi convivii melle recreare constituit. Plenum haec quidem perfectumque exitum habuerunt in sacrificio convivioque eucharistico. Nam liberatio Iudaeorum significatio fuit redemptionis et resurrectionis omnium. Vt tubae die sortium sunt adhibitae, sic ad missarum solemnia sacri aeris usus accessit. Praeterea in ultimi quoque diei descriptione facta tubarum mentio est [2]).

---

1) II. Regg. 21, 2.
2) Math. 24, 31. I. Cor. 15, 52. I. Thess. 4, 15.

PSALMVS LXXXII.

De innumerabilium hostium conspiratione.

Ferrandus in libris sacris commemoratum negat ullum esse bellum in quo tantus inimicorum afferatur numerus, quantus in hoc psalmo. Populi enim qui contra Iudaeos arma ceperunt, numerantur undecim. Quamobrem referri hunc psalmum non convenit ad rem, quae a duobus vel tribus hostilibus gentibus contra Iudaicum nomen suscepta sit. Quaerenda potius est quaedam res, quae vel ab Iudaeorum hostibus in universum gesta sit vel a variis gentibus ab una natione exagitatis. Et eius prorsus generis Theodoretus illud bellum esse reperit, quod a Ioele ceterisque vatibus praedictum sit et a Gog et Magog inlatum Iudaeis perhibeatur [1]). Ac doctissimo huic interpreti duo historiae peritissimi homines assenserunt Theodorus et Euthymius [2]). In qua quidem eorum sententia et ego pluribus de causis permaneo, quod huic psalmo haud fere ullum proelium aliud congruit, et quod ad eum hoc ipsum bellum Gagaicum omni ex parte aptum accommodatumque est. Nam quum tantus eorum numerus esset, qui Amane duce Iudaeis arma inferrent, is qui de re Estheriana scripsit, hostes illos quidem Iudaeorum indefinite dicere quam omnes nominatim introducere satius existimavit. Sed qui simpliciter hostes appellati sunt, eos in primis Amalecitas fuisse et Idumaeos, satis diligenter, ut arbitror, supra a nobis est expositum. Cum his porro Horraeos vel Amorraeos coniunctos fuisse,

1) Theodoretus in h. ps.
2) Theodorus et Euthymius.

Ps. 82. tum aliis rationibus constat tum ex Ps. 80, 16. exploratum est. Sed permultos alios fuisse Amanis socios, certissima quidem coniectura cognoscitur; nec tamen illi quinam fuerint et ex quibus gentibus nati, indagari umquam potuit. Quae quum ita sint, hic psalmus, quanti in historia momenti sit, vix satis poterit aestimari, quum in eo omnes insidiatores Iudaeorum nominatim afferantur. Sunt autem, ut dixi, gentes undecim. In quibus primum locum tenent Iudaeorum consanguinei eidem atque adversarii omnium acerbissimi Idumaei. Septimam autem sedem habent Amalecitae inimicitiarum omnium principes ac seminatores, ultimam denique ignavi illi Iudaeorum deceptores ac servi Horraei. Propheta autem in hoc carmine scribendo primum id agit, ut hostium insidiae quales sint exponat, et quanta eorum malitia. Deinde Deum orat atque rogat, ut si ex Amalecitis Madianitisque magnas antea severasque poenas sumpserit, nunc crimen nullum in eis impunitum aut inultum relinquat. Sed quod interpretum opiniones attinet, ei quorum nomina attulimus, psalmum ad Gog et Magog revocarunt. Atque eis quidem re magis quam verbis assentiunt Athanasius et Eusebius, qui cum Assyriis eisque hostibus vindicarunt, a quibus Hierosolyma deiecta ac deleta sunt [1]. Sed ab his qui discesserunt explicatores recentiores inani labore totam historiam a Davide usque ad tempora Maccabaica lustrando peragrarunt.

2. *Deus quis similis erit tibi? ne taceas neque compescaris. Deus.* Pro: *quis similis erit tibi* Hebraeus et Hieronymus: *ne silentium tibi.* Sed vix ferenda videtur triplex repetitio: *ne taceas, ne sileas, ne quiescas.* Hoc autem exordium *quis similis tibi* et haec quidem

1) Athanasius et Eusebius in h. ps.

peroratio *tu solus altissimus*. quam apte inter se, quam Ps. 82, 2.
eleganter consentiunt? Nemo tam magnus et excelsus, quem vereri debeas; quis tam potens, quem timere possis? et tamen etiam in hostium toleranda superbia quam te singularem eximiumque praestas? Sed ne diutius iam humilis summissusque esse velis.

3. *Quoniam ecce inimici tui sonuerunt et qui oderunt te extulerunt caput*. Pro *sonuerunt* Symmachus et Hieronymus: *tumultuati sunt*. Aquila: *una sonuerunt* i. e. *conspirarunt*. Amalecitas inimicos Dei esse, saepius iam dictum. Considera, ait poeta, qui antiquitus bellum tibi facere ausi sunt, denuo conspirant ac contra te tum impia arma tollere tum superbissima capita efferre conantur.

4. *Super populum tuum malignaverunt consilium et cogitaverunt adversus sanctos tuos*. Hebraeus: *Super populum tuum inierunt secretum et deliberaverunt de absconditis tuis*. Clam Aman consilium cepit, ut Iudaeos omnes necaret; clam a rege, ut istud sibi facere liceret impetravit; clam per totam Asiam misit litteras; clam socii eius, quod mandatum erat, perficere constituerunt. Consilium igitur ceperunt secretum deliberaveruntque de rebus occultis quas a se posse Deum ipsum celari putaverunt.

5. *Dixerunt: Venite et disperdamus eos de gente et non memoretur nomen Israel ultra*. Nemo umquam hostium rem est tam atrocem machinatus, ut Israelitas ad unum omnes excideret ac nomen Iudaicum ex lingua hominumque memoria tolleret; neque Sesac aut Nechao, neque Benadad aut Hazael, aut Nabuchodonosor tam scelestam tamque nefariam rem umquam moliti sunt. Nusquam igitur nisi in uno Amane haec tanta reperta est impietas.

6. *Quoniam cogitaverunt unanimiter, simul adver-*

Ps. 82, 6. *sum te testamentum disposuerunt.* Hieronymus: *contra te foedus pepigerunt.* Ad communem conatum Aman gentes omnes una litterarum significatione convocavit. Nam per litteras imperavit, ut die una omnes armati in Iudaeos irruerent. Quam ad rem ei omnes prompti paratique erant, quorum nunc nomina afferuntur.

7. *Tabernacula Idumaeorum et Ismaelitae, Moab et Agareni.* Hi quidem omnes ab Assyriis Chaldaeisque devicti sedibusque suis expulsi, deducti erant una cum Iudaeis et Israelitis vel in mediam Asiam vel in septentrionem. Idumaei et Ismaelitae iam antiqua amicitia sociati. Cum Idumaeis saepius etiam Moabitae coniuncti. Sed videtur notatu dignum, quod Agareni, quorum interdum in libris sacris mentio est, a Chaldaeo vocantur Hungari. Aliquam Hungaris fuisse cum Scythis societatem, iam ex eo sumus suspicati, quod Hungari etiam nostra aetate Semitice loquuntur. Saeculo quarto eos ex Asia una cum ceteris gentibus migrasse in Europam constat. Neque vero multum Hungari et Hunni inter se differre videntur.

8. *Gebal et Ammon et Amalec, alienigenae cum habitantibus Tyrum.* Gebalitae antea Petram Arabiae urbem incoluerant. Alienigenae Philistaei sunt. Phoenices esse in exsilium translatos, plures auctores sunt. Amalec, ut Lamech, septimum locum obtinet, quoniam hic partes similitudinesque daemonis gerit hominumque perditorum, qui septima aetate mundi Antichristi socii futuri sunt.

9. *Etenim Assur venit cum illis, facti sunt in adiutorium filiis Lot.* Hebraeus: *Assur sese coniunxit cum eis.* Non mirum, quod etiam Assyrii ad Amanis conspirationem accesserunt. Nam ad eos quoque litterae perlatae. Praeterea ab Amane antea ex obsidione liberati, nunc huic rursus et dexteram tendunt et prae-

sidium suum pollicentur. Sed in altero membro huius Ps. 82, 9.
versus videtur esse mendum, quod etsi a multis animadversum, tamen tolli a nullo dum potuit. Neque enim alii sunt filii Lot nisi Moab et Ammon, qui iam sunt antea commemorati. Vnde coniici debet, Lot nomen esse corruptum. Quod si emendare volemus, videndum erit, sintne alii Idumaeorum socii, qui in hac enumeratione praetermissi videantur. Et statim in mentem veniunt Horraei filii Seir, qui cum illis ita erant inde ab antiquissimis temporibus copulati, ut nomen eorum etiam ad illos transferretur. Quamobrem probabile est Horraeos hoc loco a poeta esse nominatos. Pro tota autem gente positum videtur nomen primogeniti לוטן *Lotan*, unde, abiecta littera ultima, librariorum incuria ortum est לוט *Lot*.

10. *Fac illis sicut Madian et Sisarae, sicut Iabin in torrente Cisson.* 11. *Disperierunt in Endor, facti sunt ut stercus terrae.* 12. *Pone principes eorum sicut Oreb et Zeb et Zebee et Salmana.* Qui nominati sunt, ei omnes, ut Sacae, sepulturae honore caruerunt. Erant autem, non modo Madianitarum duces, sed etiam Amalecitarum. De eis a nobis dictum est in rebus Idumaicis.

12. *Omnes principes eorum* 13. *qui dixerunt: Hereditate possideamus sanctuarium Dei.* Hebraeus: *tabernacula Dei.* Hieronymus: *pulchritudinem Dei.* Verba quae ex inimicorum ore excidunt, eamdem semper prae se impietatem ferunt. Modo aut esse Deum aut omnia conspicere negant, modo ab eo Mardochaeum praedicant derelictum, modo expetunt terram sanctam, modo Iudaicam desiderant religionem ceremoniasque tollere, modo templum Dei sibi deisque suis vindicare volunt.

14. *Deus meus pone illos ut rotam et sicut stipulam ante faciem venti.* Deus ad iudicium veniet ar-

Ps. 82, 15. matus fulgure et tempestate. Primum igitur hostes ventorum ac tempestatum vi compellet.

15. *Sicut ignis qui comburit silvam et sicut flamma comburens montes:* 16. *ita persequeris illos in tempestate tua et in ira tua turbabis eos.* Neque vero aliter ad ultimum habendum iudicium Dominus in mundum processurus est. Apparebit enim cum nubibus coeli.

17. *Imple facies eorum ignominia et quaerent nomen tuum Domine.* Inimici Domini adventu fracti ad eius pedes sese supplices proiicient; nec tamen tunc fieri poterit, ut indulgentiam consequantur.

18. *Erubescant et conturbentur in saeculum saeculi et confundantur et pereant.*Qui seditionem erant contra Dominum moliti, ei necesse erat summa cum ignominia caderent. Cf. Ps. 34, 26.

19. *Et cognoscant quia nomen tibi Dominus, tu solus altissimus in omni terra.* Hieronymus accuratius: *Et sciant quia nomen tuum est Dominus solus tu excelsus super omnem terram.* Cognoscere ex factis idem est atque experiri. Hostes quia vehementer sese extulerunt, idcirco graviter cadent. Itaque experientia docti intelligent Deum et iudicem esse et Dominum et altissimum omnium.

PSALMVS LXXXIII.

De desiderio patriae.

Iustus vehementissimo dolore affectus, hostes omnia vidit machinari, ut, necatis Iudaeis, montem Sion per vim ac fraudem occuparent. Ps. 82, 13. Quare ut magna accensus in Iudaeos caritate, sic etiam summa est ad montem Sion revertendi cupiditate inflammatus 2-5. Sed quum nondum essent Idumaei deleti et Iudaei etiam

tum sub Amanis sorte tabescerent, fore dicit, ut iusti matrem adipiscantur Estheram, ut intereant prorsus inimici, ut ex Sion Deus iudicatum veniat. Quae quamvis ut futura certaque ante denuntiat, tamen eadem putat quasi beneficia a Deo petenda 6-9. Sed pro infinita Dei et bonitate in suos et misericordia sese non modo redemptionem illam, verum etiam reditum in patriam pro certo exspectare fatetur 10-13. Haec quidem de argumento. Iam vero si de huius psalmi tempore quid veteres senserint, quaerimus: cum Iudaeis exsulibus plerique et doctissimi interpretes attribuerunt. Ita enim prorsus Athanasius Basilius Diodorus iudicaverunt, Theodoretus Theodorus Heracl. Beda Euthymius permultique alii [1]. Neque vero ad horum comprobandam sententiam nullius momenti est inscriptio: *pro torcularibus,* quae ad caedem spectat Idumaeorum. Sed interpretationem Graecam et ex ea quae sumpta est Latinam si quis perlegerit, mirum ei fortasse videbitur, quid sit quod hic psalmus illam nactus sit inscriptionem. Neque enim vestigium in eo Idumaicae caedis inveniet ullum. At idem si ad Hebraicam accesserit veritatem, nonne statim intelliget, ad sententias titulum illum quidem esse aptissimum? Eadem ratione hic psalmus qua 61. distributus est. Nam diapsalmatis duobus interpositis, partitus est in strophas tres, quae versibus quaternis constant. Ps. 83.

2. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum.* Mardochaeus quanta in suos caritate incensus fuerit, facillime ex eo aestimari dolore potest, quem ex Amanis consilio litteris machinationibusque percepit. Sed quantacumque in eo caritas fuit, tamen ea quomodo cum infinito, cum divino illo amore est comparanda, quo

1) Athanasius ad v. 11. Basilius Diodorus Theodoretus Theodorus Paraphrastes Graec. Beda Euthymius Calmet. Di-Vence.

Ps 83, 2. in nos animus flagravit Christi? Nam hic ut nos Deo patri suo reconciliaret, relictis splendidis illis coeli domiciliis humanaque natura sumpta, num Deus inter mortales morari ac sanguinem vitamque effundere dubitavit? *Tabernacula Dei* ita accepimus, ut populum sanctum intelligeremus. Sed populus ille certis finibus circumscriptus templum Dei Hierosolymis primum, deinde Romae et ubique terrarum constituit.

3. *Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini; cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.* Hebraeus: *cor meum et caro mea vagient.* Atria Domini vocantur interdum synagogae, quas etiam proselytis ingredi licebat. At vero hoc loco non synagogae sed templum ipsum intelligendum est. Deus Iudaeorum *vivus* est, qui mortuos sepultosque potest vivos facere, dei gentium contra mortui sunt.

4. *Etenim passer invenit sibi domum et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos, altaria tua Domine virtutum rex meus et Deus meus.* Babylonico tempore Deus ut populum sic etiam sedem suam domiciliumque reliquisse visus est. Nam conflagrato templo, in ipsis altaribus nidos suos passer et turtur (Hieron. *avis*) collocasse dicuntur. De verbi *altaria* cum superioribus coniunctione v. Eusebium et Bedam [1]). Prophetae ad vastata et eversa falsorum deorum fana describenda introducere impura et fera animalia solent. At de altari veri Dei quum poeta loquitur, pietate ac verecundia adductus est, ut mansuetas nominaret aves hominumque amantes.

5. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.* Hebraeus: *Beati habitatores domus tuae, adhuc laudabunt te.* Prophetae

1) Eusebius et Beda in h. l.

animus summo moerore affectus certissima spe erigitur, Ps. 83, 5.
fore ut in patriam populus reversus templum restauret.

6. *Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit.* Hieronymus: *beatus homo, cuius fortitudo in te est.* Adam *homo* nomen collectivum, et ob eam causam, quae sequuntur, pluraliter elata. *Semitae (viae altae munitae regales) in corde eorum.* Poeta *vias* si dicit, leges intelligi vult, quas in omnibus rebus beati illi tamquam normas sequuntur [1]). Sententia igitur haec est: beati homines quorum fortitudo in te, et quorum in cordibus leges tuae.

7. *In valle lacrymarum, in loco quem posuit.* Hebraeus Aquila et Hieronymus: *Pertranseuntes in valle fletus fontem ponent eam.* Antea Gabaonitas commemoravimus usos dolo malo esse in Iudaeos, eorum autem posteros fuisse ipsos, qui populum a patria extorrem in summum discrimen vocarent. Eiusdem rei poeta mentionem hoc loco facit. Nam vallis lacrimarum quid aliud est, quam locus ille, quo populus, foedere cum Gabaonitis facto, graviter vituperatus ab angelo vehementissime flere coepit? Affirmavit enim eis angelus se eo animo esse, ut quibuscum foedus icissent eos prorsus delere nollet, ne eis umquam deessent hostes [2]). Sed beati illi homines quum propter eosdem hostes plurimas itidem lacrimas fundunt, per eumdem lacrimarum locum iterum transire videntur; eum autem quodammodo circumeundo evitant, quum, quos maiores foedere facto reliquerant, radicitus tollunt. Fontem autem, qui se salvos incolumesque faceret, a Deo nacti sunt Estheram.

1) Dan. 3, 31. *et viae eius iudicia.*
2) Iudic. 2, 5.

Ps. 83, 8 ⁸. *Etenim benedictionem dabit legislator.* Pro *legislator* Aquila *matutinus.* Vocatur autem matutinus Mardochaeus et Christus, quorum alter matutino tempore salutem servavit, alter vitam recepit. Horum igitur uterque efficiet, ut id quod mandatum est ex votis succedat.

⁸. *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.* Hebraeus: *de coetu in coetum.* Iudaei ut Idumaicam caedem facerent, de coetu ad coetum transierunt vincentes et occidentes. Adiutorem enim Deum habuerunt, qui Sion incolit.

⁹ *Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam, auribus percipe Deus Iacob.* Propheta Deum rogat, ut hanc quam de Idumaica caede edidit sive precationem sive vaticinationem ratam esse velit. Iacobi autem Deum invocat, quoniam de salute agitur Israelitarum.

¹⁰. *Protector noster aspice Deus et respice in faciem Christi tui.* Hebraeus: *Clypeum nostrum aspice Deus.* Clypeus allegorice dicitur vel Mardochaeus vel Christus. Virtutem, ait, fortitudinem sapientiam ac naturam tuam, Deus, Christo tuo tribue, ut redemptionem nostram rite possit perficere. Et ob eius merita nobis esto propitius.

¹¹. *Quia melior est dies una in atriis tuis super millia. Elegi abiectus esse in domo Dei mei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Mardochaeus si ad Idumaeorum transire castra voluisset, magnis certe ab Amane honoribus esset affectus. At contemni ab eis ac sperni, quam coli honestarique maluit, ut in electa ac felicissima familia Dei remaneret. Bona autem dies erat Mardochaica prae aliis diebus mille. Haec omnia ad Christum etiam pertinent a daemone tentatum.

¹² *Quia misericordiam et veritatem diligit Deus, gratiam et gloriam dabit Dominus.* Hebraeus: *quia sol et clypeus Dominus Deus.* Propheta Deum supra

admonuit, ut in clypeum respiceret; nunc clypeus ille Ps. 83, 12.
quis sit, exponit. Eum enim dicit esse Filium, Dominum, Christum. Nam Christus superatis inimicis, gratiam suis gloriamque largitus est, iugo autem captivitatis sublato, omnium bonorum affluentiam.

12. *Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia*. Pro *innocentia* Hieronymus: *perfectio*. Qui ad regalem legis viam cogitationes verba et opera omnia dirigunt, ei vere in perfectione ambulare dicuntur.

13. *Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te*. Iterum beati praedicantur ei qui omnes spes suas in solo Deo esse volunt.

PSALMVS LXXXVI.

De laudibus civitatis Dei, unde Mardochaeus ortus est et Christus secundum carnem.

Amalecitae, quum Assuerum fortissimum regem repentino impetu superassent, regna sibi subegerunt maxima Medorum et Babyloniorum, totique Asiae non modo adventu sed etiam nomine suo incredibilem terrorem attulerunt. Horum princeps Aman, qui Assuerum coegit, ut omnium sibi rerum administrationem cederet, cunctos populos partim adstrictos gratia et spe, partim timore ac metu depressos tenuit. Sed quem ferocissima Amalecitarum gens venerabatur, quem haud mediocriter colere videbatur rex, quem adulabantur optimates, quem praetores, quem duces, quem milites omnes plurimum pertimescebant, hunc a reipublicae gubernaculo deiecit ad crucemque rapuit homo privatus Mardochaeus ex populo Iudaico progenitus. Qui quamvis victa gente natus et exsul esset, tamen Amane devicto, tantum valuit, tantumque perfecit, ut tota natio Ama-

Ps. 86. lecitica religionis virtutumque pestis ac labes bonorum omnium cunctaeque Asiae terror, brevissimo unius noctis spatio in disiunctissimis terrarum partibus funditus deleretur. Quo facto non modo homines sunt liberati angore, sed tecta etiam et agri ex Scythico latrocinio erepta laetari ac summis exsultare gaudiis visa sunt. Rex Iudaico populo favere, Mardochaeo principes praetores duces gratulari, boni et redempti gratias agere, omnes denique suspicere eum admirari atque colere coeperunt. Si de Mardochaeo quae allegorice dicta sunt proprie ad Christum detuleris, facile neque ullo erroris periculo eum quem explicamus psalmum eiusque tum finem tum sententias perspicies. Nam id sibi propheta proposuit, ut ex Mardochaica laude doceret, quantam nomen Iudaicum et quam sempiternam gloriam capturum esset ex Iesu Christo. Nam merito quidem Iudaei felices habentur, quod auctores sui generis habuerunt Abrahamum Isaacum Iacobum iustissimos homines et Deo ipsi probatos. Iure etiam nationibus omnibus anteponuntur, quod divina eis concredita eloquia, quod ex eis orti prophetae, quod singulari semper a Deo et regimine et tutela atque innumerabilibus honoribus beneficiisque digni existimati sunt. Sed has tantas laudes quantopere superat illud unum, quod ex eis Christus est secundum carnem? Quid enim? non per hunc daemones sunt Iudaicam potentiam experti? non per hunc gentes universae gloriam celebrant Iudaicam? nonne per hunc Deus ipse carum habuit populum Iudaicum? Sed propheta, quum de Iudaeis multos habitare in Aegypto, ceteros patria pulsos dispersos esse per totam Asiam videret, timendum intellexit, ne permulti, quamvis redeundi in Iudaeam potestatem nacti essent, tamen vel aedificiorum vel agrorum vel similium bonorum cupiditate retenti in fertilissimis Asiae partibus

exsulare, quam in devastatam patriam revertere mallent. Ps. 86.
His ut acutissimos et sanctissimos redeundi stimulos admoveret, quemadmodum Mardochaeus esset in Iudaea natus, sic fore dixit, ut Christus non ex exsulibus sed ex patriae incolis novaeque reipublicae civibus originem duceret. *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* Sed ut veterum de hoc psalmo sententias commemoremus, Athanasius eum de oeconomia redemptionis [1]), Eusebius Euthymiusque accuratius de ortu Christi esse definiverunt [2]). Diodorus Theodorus Heracl. interpres Graecus et Beda, quum historicam etiam rationem inquirerent, eum constituerunt in Ezechiae regno, Calmetius vero in ipso exsilio Babylonico [3]).

[1.] *Fundamenta eius in montibus sanctis* [2.] *diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* Hebraeus: *fundatio, institutio eius.* Est enim ita Hebraicum interpretandum, propterea quod *fundatio* singularis est, et pronomen *eius* masculinum. Pronomen illud quo sit referendum, antiqua multumque disceptata quaestio est. Neque enim id vel ad Sion vel ad civitatem Dei trahere per genus licet. Sed quid magis secundum leges grammaticas, quam id ad subiectum *Dominum,* quod proxime sequitur pertinere dicere? Fundatio igitur Domini vel civitas ab eo condita, quae dicitur gens sancta, sacris montibus imposita est et Christi sanguine expiatis.

[3.] *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* [4.] *memor ero Rahab et Babylonis scientium me.* Aquila: *memorabo impetum et Babylonem* Symmachus: *memoriam repetam superbiam et Babylonem.* Hieronymus: *com-*

1) Athanasius in h. ps.
2) Eusebius et Euthymius.
3) Diodorus Theodorus Pharaphrastes Graec. Beda in h. l.

Ps. 86, 3. *memorabor superbiae et Babylonis.* De verbo *Rahab* plurimum interpretes inter se dissentiunt. Veteres quidam putarunt, vel Chananaeos eo quidem vel Arabes esse notatos [1]). Meretricem autem illam notissimam Eusebius intellexit Augustinus et Theodoretus [2]). Recentiores vero, solo arbitrio suo neque ulla ratione allata, se inter se in ea sententia confirmarunt, ut Aegyptum Rahab esse censerent. Quoniam igitur nulla ab istis proposita argumenta sunt, quis moleste ferre poterit, si, praetermissa refutatione, simpliciter sententiam nostram proferamus? Ac veterum vestigiis mihi omnino insistendum arbitror. Cum patribus igitur Rahab nihil nisi meretricem fuisse sentio, sed Chananaeos hoc verbo designatos esse nego. Equidem potius nomen translatum statuo a veteri illa meretrice ad meretricem Thamnam, quae fuit Amalecitarum mater. Neque vero insolitum hoc transferendi genus apud poetas esse cuiquam videbitur, si metaphorica illa nomina: David Moyses Aaron et eiusdem generis alia in memoriam revocare voluerit. Sed hanc eamdem explicandi rationem sequendam censeo Ies. 51, 9. ubi Rahab draeonis est synonymum, et Ps. 88, 11. ubi in membrorum aequabilitate hoc nomen ipsum verbis respondet inimicis tuis. Promissa igitur tibi sunt magna, o civitas Dei, gloriosa, et te et Deo tuo digna. Opprimit te nunc quidem vel moles sortium vel iugum Babyloniorum. Sed haec per me facile superabis. *Memor ero Rahab meretricis scientibus me.* Fidem enim interposui, Thamnae vel Amalecis me memoriam deleturum. Quod in me suscepi, id nunc faciam, ut et eos qui me agnoscunt et eas quae illis illatae sunt iniurias ulciscar. Captivitatis au-

1) Apud Euthymium.

2) Eusebius Augustinus Theoderetus in h. l.

tem iugum paulo post excuties. *Memor ero Babylonis* Ps. 86, 3.
scientibus me [1]). Babylonem evertam, ut te in libertatem vindicem in patriamque restituam.

4. *Ecce alienigenae et Tyrus et populus Aethiopum, hi fuerunt illic.* Symmachus et Hieronymus: *Ecce Palaestina et Tyrus cum Aethiopia: iste natus est ibi.* Mardochaeus et Christus tam noti omnibus, tamque per totum orbem celebres, ut ne nomina quidem necesse sit afferri. Ambo illi, in quos omnium oculi convertentur, nati sunt in civitate Dei.

5. *Numquid Sion dicet: homo et homo natus est in ea.* Codices Septuaginta interpretum et cum eis qui consentiunt Origenes Eusebius Athanasius Euthymius et alii [2]): *mater Sion* *μήτηρ Σιών*, ציון ילדת. Exstat autem apud Eusebium: *μὴ τῇ Σιὼν num Sioni.* Hieronymus in quibusdam invenisse codicibus videtur: *μήτι Σιών*, *numquid Sion*, unde sumpta est scriptura vulgatae. Theodotio autem et Aquila: *et Sioni dicetur*, Symmachus: *de Sion dicetur.* Alteram huius versus partem Septuaginta Aquila Theodotio Hieronymus ita: *vir et vir natus est in ea.* Symmachus sic: *secundum singulos homines ipse natus est illic*, recentiores vero hoc modo: *permulti homines nati sunt in ea.* Concedendum quidem est, *vir et vir* duos diversosque viros posse significare ut *pondus et pondus* duo pondera. Sed hoc loco *vir et vir* nihil aliud videtur esse quam iteratio: vir et is quidem vir. Afferre auctoritatem Syri et Arabis vix necesse habeo, quorum alter interpretatus est: *homo et quidem homo*, alter: *vir gigas*. Totum igitur versum ita explicaverim: *Et de Sion dicetur: vir et quidem*

1) Eadem sententia in Ps. 136, 7. *Memor esto Domine filiorum Edom... Filia Babylonis misera.*

2) Origenes Eusebius Athanasius Cassiodorus Euthymius.

Ps. 86, 5. *mas natus est in ea.* Virum autem dicit propheta eumdem, quem Ioannes: *Et peperit filium masculum* [1]).

5. *Et ipse fundavit eam Altissimus.* Civitas Dei, haud multum abfuit, quin ab Amane et a dracone labefactata concideret. Sed eam confirmavit Excelsus per Mardochaeum et Christum.

6. *Dominus narrabit in scripturis populorum et principum horum qui fuerunt in ea.* Hebraeus: *Dominus describet in scribendo populos: iste natus est illic.* Eodem modo Aquila Theodotio Symmachus Hieronymus. Propheta Christum dicit natum iri eadem in civitate et eo ipso tempore, quum omnes totius orbis populi describantur; quo futurum, ut litteris mandetur: *Iesus natus est ibi.* Cf. Eusebium.

7. *Sicut laetantium omnium habitatio est in te.* Aquila: *Et canentes quasi chori: omnes fontes in te.* Symmachus: *Et laudabunt quasi in tibiis: omnes fontes in te.* Hieronymus: *Et cantabunt quasi in choris: omnes fontes mei in te.* Qui quidem omnes in suis exemplaribus legerunt verbum poeticum מעינו cum vav parag. Ei qui canere dicuntur, vel angeli sunt Domini ortum nuntiantes, vel Mardochaico tempore homines. Fontes autem tres sunt Esthera Maria ecclesia, quae, uno parto filio masculo, omnes homines pepererunt. Singularis igitur et sempiterna Iudaeorum gloria in eo posita est, quod ex eis nata est Maria ortusque Christus totius humani generis auctor et conservator. Quemadmodum hic psalmus vaticinium est de ortu Domini: sic rursus in eo ipso scribendo aliud vaticinium evasisse cognoscitur. Nam Iesaias de eo tempore vaticinatus: *In illa die*, inquit, *cantabitur canticum istud in terra Iuda: Vrbs fortitudinis nostrae Sion salvator, pone-*

1) Apoc. 12, 5.

tur in ea murus et antemurale. Poeta autem omnino in eo versatus est, ut Sion urbem fortitudinis civitatemque Dei praedicaret eamque amplissimis laudibus extolleret. Ps. 86, 7.

PSALMVS LXXXVII.

De derelictionis doloribus.

Non incerti cuiusdam hominis, ut quidam putant, ab adversariis vexati ab amicisque deserti haec precatio est, sed prophetae, sed Mardochaei et Christi destituti a discipulis atque in crucem sublati. Neque enim in universum res adversae fortunaeque fluctus describuntur, quibus quis afflictus et iactatus sit; sed Mardochaeus inducitur, qui quum necem paratam sibi ab Amane consideraret, eodem supplicio fore vidit, ut a daemone Christus mactaretur. Nam multa in hoc psalmo insunt, quae non possunt nisi de crucis mysterio explicari. Praeterea verba ei inscripta *pro Maheleth ad respondendum* vel potius: *de doloribus afflictationis* declarant, vere et proprie eum referendum esse ad Christum, cuius prophetae quasi imaginem gesserunt, similibus calamitatibus iniuriisque probati. Quem sibi poeta finem proposuerit, recte sancti patres definierunt, quum eum de passione Christi eiusque ad inferos descensu testantur dicere [1]). De tempore autem doctissimi interpretes, ut Syrus, ut Diodorus Theodoretus Paraphrastes Graecus alii vel ex titulo vel ex psalmo ipso collegerunt, eum non alienum esse a Babylonico exilio [2]). Qua sententia in universum probata, eum attribuen-

1) Eusebius, Athanasius, Hieronymus Euthymius alii.
2) Syrus Diodorus Theodoretus Paraphr. Graec. Calmet.

Ps. 87. dum censemus rei Mardochaicae, quae summi in intervallo illo momenti fuit. Neque enim Mardochaeus non historico magis quam prophetico modo inducitur exponens, quae ipse a Deo petiverit et quam sibi necem molitus sit Aman. Sed iam ad interpretationem veniamus.

2. *Domine Deus salutis meae in die clamavi et nocte coram te.* Propheta quum haec caneret, opem iam a Deo salutemque impetraverat. Verba: *in die clamavi et nocte coram te* quasi parenthesis quaedam orationi interiecta sunt. Clamavit igitur hoc modo: *Domine Deus salutis meae.*

3. *Intret in conspectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam.* Dominum vocat *Deum salutis*, quoniam in eo uno omnes salutis spes positae sunt. Qui precatur in magnis angoribus esse apparet.

4. *Quia repleta est malis anima mea et vita mea inferno appropinquavit.* Hieronymus: *vita mea ad infernum descendit.* Propheta in extremum adductus periculum est, unde eripi nisi divino auxilio nequit. Haec ipsa a Christo sensa ac percepta esse, inde liquet, quod animam suam tristem esse dixit usque ad mortem.

5. *Aestimatus sum cum descendentibus in lacum, factus sum sicut homo sine adiutorio.* Lacus vel puteus nihil aliud quam sepulcrum. Sacerdotum principes iam aliquot diebus ante Paschalia Christum necare constituerunt. Ex quo die hoc consilium captum est, Christus habebatur in numero descendentium in lacum.

6. *Inter mortuos liber, sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius et ipsi de manu tua repulsi sunt.* Symmachus: *intra mortuos dimissus sum.* Hebraeus: *inter mortuos stratum meum* vel: *prostratus.* Vltima Symmachus et Hieronymus ita: *qui a manu tua abscisi sunt.* Cogitare propheta hoc

loco videtur de caesis Iudaeorum hostibus. Neque enim Ps. 87, 6.
de universis mortuis haec dici possunt. Scytharum sepulcrum muro circumdatum, ut simile esset vel puteo vel lacui. Illi vulnerati interfecti et in sepulcrum collati sunt, neque eorum amplius Deus recordatur. Abscissi sunt a manu Dei.

7. *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis et in umbra mortis.* Verba: *in umbra mortis* sententiae non esse consentanea iam Eusebius sensit. Nam ad hanc vitam nostram indicandam illa ait adhiberi, Christum autem non in umbra mortis sed in mortem ipsam esse deductum. Hebraeus igitur verius: *in profundis* [1]). Aman primum Mardochaeum tollere statuit, deinde populum. Quod si perficere potuisset, posuisset Mardochaeum *in lacu infimo.* Hoc eodem animo daemon fuit, ut primum perderet Christum, deinde totum genus humanum. In eis quae post mortem sequuntur describendis magna est orationis vel copia vel ornatus. *Cum descendentibus in lacum, inter mortuos, sicut dormientes in sepulcro, in lacu inferiori, in tenebrosis, in profundis.* Quae copiosa varietas videtur, quam acerba Christi et mors et ad inferos descensus fuerit, declarare.

8. *Super me confirmatus est furor tuus et omnes fluctus tuos induxisti super me.* Hieronymus: *et cunctis fluctibus tuis afflixisti me.* Christus cum peccatis nostris etiam divinae iustitiae severitatem furoremque suscepit. Quae hactenus dicta sunt, usque ad crucifixionem pertinent. Ea autem quae sequuntur, Christo conveniunt, quum in crucem actus esset.

9. *Longe fecisti notos meos a me, posuerunt me abominationem sibi.* Hebraeus Symmachus Hieronymus:

---

1) Symmachus: *in tenebrosis oblectum,* Hieronymus: *in tenebrosis et in profundis.*

Ps. 87, 9. *posuisti*. Non modo Christus est ab apostolis discipulisque desertus, sed quod in cruce pependit, idcirco eis etiam offensioni fuit.

9. *Traditus sum et non egrediebar*. Propheta Christum iam ad lignum ostendit clavis affixum. Hebraeus: *conclusus ne egrediar*, Hieronymus: *posuisti me abominationem eis, clausum et non prodeuntem*. Qui in cruce pendent, ei vincti clavis constrictique sunt tamquam vinculis compedibusque, e quibus effugere nullo modo possunt. Cf. Ps. 149, 8.

10. *Oculi mei languerunt prae inopia*. Symmachus cum Hebraeo: *oculus meus effluxit propter afflictationem*. Cf. Ps. 6, 8. *turbatus est a furore oculus meus*. Haec verba si meditando consideraverimus, quae debebit esse in nobis divinorum beneficiorum memoria? quanta de infinita Iesu Christi misericordia admiratio? Quid enim? ille a Spiritu sancto generatus quum sine peccato et ob eam causam etiam sine omni concupiscentia esset, non multis cum lacrimis et clamoribus mortis poenam subivit? non in omnibus nobis similis esse voluit praeter peccatum? nonne tanta in nos caritate fuit, ut pro nobis quodammodo peccatum et maledictio fieret et quasi homo reiectus a Deo patre et reprobatus?

10. *Clamavi ad te Domine tota die, expandi ad te manus meas*. Christus manus suas in cruce per totam diem expandit ab hora tertia usque ad nonam et vesperam, non solum ad Patrem sed etiam ad gentes. Preces quae sequuntur conveniunt personae Christi, priusquam mortuus est et ad inferos descendit.

11. *Numquid mortuis facies mirabilia aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?* Non de universis mortuis, sed de Raphaeis, de Amalecitis loquitur, de improbis, qui ad maiorem poenam, non ad beatiorem vitam suscitabuntur. Hebraeus: *An Raphaei* (qui pri-

mum ad montem Horeb, deinde in media Asia caesi Ps. 87, 11.
sunt) *surgent et confitebuntur tibi*. Hieronymus: *aut gigantes* etc. Certe quidem illi neutiquam, sed nos ad vitam revocati, immortales tibi laudes cantabimus. Cf. Ies. 26, 14. *Morientes non vivant, gigantes (Raphaei) non resurgant.* Quae sequuntur, Christi animus dicit profectus iam ad inferos.

12. *Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam et veritatem tuam in perditione?* Christus si in perditionem venisset, si in sepulcro corpus et in inferno animus relictus esset, quae divina fuisset aut veritas aut misericordia? Nunc autem quum fractum est sepulcrum, quum perditio et mors devicta iacent, quae terrae pars est tam remota tamque obscura, ubi fides Dei et benignitas non reluceat?

13. *Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua et iustitia tua in terra oblivionis?* Mardochaeus et Iudaei erepti sunt e tenebris, Christus Christianique e terra oblivionis revocati. Quibus tam magnis ac coelestibus vere beneficiis acceptis, qui fieri potuit, quin mirabilia Dei consilia ac facta in aeternum celebrarent? Est autem etiam hoc loco animadvertenda sermonis copia et varietas: *in sepulcro, in perditione, in tenebris, in terra oblivionis.*

14. *Et ego ad te Domine clamavi et mane oratio mea praeveniet te.* Dominus clamavit ad Patrem primum ante crucifixionem ita: *die clamavi et nocte coram te,* deinde in ipsa cruce sic: *clamavi ad te tota die, expandi ad te manus meas,* denique ex inferis, ubi quum nulla sit dierum noctiumque vicissitudo, nulla addita temporis definitione, simpliciter hoc modo: *et ego ad te Domine clamavi.* Sed precibus Pater commotus, mane Filium ab inferis reducturus est. *Et mane oratio mea praeveniet te.* Mane Mardochaeus ad summum

Ps. 87, 14. honoris gradum elatus est; mane Iudaeorum hostes delevit; mane etiam Christus suscitatus daemones fudit ac fugavit.

15. *Vtquid Domine repellis orationem meam, avertis faciem tuam a me?* Hieronymus: *Quare Domine abiicis animam meam?* Hebraeus: *elongabis*. Sententia huiusmodi est: Quare animam meam in inferno remotam, quare me procul a te prohibes? Christus quum sacrificium Deo Patri gratum acceptumque obtulisset, apud inferos non diutius remanere potuit, quam usque ad statutum diem tertium.

16. *Pauper sum ego et in laboribus a iuventute mea, exaltatus autem humiliatus sum et conturbatus*. Quum totius vitae tum praecipue acerrimae mortis sacrificium commemorat. Mardochaeus et Christus prima iam aetate coacti sunt patriam relinquere. Ille a Nabuchodonosore in Mediam exsul deductus, hic fugatus ab Herode in Aegyptum. Nefaria gentis suae facinora uterque vidit, poenas non item. Nam superior ille Hierosolyma deleta esse accepit, posterior eiusdem urbis eversionem ante denuntiavit. Quantum hac ex re dolorem ceperint, quibus verbis exprimi potest? *A iuventute* igitur quando non in summa erant sollicitudine in maximisque angoribus? Sed cum aetate nonne etiam dolorum vis ac magnitudo aucta est? Quoniam *exaltatus* i. e. confirmata aetate alter typice, alter vere et re ipsa turpissimo supplicio mactatus est.

17. *In me transierunt irae tuae et terrores tui conturbaverunt me*. Peccatorum nostrorum poenas luere, iram Dei castigationemque sua sponte ferre voluit.

18. *Circumdederunt me sicut aqua tota die, circumdederunt me simul*. Si quis in abyssum pelagi descenderit, aquis se sentiet ex omnibus partibus inclusum. Iddem Christi animo in inferno a divina iracundia accidit.

Nam ex omnibus partibus in eum impetum fecerunt Ps. 87, 18.
irae et terrores.

19. *Elongasti a me amicum et proximum et notos meos a miseria.* Hebraeus: *noti mei obscuritas.* Amici apostoli sunt, proximi vel discipuli vel sanguine coniuncti. Ab his Christus disiunctus est, quum ad inferos decederet. Amicos enim et proximos in terris reliquerat, notam apud inferos invenit obscuritatem, i. e. spiritus eorum, qui antea mortui, a Christo vera luce illustrandi erant.

PSALMVS LXXXVIII.

Christi post ascensionem precatio.

Hic psalmus cum superiore tam magna sententiarum necessitudine connexus copulatusque est, ut praeter adscriptum numerum non sit quo disiungi ab eo iuste posse videatur. Rogavit enim superiore psalmo Christus patrem suum primum quidem ante supplicium, ut si fieri posset a tam acerba morte liberaretur, deinde in supplicio, ut omnino eriperetur ex tenebris inferni, tum in inferno ipso, ut quam primum ad vitam immortalitatemque suscitaretur. Atque a Deo quod petivit postremum, id quidem facile impetravit. Itaque restitutus ad vitam in coelumque reversus, in hoc psalmo non, ut antea, cum lacrimis ad Deum clamat, sed iam bonitatem fidemque eius laudat, ornat cantat. *Misericordias Domini in aeternum cantabo*, non in terris, non in tempore, sed in aeternitate coelesti. Primum autem ex morte et resurrectione sua homines bonos ait eum fructum capturos, ut, hostium tyrannide sublata, coelorum regnum consequantur 1-19. Deinde quae sint Christo a Deo patre promissa, exponit. Nam in eo in-

Ps. 88. tegram fore perfectamque Dei potentiam, ut vel perdat inimicos omnes vel in servitutem redigat. Eius autem solium in ecclesia aeternum fore atque omni gloriae virtutisque splendore ornatum 19-38. Denique conditionem bonorum humilem illam et submissam, quae proxime post Christi resurrectionem fuit, queritur. Hostium in eos et maledicta et iniuriae quae et quanta sint commemorat 38-52. Sed mea sententia huic psalmo tamquam historica materia subiecta Mardochaica res est. Nam quidam in Babylonico tempore poetam, multi ipsum psalmum reponendum putarunt. Quorum ex numero Diodorus, Theodoretus, Theodorus Heracl. nominandi sunt, Paraphrastes Graecus, Beda, Euthymius alii [1]). Sed hoc de Christo vaticinium propheta, ut arbitror, ex imagine hausit similitudineque Mardochaica. Nam illius salutem et de hostibus reportatam victoriam quum videt, Deo gratias agit atque canit. Propheticum autem hunc psalmum esse, inde apparet, quod de Davide, de eius semine et throno dicta quae sunt, neque ad veterem Davidem neque ad Mardochaeum possunt referri. Ex quo perspici debet, ad Mardochaeum partem tantum spectare primam.

2. *Misericordias Domini in aeternum cantabo, in generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.* Benevolentia fidesque divina maxime perspecta est ex Mardochaei Iudaeorumque salute, ex resurrectione Christi et redemptione nostra. Hanc igitur misericordiam et veritatem, quae tam insignis facta est, propheta se dicit celebraturum in aeternum.

3. *Quoniam dixisti: In aeternum misericordia ae-*

1) Diodorus Theodoretus Theodorus Heracl. Paraphrast. Graec. Beda Euthymius Bellarminus, Ferrandus Calmetius Di-Carrières in h. ps.

dificabitur in coelis, praeparabitur veritas tua in eis. Ps. 88, 3
Magnum intercedit misericordiam inter et veritatem discrimen; idque omnino simile videtur esse consentaneumque discrimini ei, quod est inter opera et fidem, inter meritum et gratiam. Misericordia enim non aliunde, nisi a sola divina natura ac benignitate proficiscitur. Veritas contra ac fides ex dato promisso, ex icto foedere, ex pacto nascitur, ex operibus atque omnino ex necessitudine officiorum mutuorum. Deus si misericordem se praebet, gratiam largitur, quam vult; sin verum se ac fidelem praestat, mercedem dat, quam debet. Est igitur misericordia omnino in coelis penes Deum; veritas autem spectat ad terram rationemque habet hominum. Nam homines si quae spoponderunt fecerint, promissam a Deo mercedem exspectare debebunt, gratiam non item. Hinc praeclarum illud: *Misericordia et veritas obviaverunt sibi. Veritas de terra orta est, et iustitia de coelo prospexit.* Iudaei ab Amane oppressi ad Deum suum redierunt. Quod si fecissent, ab eo promissum habuerunt, se numquam perituros. Orta est igitur veritas quidem de terra; eique obviam facta misericordia, quae aut ea tribuit quae pollicita non est, aut plura, quam pollicita est. Quamobrem propheta ut misericordiam, quae non relativa sed absoluta est, laudat in perpetuum et in omnem aeternitatem; sic veritatem, quum ea relativa sit ad hominesque pertineat, in generationibus, in tempore, inter homines. Misericordia porro exoritur *in coelis*, veritas autem praeparatur in eis i. e. in generationibus, in Iudaeis. His ita breviter expositis, iam non obscurum esse puto, unde Apostolus difficillimae illius, quae de merito et gratia, de operibus et fide est, doctrinae principia et initia sumpserit. Paulus certe non magis invenit hanc rem, quam Ioannes ea quae ab eo dicta sunt de Verbo.

Ps. 88. 4. [4.] *Disposui testamentum electis meis, paravi David servo meo.* [5.] *Vsque in aeternum praeparabo semen tuum et aedificabo in generationem et generationem sedem tuam.* Interpretes Graeci cum Hieronymo et Hebraeo: *electo meo.* Cf. II. Regg. 7, 1. Haec ad tempora exsilio Babylonico connexa trahi non possunt, quoniam tum pontifices regnum susceperunt. Pertinent autem ad eum, qui Apostolis dixit: *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum.*

[6.] *Confitebuntur coeli mirabilia tua Domine, etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum.* Hebraeus: *veritas autem tua in ecclesia sanctorum.* Dei mirabilia i. e. naturam et misericordiam collaudare, coelorum est; sanctis autem qui sunt in terra convenit, veritatem fidemque eius laudibus extollere.

[7.] *Quoniam quis in nubibus aequabitur Domino? similis erit Deo in filiis Dei.* In nubibus quidem vel in aethere (Symmachus) Amalecitarum dei, sol luna stellae positi sunt, qui autem filii Dei dicuntur, ei sunt angeli. Iob. 1, 6.

[8.] *Deus qui glorificatur in concilio sanctorum, magnus et terribilis super omnes, qui in circuitu eius sunt.* Hieronymus: *terribilis in cunctis, qui circa eum sunt.* Deus quoniam omnes qui ad ipsum confugerunt amice suscepit, Babylonico tempore, quum Idumaeos puniret, in medio populo suo versatus est.

[9.] *Domine Deus virtutum, quis similis tibi? potens es Domine et veritas tua in circuitu tuo.* Deus angelorum et omnium rerum creator et dominus quum sit, quem potest habere sui similem? Nonne solus est absolutus, non creatus, infinitus? Veritas autem eius qua ex re magis est agnita, quam quod circuitum i. e. coetum populumque suum salvum incolumemque esse voluit?

[10.] *Tu dominaris potestati maris, motum autem*

fluctuum eius tu mitigas. Huius loci sententiam probe Ps. 88, 10.
mihi recteque intellexisse videtur Eusebius. Quamquam enim non penitus mare quid valeret, perspexit, tamen ex Ies. 27, 1. et Ps. 103, 25. s. haec de impetu draconis dicta esse cognovit. In immenso illo gentium mari quod in Asiam irruptionem fecit, caput maxime extulerunt Scythae. Quos quidem Deus quum se barbara cum ferocia et superbia erigere videret, una nocte suppressit. *Tu dominaris superbiae maris.* (Hieron. Hebr.) Superbissima Scytharum gente suppressa, ceteros fluctus facile ad tranquillitatem redegit.

11. *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum, in brachio virtutis tuae dispersisti inimicos tuos.* Hebraeus: *tu perdidisti sicut vulneratum Rahab.* Primum vulneratus et occisus est Aman; neque multo post Rahab i. e. Thamma vel tota quae ex ea orta est, Amalecitica gens cecidit. Erat autem ea gens Domino inimica. *Dispersisti inimicos tuos.*

12. *Tui sunt coeli et tua est terra.* Propheta quos coelos vocat angelos intelligi vult, terram autem dicit homines. Deus quum Idumaeos vicit, vicit etiam daemones, qui ab illis pro deis habebantur et ita vere se hominum deumque Dominum praestitit.

12. *Orbem terrae et plenitudinem eius tu fundasti. Orbis terrae* qui dicitur, iddem valet, quod populus Israeliticus. *Plenitudo* autem habet hanc vim, ut plenum duodecim tribuum numerum vel integram perfectamque Israelitarum multitudinem significet.

13. *Aquilonem et mare tu creasti.* Hebraeus et interpretes omnes: *aquilonem et dexteram tu creasti.* Vtramcumque scripturam probaveris, in Babylonia hunc esse psalmum scriptum intelliges. Dominus a monte Sion in Mediam i. e. ab occidente ad orientem profectus, nonne a sinistra habuit Amalec vel *eum qui ab*

Ps 88, 13. *aquilone est*, Scythiam totamque partem septentrionalem? Ad dexteram vero vel ad mare si oculos convertit, Beniamin i. e. filium dexterae ceterosque Iudaeos conspexit precantes se suique desiderio tabescentes. Ad ultimum autem iudicium unde Dominus venturus sit, numquid dubium esse potest? A sinistra in frigoribus tenebrisque septentrionum contremiscent improbi; iusti vero summa cum confidentia a dextera in admirabili luce consistent atque in ipso splendore meridiei. Separatione facta, iudex qui apud Deum dexterae filius est ad suos qui sunt a parte dextera accedet, atque eos ipse ad Patrem victores victor adducet; malos contra qui a laeva sunt, a se in miserrimas tenebras deturbabit. Omnium igitur et creator Deus est et iudex. Sed scriptura Hebraeorum etsi intelligi et explicari potest, tamen ex Ps. 106, 3. probabile videtur, *mare* verbum esse unum, quod verum incorruptumque dici possit.

13. *Thabor et Hermon in nomine tuo exsultabunt.* Thabor videtur fuisse mons sanctus. Inde Debbora de Amalecitis Chananaeisque victoriam reportavit. At vero Hermon i. e. *montem solis* etiam falso huic deo sacrum fuisse constat. Hic quidem moleste ferre dicitur, quod superstitione est turpitudineque contaminatus. Itaque montes illi, quum a Domino maculis suis purgarentur [1]), mirabilem in modum laetati ac gavisi sunt. *In nomine tuo exsultabunt.* In monte Thabor, multi sunt, qui Christum clarificatum arbitrentur. Cuius quidem sententiae auctor videtur esse Eusebius, qui *se arbitrari* ait, *his in montibus mirabiles illas Salvatoris nostri transfigurationes frequentesque moras exstitisse* [2]).

1) Hilar. in Ps. 14, 5. *Et nunc quoque edita et excelsa quaeque montium fanis templis sacrisque maculantur.*
2) Euseb. in h. l.

14. *Tuum brachium cum potentia, firmetur manus tua et exaltetur dextera tua.* Symmachus verius: *invicta manus tua, excelsa dextera tua.* Contra Amalecitas Domini potentia non magis ad montem Horeb quam in media Asia ostensa est. Ps. 88, 14.

15. *Iustitia et iudicium praeparatio sedis tuae. misericordia et veritas praecedent faciem tuam.* Symmachus: *fundamentum solii tui.* Hieronymus: *firmamentum throni tui.* Iudaei Domini iustitiam, Idumaei iudicium experti sunt. Deus iustum se praebuit, quod Mardochaeum ad regnum, Christum ad dexteram suam extulit. *De iustitia, quia ad Patrem vado.* Amanem vero in iudicium adduxit. *De iudicio, quia princeps huius mundi iam iudicatus est.* Sedem igitur suam inter homines collocavit in iustitia et in iudicio. Praeivit autem misericordia atque veritas. Namque misericordem sese praestitit, quod filium suum misit in mundum; verum autem, quod, sicuti promiserat, ex Iudaeis nasci eum originemque ducere voluit.

16. *Beatus populus qui scit iubilationem. Domine in lumine vultus tui ambulabunt* 17. *et in nomine tuo exsultabunt tota die et in iustitia tua exaltabuntur.* Pro *iubilationem* Symmachus: *significationem*, Hebraeus: *cantum tubae.* Tubarum cantu Iudaei convocabantur ad convivium Mardochaicum, quod quidem signum auguriumque fuit eucharistiae. Beatum igitur eum populum praedicat, qui Mardochaicae potuit coenae esse particeps. Sed nos quanto beatiores, qui novimus ac sequimur tintinnabulorum sonum quae sunt in tubarum locum suffecta. Pane autem angelorum sumpto vel iubilationis vi perspecta, mens efficitur idonea ad cognoscendam veritatem. *In lumine vultus tui ambulabunt.* Excitatur praeterea in animis nostris vere divina laetitia ac voluptas, quae nec verbis potest exprimi et supra na-

Ps. 88, 17. turam est. *In nomine tuo exsultabunt.* Gratia autem iustitiaque in dies usque eo augetur, ut ad vitae aeternae resurrectionisque maturitatem perducamur. *In iustitia tua exaltabuntur.*

18. *Quoniam gloria virtutis eorum tu es et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.* Scythas Iudaei non ipsi per se superarunt, nec nos ipsi per nos daemones; sed Christus pro nobis. Omnis igitur ad Dominum nostrum deferenda gloria est. Benefica autem Dei voluntate factum est, ut cornu i. e. vel corona vel rex noster superior evaderet inimicis omnibus.

19. *Quia Domini est assumptio nostra et sancti Israel regis nostri.* Membrorum convenientia desiderare videtur מלכו: *Domino assumptio nostra et sancto Israel regnum.* Dominus facta redemptione, regnum accepit aeternum. Ac de ea huius psalmi parte quae ad nostram rem spectat, satis diximus.

CAPVT QVINTVM

DE PSALMIS LIBRI QVARTI.

PSALMVS XCII

Dominus mari gentium dominatur.

Quamvis vehementer de hoc psalmo sapientissimi homines inter se discrepent, tamen propter eum quem iam saepius diximus ordinem convenientiamque temporum omnes verum quiddam vidisse confitendum est. Nam ad Babylonicum exsilium eum pertinere, plures et doctissimi interpretes dixerunt, veluti Paraphra-

stes Graecus, Beda, Ferrandus, Calmetius [1]). Et profecto cum re Mardochaica, quae in illud temporis spatium incidit, propius eum coniunctum esse, quis negare potest? Athanasius autem quae in eo praedicta sint, de priore adventu Christi intelligenda putavit [2]). Atque hunc quidem quis a veritate aberrasse dixerit? Nam Iudaeorum quae per Mardochaeum effecta est conservatio non figura, non imago est redemptionis nostrae? Iam vero Eusebius non solum de devictis daemonibus, sed etiam de ecclesiae persecutionibus eum scriptum esse censuit, neque iniuria [3]). Quid enim? mille annis post Sacas caesos nonne barbarorum nova irruptio ecclesiam in idem fere discrimen vocavit? Euthymius denique eum de ultimo iudicio accepit [4]). Qua quidem in sententia hoc veri inest, quod divinum iudicium, quo Mardochaicis temporibus Idumaei condemnati et occisi sunt, similitudinem gessit iudicii extremi. Haec quidem de opinionum vel discrepantia vel consensione. Sed carmen ipsum si considero, nescio, utrum simplicitas brevitasque orationis, an sententiarum elegantia et celsitudo magis admiranda sit. Constat enim versibus octo, ex quibus quattuor primi in nostris editionibus ad numerum duorum redacti sunt. Poeta eum sibi finem proposuit, ut Deum, fide eius sanctitateque perspecta, laudibus exornaret. Deum enim regem se iudicemque praestitisse. Quum flumina totumque mare ingenti fluctuum strepitu terram invaderent, eum ostendisse dicit, quanto his ipse esset superior et quam facile domui familiae gentique suae opem ferre salutemque posset. Huius igi- Ps. 92.

1) Paraphr. Graecus, Beda Ferrandus Calmetius.
2) Athanasius in h. ps.
3) Eusebius in h. ps.
4) Euthymius.

Ps. 92. tur vera esse promissa ac fidelia, sanctitatem autem solidam stabilemque et tum fuisse ait et fore in aeternum.

1. *Dominus regnavit, decorem indutus est.* Deus quem hostes vel omnino esse vel Iudaico populo subventurum negaverant, suorum se repente et regem et servatorem exhibuit suamque sibi auctoritatem quam isti conati erant detrahere ipse vindicavit.

1. *Indutus est Dominus fortitudinem et praecinxit se.* Hic cum inimicis descendit in proelium, fortissimo brachio armatus memorque virtutis suae.

1. *Etenim firmavit orbem terrae qui non commovebitur.* Hieronymus : *appendit orbem terrae.* Quem dicit orbem terrae, intelligi vult populum Iudaicum. Nam terra quum vacillaret seque inclinaret, haud multum abfuit, quin gentium mari submergeretur. Sed a Deo erecta appensa confirmata est. Etenim ut ab Amane gens Iudaica vehementer commota est: sic gens humana a daemone; atque altera ad internecionem corporis, altera ad animi mortem paene redacta. At vero a Deo utraque adiuta, redempta, ad salutem incolumitatemque restituta.

2. *Parata sedes tua ex tunc, a seculo tu es.* Sedes vel tribunal iudicem indicat. Hanc autem iam a principio paravit, quum aquis sepeliret impios, Noen autem traducere per ingens illud mare vellet. Simile quoddam iudicium Babylonico tempore habuit, quum ex immenso mari gentium Iudaeos salvaret, Idumaeos perderet.

3. *Elevaverunt flumina Domine, elevaverunt flumina vocem suam.* Populi perfidi et superstitiosi, qui tamquam fluvii ad paganorum mare decurrunt, quum Asiam inundarent, ingenti clamore sublato, Iudaeis timorem maximum iniecerunt.

3. *Elevaverunt flumina fluctus suos,* 4. *a vocibus*

aquarum multarum. Hebraeus et Syrus: *plus quam* Ps. 92, 3.
voces aquarum multarum. Flumina quidem erant, sed strepitum quam maria ipsa maiorem ediderunt.

4. *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus*. In Iudaeos mare gentium tum adduxit Aman, in Christianos seculo quinto diabolus. Sed quamvis spumantes superbique fluctus se quam plurimum extollant, altior tamen Dominus, qui impetum vimque undarum domat atque comprimit.

5. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis, domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum*. Hebraeus: *Promissa tua fidelia valde domui tuae: permanens sanctitas Domini in longitudinem dierum*. Deus se servaturum suos, hostes autem perditurum promiserat. Quibus promissis quum stetisset, fidelis verus sanctus cognitus est. Vt autem tum quae pollicitus erat fecit, sic etiam in extremo tempore implebit quae praedixit, fore in terris pressuram gentium prae confusione sonitus maris atque fluctuum. Stabilis enim veritas eius et ab omni immutatione vacua permanebit usque ad finem saeculi.

PSALMVS XCIII.

De impiorum poenis.

Nonnulli hunc psalmum in magno eorum numero duxerunt, qui ad res spectant Babylonicas. Nam Athanasio iam probabile visum est, scriptum eum esse contra eos qui primi Hierosolyma sustulerunt [1]). Theodorus autem Heracleota, Paraphrastes Graecus, Beda multique alii eum putant Iudaeis potius exsulibus adiudicandum [2]). Ceteri

1) Athanas. in h. ps.
2) Theodor. Heracl. Paraphr. Graec. Beda.

Ps. 93. vero interpretes partim eum de Iesu Christo, partim universe de homine quodam ab hostibus vexato et afflicto explicarunt. His quidem sententiis comprobatis, de Mardochaeo eum deque Christo esse dicimus ac de eis poenis, quae sunt ab Idumaeis primum, atque una mundi aetate post ab Iudaeis Romanisque repetitae. Neque enim is qui per Romanos crimina Iudaeorum vindicavit, Romanorum in Christianos iniurias impunitas reliquisse putandus est. Quid enim? Deus quum Nerone regnante, unam urbis partem, in qua Christiani habitabant, salvam esse vellet, nonne duas alias, septem dierum incendio delevit? nonne Neronem ipsum, postquam annos tres et menses sex in sanctos furiose se gessit, ex urbe eiecit ac fulminibus tempestatibusque prosecutus acerrimo supplicio punivit? Sed typica Estherianae rei significatio ex prophetis et ex eis quos iam exposuimus psalmis satis est perspecta. Quocirca nihil est, quod statim explicationem aggredi impediat.

1. *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit.* Pro *libere egit* Hieronymus: *ostendere*, Hebraeus: *illucesce*. Deus vindex, ut lux, ut fulmen, venit cum nubibus hostesque perterritos tempestatibus prosternit.

2. *Exaltare qui iudicas terram, redde retributionem superbis. Terra,* ut saepius iam dictum est, familiam populumque sanctum significat. *Superbi* autem non sunt alii nisi Idumaei, hostes Domini.

3. *Usquequo peccatores Domine, usquequo peccatores gloriabuntur.* Hieronymus cum Hebraeo: *exsultabunt*. Peccatores illi quamdiu erant sanctis superiores, numquam eos conviciis iniuriisque afficere destiterunt.

4. *Effabuntur et loquentur iniquitatem; loquentur omnes qui operantur iniustitiam?* Hebraeus: *eructabunt, loquentur durum, efferent se omnes qui operantur iniustitiam.* Satis accurate propheta, enumeratis vitiis,

inimici quinam sint designat. Sunt enim illi quidem superbi, dicuntur peccatores, maledicta in Deum, calumnias in homines coniiciunt, operatores servosque se praebent iniquitatis, denique sanctos vexare ac tollere constituunt. Ps. 93, 4.

5. *Populum tuum Domine humiliaverunt et hereditatem tuam vexaverunt* 6. *viduam et advenam interfecerunt et pupillos occiderunt.* Hebraeus futura: *conterent affligent interficient occident.* Vt Iudaei et proselyti, ut viri ac mulieres, ut ad unum omnes interirent, ab Amane decretum est. Neque Neroni erat aliud quidquam propositum, quam ut ecclesiam funditus deleret.

7. *Et dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Idumaei, ut etiam ex aliis psalmis constat, ita sibi persuadere conati sunt, ut non crederent Deo nota esse omnia. Similiter nostra aetate impii alius alium fallere conscientiaeque angores reprimere student; sed frustra.

8. *Intelligite insipientes in populo et stulti aliquando sapite.* Hebraeus: *intelligite (homines) animales* etc. Danda opera est, ut stulti ad sanam mentem revocentur.

9. *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?* Ex eis rebus, quae non possunt ne animalem quidem hominem fugere, adversarios convincit, Deum esse eumque scientiam habere rerum omnium. Ex ipso igitur corpore nostro atque ex eis rebus quae sub sensus cadunt, creator Deus esse perspicitur.

10. *Qui corripit gentes, non arguet? qui docet hominem scientiam?* Divina iudicia, quae libris historicis perscripta sunt, quia cernuntur oculis percipiunturque sensibus, idcirco ne animalem quidem hominem prae-

Ps. 93, 10. terire possunt. Nam iudicem Deum esse, etiam ab Apostolo tamquam dogma ex historia probatum proponitur. Quamobrem philosophi illi summopere laudandi sunt, qui non modo ex mundo creato sed etiam ex rebus gestis humanique generis historia, Deus et quis sit, et qualis, et quam iustus sanctusque docere student. Propheta igitur, quod ab omnibus concedi hominibus oportet, ponit, et magistrum Deum esse et iudicem omnium.

11. *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt.* Deus vana hominum superstitiosaque inventa videt et abborret. Sed ab impiis iam sese propheta ad pios sanctosque convertit.

11. *Beatus homo quem tu erudieris Domine, et de lege tua docueris eum. Beatum* in primis Mardochaeum esse censeo, qui ex tantorum tamque acrium dolorum schola eruditus experientiaque doctus evasit.

13. *Vt mitiges ei a diebus malis, donec fodiatur peccatori fovea.* Hebraeus: *ut quietem praebeas ei a diebus mali.* Qui sapiens est, is requiescendum sibi in divina providentia existimat neque umquam committit, ut animi tranquillitatem perdat. Talis fuit Mardochaeus, qui omnia perpessus, hostem tolerando superavit.

14. *Quia non repellet Dominus plebem suam et hereditatem suam non derelinquet,* Amani paratur fovea, daemoni carcer aeterni supplicii. Liberantur sancti, quoniam Deum regem praesidemque habent.

15. *Quoadusque iustitia convertatur in iudicium et qui iuxta illam, omnes qui recto sunt corde.* Hieronymus: *quoniam ad iustitiam revertetur iudicium, et sequentur illud omnes recti corde.* Hebraeus: *quia iustitiam sequitur iudicium, et post eam* (Aquila et Theodotio) *omnes recti cordis.* Ex iustitia illud manavit iudicium, quo iudicatus condemnatusque est is, qui

tyrannidem sibi in nos acerbissimam arrogavit. Iustitiae Ps. 93, 15.
autem vestigia ei sequuntur omnes, qui, indigno iugo illo abiecto, in iustorum numerum translati sunt.

16. *Quis consurget mihi adversus malignantes aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?* Quis belli socius, quis adiutor fuit Mardochaei et Christi? Nonne torcular calcaverunt soli?

17. *Nisi quia Dominus adiuvit me, paulominus habitasset in inferno anima mea.* 18. *Si dicebam: Motus est pes meus, misericordia tua, Domine, adiuvabat me.* Infinita Dei Patris misericordia Mardochaei vitam e faucibus mortis, Christi vero animum ex ipsis inferni tenebris eripuit.

19. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam.* Pro *dolorum* Hebraeus: *cogitationum.* Equidem eas cogitationes anxietates dubitationesque intelligo, quae ex tristi Iudaici populi desperataque illa nascebantur conditione.

20. *Numquid adhaeret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in praecepto.* Deus recte vere ac summa cum aequitate iudicat. Mardochaeum igitur si in tantum discrimen venire sivit, nonne id eo fecit consilio, ut praeceptum posteris auguriumque earum iniuriarum daret, quas perpessurus esset Christus?

21. *Captabunt in animam iusti et sanguinem innocentem condemnabunt.* Haec a divina iustitia Mardochaeo abhorrere visa sunt. Et tamen Christus non innocens condemnatus, non insons occisus est? Verum divina consilia, quam abscondita et quasi involuta, quam admirabilia et a nostris cogitationibus remota?

22. *Et factus est mihi Dominus in refugium et Deus meus in adiutorium spei meae.* Deus Mardochaeum semper voluit esse incolumem, Christum autem e sepulcro revocavit in soliumque maiestatis extulit.

Ps, 93, 23. 23. *Et reddet illis iniquitatem ipsorum et in malitia eorum disperdet eos, disperdet illos Dominus Deus noster.* Hoc iam bis vaticinium evasisse videtur, quum a Mardochaeo Idumaei sublati et a Tito Hierosolyma deleta sunt.

PSALMVS XCVI.

Iudicium regnumque Dei maximam bonis omnibus laetitiam attulit.

Accommodatum hunc psalmum esse ad rem Estherianam, et ex titulo eius et ex argumento apparet. Est enim inscriptio huiusmodi: *quando terra eius (Domini) restituta est* i. e. Iudaica gens quum ab Amane paene evulsa concidisset, iudicio auxilioque divino restituta stabilita confirmata est. Sed ut psalmum ipsum consideremus, propheta primum quidem, quibus armis Deus, et qua maiestate instructus cum hostibus in iudicium descenderit, magnifice docet. Eius nomine et adventu non homines solum superstitiosos, sed deos etiam perterritos esse ac deletos. Deinde Sion filiaeque Iudae qualem ex hoc iudicio quantamque laetitiam ceperint, magna cum elegantia exponit. Tum eos qui se Domino addixerint, ut a vitiorum sese turpitudine abstineant, admonet, quoniam Deum socium sibi adiutoremque prope fuisse cognoverint. Eosdem denique, ut sancto cum gaudio, ut iustis honoribus, ut memori animo perpetuas Deo gratias persolvant, adhortatur. Sed de hoc praeclarissimo carmine quid patres, quid interpretes iudicaverint, audiamus. Beda triumphale illud quidem esse statuit, quod Iudaei patria extorres post reportatam de Babyloniis victoriam cantaverint [1]). Atque illud ad eos-

1) Beda in h. ps.

dem exsules referunt Paraphrastes Graecus, Ferrandus, Ps. 96
Calmetius [1]). Hieronymus id quidem vaticinium dicit esse de Christo, qui falsis ementitisque deis sublatis, totum terrarum orbem sub potestatem veri Dei redegerit. Athanasius prophetae hoc potissimum existimavit propositum fuisse, ut de salute mundi ac de omnium gentium fide caneret. In universum tamen hoc carmen vel ad priorem vel ad alterum adventum Domini relatum est. Sententias has omnes in interpretatione complectemur.

1. *Dominus regnavit.* Dominus quum improborum iniurias a suis propulsaret, iterum se regem ostendit.

1. *Exsultet terra, laetentur insulae multae.* Terram continentem insularum multitudo cingit. Similiter Mardochaico tempore synagogae multae ex mari gentium emersae tamquam insulae Iudaicam terram circumdederunt, eique haud mediocri ornamento fuerunt. Neque vero ab illo tempore nostrae aetatis rationes differunt. Vt enim in mari sunt quaedam insulae habitabiles, aquis salubres, frugiferae, stationibus portubusque munitae, ut eis, qui tempestate iactati sunt, perfugio esse possint: sic Deus mundo sub peccatis fluctuanti atque aestuanti synagogas dedit h. e. sanctas ecclesias, in quibus veritatis doctrina tamquam in portuosarum insularum stationibus asservatur, ad quas perfugiunt, qui veritatis amantes salutem consequi ac Dei iudicium effugere volunt [2]). Exsultat igitur terra, laetantur insulae omnes, quod Deus regnum in suos iterum suscepit.

2. *Nubes et caligo in circuitu eius.* Nubes pluviarum plenissimas Deus secum adduxit, quum primum in diluvio homines iudicavit. Postea in nubibus et in

---

1) Paraphr. Graec. Ferrandus Calmet. in h. l.
2) Theoph. ad Aut. 2, 14.

Ps. 96, 2. igne apparuit, quum Israelitis legem daret. Babylonico tempore atroces Idumaeorum impetus, ut prophetae tradunt, tempestatibus fulguribusque fregit. Martyrum denique ultorem Neronisque iudicem eum advenisse indutum nubibus fulminibusque armatum, a rerum scriptoribus proditum est. In saeculorum autem fine eum item cum nubibus coeli praesentem adfuturum scimus. Et de hoc quidem adventu prior huius psalmi pars est proprie accipienda. Nam antea Deus nubes ac tonitrua misit. Extremo autem tempore ipse venturus est cum nubibus et tempestate.

2. *Iustitia et iudicium correctio sedis eius.* Hieronymus: *firmamentum*, Hebraeus: *fundamentum*. Cf. Ps. 88, 15.

3. *Ignis ante ipsum praecedet et inflammabit in circuitu inimicos eius.* Iudex fulguribus in improbos coniectis, figuram huius mundi incendio delebit.

4. *Illuxerunt fulgura eius orbi terrae, vidit et commota est terra.* Hebraeus: *vidit et doluit terra.* Cf. Ps. 76, 19. Orbis terrae populus Iudaicus vel gens sanctorum, qui adventu Domini illustrati ac perterriti contremiscunt. Terra autem, quae proprie dicitur, Christo iudice in terribiles mortis angores adducta tremebunda horrebit. Nam ut corpus nostrum mortem; sic tota natura, quum sit in peccati societatem assumpta, exustionem, quae quasi quaedam mortis poena est, subibit. Sed natura ut peccati Adami particeps est, sic non expers erit iustitiae Christi. Nova enim terra futura est et novum coelum.

5. *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini; a facie Domini omnis terra.* Hieronymus: *omnis terrae.* Haec allegorice dicta sunt de tempore Mardochaei et Christi, quum montes eo honore spoliati sunt, quem sibi ex deorum fanis arrogaverant; proprie autem

de ultimo iudicio, quum montes et colles ut cera li- Ps. 96, 5.
quefient.

6. *Annuntiaverunt coeli iustitiam eius et viderunt omnes populi gloriam eius.* De coelis iustitia exivit, gloria in terris cognoscitur. Cf. Ps. 75, 9. 88, 6.

7. *Confundantur omnes qui adorant sculptilia et qui gloriantur in simulacris suis.* Qui falsos deos colunt, ei socii sunt eius, qui in v. 10. *peccator* nominatur. Qui omnes divino iudicio intereunt.

7. *Adorate eum omnes angeli eius.* 8. *Audivit et laetata est Sion.* Hieronymus: *adorate eum omnes dii,* Hebraeus: *subiecerunt se ei omnes dei.* Superstitiosis hominibus deletis, de divino iudicio homines Deo similes laetantur gaudetque mons Sion. Sed animadvertendum est, poetam antea dixisse: *vidit et commota est terra,* nunc autem: *audivit etc.* Terra i. e. populus Iudaicus, quum in media Asia contra Scythas iudicium haberetur, praesens adfuit viditque. Mons Sion contra, quae Susis gesta sunt, audivit atque accepit. Etiam mons Sion ille qui in coelis est, de ultimo iudicio audiet gaudioque complebitur.

8. *Et exultaverunt filiae Iudae propter iudicia tua Domine.* Vt filias Iudae dicamus urbes Iudaeae tunc temporis vastatas et dirutas, quum membrorum convenientia tum aequabilitas sententiarum postulare videtur.

9. *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos.* Deus se altissimum summumque Dominum esse ostendit, quum e medio tolleret Idumaeos inventores deorum omnium. Amplitudo autem eius plurimum etiam ad gloriam montis Sion populique Iudaici magnificentiam valuit.

10. *Qui diligitis Dominum odite malum, custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.* Peccator intelligendus est vel Aman

Ps. 96, 10. vel diabolus. Suos Deus cripuit per Mardochaeum et Christum de manu ferroque peccatoris. Quamobrem quid tam aequum quam grati animi causa Deum diligere ac vitia fugere?

11. *Lux orta est iusto et rectis corde laetitia.* Cf. Esth. 8, 16. *Iudaeis autem nova lux oriri visa est gaudium honor et tripudium.* Mardochaeo nova orta lux est, quum ex moerore squaloreque ad honores illustrissimos efferretur, Christo autem, quum ex inferni tenebris ereptus immortalitatis gloria indueretur. Simul et Iudaeis et Christianis aeterna nata laetitia est.

12. *Laetamini iusti in Domino et confitemini memoriae sanctificationis eius.* Sanctificationis nostrae memoriam ut Iudaei in coena Mardochaica, sic nos in sacrificio eucharistico recolimus.

PSALMVS XCVIII.

De Dei iudicio et regno.

Plurimum me et utilitatis ex hoc carmine et delectationis cepisse fateor, etiamsi haud scio an mihi verendum sit, ne eis qui ab typica sive prophetica interpretandi ratione abhorrent vel nimius vel etiam ineptus esse videar. Nam in solitudinis schola istorum iam de me iudicia nihil prorsus curare didici, neque umquam mihi aut eorum studium appetendum aut fugiendam iram arbitrabor. Nam quamvis velimus prodesse omnibus: tamen intelligimus nostra non posse nec probata esse nec iucunda nisi eis, qui die et nocte in divina lege meditanda versari voluerint. Quod autem magnam mihi laetitiam attulit dictum illud est: *Moyses et Aaron in sacerdotibus eius et Samuel inter eos qui invocant nomen eius*; quod quidem interpretibus natu minoribus visum est multis difficultatibus implicatum. Sed id non

modo non obscurum est, sed plurimum etiam rei Esthe- Ps. 98.
rianae lucis splendorisque affert. Nam verbis illis designati sunt homines tres, qui in captivitate ex Iudaeis omnibus maxime excelluerunt; neque illi quidem solum, verum etiam ei, qui illorum postea partes susceperunt. Sed videamus de veterum auctorum sententiis. Plerique et sanctissimi interpretes hoc carmen vaticinium dicunt esse de regno Christi. Sed Deus ea quae ad nostram redemptionem pertinent Iudaeos figuris et experientia potius quam praeceptis docere, nobis autem re ipsa ante oculos ponere quam verbis exprimere maluit. Verumtamen ut rerum memoriam integram servaret, rem Mardochaicam hoc carmine ita a propheta exponi voluit, ut et Iudaei ex ea redemptionem potuerint perspicere et nos ultimum iudicium cognoscere possimus [1]). Neque vero si hunc psalmum ad rem Mardochaicam retulerimus, a veterum auctoritate discedemus. Nam interpretes qui fuerunt maxime historiae studiosi, ut Theodoretus Beda Paraphrastes Graecus alii, eum de ea victoria esse existimarunt, quam exsules de Babyloniis assecuti sint [2]). Eiusmodi autem victoria nulla fuit nisi Mardochaica. Sed omnino, similitudine cognationeque sententiarum considerata, illum et ab eodem poeta, a quo multi ex superioribus, et eadem de re scriptum iudicabimus.

1) S. Augustinus ex historia prophetas dicit velamen mysteriorum assumpsisse, quod auferatur, si ad Christum transitum fecerimus; veluti ad Ps. 7, 1: *Sed quoniam non ipsa historia in hoc psalmo consideranda est, de qua propheta mysteriorum velamen assumpsit.* In eadem sententia fuit S. Chrysostomus in Ps. 44, 3: *Prophetiae est, partes aliquas (vitae Christi et redemptionis) sumere et de eis disserere. Et ideo prophetae quoque hoc ubique faciunt. Nam pauca quaedam quae ad historiam pertinent, iniicientes et adumbrantes recedunt.*

2) Theodoretus Beda Paraphrastes Graecus Calmet. in h. ps.

Ps. 98, 1. 1. *Dominus regnavit, irascantur populi, qui sedet super Cherubim moveatur terra.* Quod super Cherubim Dominus sedere dicitur, spectare quidam ad arcam putarunt. Qua quidem in re quam vehementer erraverunt? Quis enim est, quin videat hoc non ad arcam quam Cherubim velabant alis, sed ad visionem Ezechielis pertinere? Adveniente Domino, ex poenarum metu contremiscunt ei qui alibi enumerati sunt populi; terra autem i. e. populus sanctus movebitur pietate reverentia religione.

2. *Dominus in Sion magnus et excelsus super omnes populos.* Eum qui ante templum deletum sedem suam in Sion constituerat, Dominum magnum praedicat eumdemque in certamine dicit superiorem fuisse populis omnibus.

3. *Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile et sanctum est.* Occisis Idumaeis, nomen divinum non in Iudaeis solum sed in gentibus etiam magnum gloriosumque effectum; terribile hoc quidem inimicis, sanctum vero Iudaeis visum est.

4. *Et honor regis iudicium diligit, tu parasti directiones, iudicium et iustitiam in Iacob tu fecisti.* Hieronymus: *imperium regis*, Hebraeus: *robur regis*, ut nos dicimus: *maiestas*. Assuerum quum Amanis litteras rescinderet, iustitiae iudiciique amantem fuisse, propheta libenter confitetur. Attamen Deum dicit esse ipsum, qui iusta et aequa paraverit, qui ipsum vocaverit ad salutem, Idumaeos homines iniurios ad perniciem.

5. *Exaltate Dominum Deum nostrum et adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Hieronymus: *quia sanctus est*. Domini scabellum mons dicitur Sion et terra sancta. Non terram adorare ipsam, sed ad terram conversi adorare iubentur (Hebr. *ad scabellum*).

6. *Moyses et Aaron in sacerdotibus eius et Samuel inter eos qui invocant nomen eius.* Moyses et Aaron in Ps. 76. duces populi fuisse Babylonico tempore dicuntur. *Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysis et Aaron.* Hoc autem loco ambo vocantur sacerdotes. Et re quidem accuratius considerata, tres illi: Moyses Mardochaeus Christus iddem obtinuerunt sacerdotium; duo quidem primi typicum, tertius verum et proprium. Nam Moyses nonne se ipsum, ut ita dicam, victimam praebuit, ut Iudaeos ex ira furiisque divinis salvos reciperet? quum illos Dominus delere novamque gentem ex ipso creare vellet. At hic lacrimis admonitionibus supplicationibusque tandem Deo superior ac fortior evasit effecitque, ut ille consilium suum prorsus immutaret. Iddem Paschalia sacrificia instituit, eucharistiae signa et auguria, eaque in gratam fieri redemptionis memoriam iussit. Omnino similis est ratio sacerdotii Mardochaici. Quid enim? Mardochaeus ut populum servaret, non vitam suam extremo periculo acerbissimoque crucis supplicio obiecit? non cruci ipse typice affixus, populum ex Amanis laqueo eripuit? nonne sacrificium novum esse voluit incruentum et a ceteris diversum? convivium laetum quod ubique terrarum offerretur? augurium communionis, ne ex eorum qui servati essent mentibus huius tanti beneficii memoria umquam excideret? In Moyse et Mardochaeo similitudinem vidimus, in Christo veritatem reperiemus. Nam Christus admirabilis ille sacerdos nonne tanta in nos caritate exarsit, ut vere se offerret, vere se hostiam nobis cibumque dare vellet? Atque hoc sacerdotii genus omne aliterne ab Aaroniano differt, quam Melchisedech ab Abrahamo? Melchisedech nec ex circumcisione nec ex Abrahami semine erat, et tamen multo superior. Moyses, licet neque ex legitimis sacerdotibus neque ex filiis Aaron Ps. 98, 6.

Ps. 98, 6. fuerit, tamen fratre ut natu minor sic sacerdotio maior fuit. Mardochaeus nec ex Levitis nec ex Aaronitis ortus, sacerdotali tamen dignitate illos ipsos anteivit. Christus non ex sacerdotum genere natus, summus tamen pontifex et est et erit in aeternum. At vero sacerdoti Melchisedech testimonium perhibuit Abrahamus, quum illi daret decimas; similiter Moysi Aaron, quum ab illo munus sacerdotale legesque acciperet; item Mardochaeo Ezechiel sacerdos, quum de illius convivio festoque die vaticinaretur; denique Ioannes Bapt. testimonium dedit Christo. Atque hi quidem omnes qui testes sunt natu erant maiores, quam ei de quibus sunt testati. Ex Abrahamo autem genitus est Aaron, ex Aarone Ezechiel atque Ioannes Baptista. Sed haec quidem breviter exposita sint. Mardochaeus igitur qui Christi locum tenuit, Moysis nomine nuncupatur; Ezechiel, qui Ioannis Baptistae partes similitudinesque gessit, sub Aaronis nomine latet. Iam restat, ut de Samuele quaerendum sit. In eorum numero, qui in Babylonico exsilio sapientia sanctitatisque gloria floruerunt, tertius erat Daniel. Is ex regali Davidis genere oriundus a Chaldaeorum rege in exsilium delatus coactus est ut eunuchus fieret. Quum Susannam ex impiorum manibus eriperet, dignus inventus est, qui *iudex Dei*, id enim nomen valet, appellaretur. Imperio autem a Chaldaeis ad Medos translato, is quoque in Assueri potestatem venit. Nam Athach ille, qui Estherae a rege est eunuchus datus, Danielem eum fuisse prophetam, a Iudaeis memoriae traditum est. Idem quum ceteri Iudaei in patriam redirent, in Babylonia senex remansit. Vaticinatus est autem de adventu Christi, numeris adiectis accuratissimis, et de quattuor populorum in imperio successione. Hic autem tam singularis homo hoc loco appellatur Samuel, quoniam eorum uterque ex tribu Iuda natus receptus est

in prophetarum numero [1]). Sed vices Daniel similitudi- Ps. 98, 6.
nesque gessit Ioannis Apostoli. Nam, ut alia omittam, Ioannes Evangelista, sicuti accurate et subtiliter investigavit G. C. Mayer, ex genere natus est Davidico [2]). Sed propter regnum coelorum quum seipsum castrasset, eo honore dignus existimatus est, ut, quemadmodum Danieli feminarum omnium pulcherrima Esthera, sic huic Maria quae eadem et mater fuit et virgo committeretur. Hic praeterea Romae Danielis subivit martyrium. Sed e crudelium beluarum faucibus mirabiliter ereptus vaticinia scripsit, verissimis numeris additis, de imperio Romano, de Gog, de Magog, de variis sanctorum vicissitudinibus. Quum iam ante Hierosolyma eversa ceteri apostoli omnes in coelestem patriam vocati essent, hic solus, ut Daniel, in exsilio remansit, donec Dominus Romanos Iudaeosque iudicatum veniret.

6. *Invocabant Dominum et ipse exaudiebat eos* 7. *in columna nubis loquebatur ad eos.* Mardochaeus igitur et Ezechiel et Daniel Dominum obsecrarunt, ut populum suum qua virtute ex Pharaonis manibus liberasset, eadem ex Amanis iniuriis vindicaret.

7. *Custodiebant testimonia eius et praeceptum quod*

---

1) Plerique Samuelem ortum putant ex Levi, falsa in Parall. libris scriptura decepti. Samuelis genealogia haec est: Samuel, Elcana Ieroham Eliu Thohu Suph Hur (Ephrata, Aram) Erron Phares Iuda (I. Regg. 1, 1.). Samuel a Iuda nonus erat, David decimus. Luc. 3, 31. Mth. 1, 3. Genealogiam autem Samuelis, quae est in I. Parall. 6, 33. interpositam esse facile patebit. Nam Sadoc Davidis aequalis a Levi erat decimus tertius (I. Parall. 6, 8.); Asaph. qui Davide regnante fuit, decimus quartus (l. c. 39.); Ethan qui eodem tempore vixit, item decimus tertius (44.); Heman autem, qui etiam Davidis aequalis fuit, quomodo a Levi vicesimus primus esse potest (Ibid. 33)? Haec tanta differentia num aliunde nata est quam quod illius genealogiae sunt Samuelis maiorumque eius nomina interposita?

2) G. C. Mayer. Die Aechtheit des Evangeliums nach Iohannes.

Ps. 98, 7. *dedit illis*. Dominus praecepit, ne ex Idumaeorum bonis omnino quid appeterent neve ex eis populum praedam agere paterentur.

8. *Domine Deus noster tu exaudiebas eos*. Deus quum nullos umquam supplices repudiavit, tum tam sanctorum hominum preces audivit.

8. *Deus tu propitius fuisti eis et ulciscens in omnes adinventiones eorum*. Hebraeus: *perdens fuisti pro eis et vindicans* etc. Eodem modo Syrus: *ultor fuisti pro eis, repende illis iuxta opera eorum*. Deus sanctorum preces quam sibi gratae fuerint re ipsa ostendit. Nam ut eas iniurias, quas impii in Iudaeos machinati erant, ulcisceretur, vindex iudexque eorum exstitit.

9. *Exaltate Dominum Deum nostrum et adorate in monte sancto eius, quoniam sanctus Dominus Deus noster*. Hebraeus ut supra: *adorate ad scabellum*, sic hoc loco: *ad montem*. Iudaei exsules ad occidentem vel ad montem Sion conversi Deum orare atque obsecrare solebant. Nos quoque in antiquis basilicis sacra facimus conversi ad occidentem, unde eum exspectamus, qui ascendet super occasum.

PSALMVS CI.

De Christi angoribus vaticinium ex re Mardochaica petitum.

A Babylonico tempore hunc psalmum disiungere neque per versus 14. ss. licet neque per auctoritatem doctissimorum interpretum. Nam Athanasius Eusebius Theodoretus Beda permultique alii eum exsulis cuiusdam hominis personae attribuunt [1]). Sed si voluerimus ac-

---

1) Athanas: Qui pauper secundum Deum est i. e. prophetarum chorus repletus dolore ob prioris populi excidium etc. Eusebius ad v. 7:

curatius inquirere, a persona Mardochaei haudquaquam eum alienum esse videbimus. Nam illustris illa afflicti pauperisque descriptio, quae in prima parte 1–13. invenitur, nonne ea tota ex Mardochaicis doloribus deprompta ac contexta est? Praeterea pauper ille, ut apud prophetas Mardochaeus, *vinctus* vocatur, Iudaei vero Amani venditi *filii mortis*. Omnino autem tanta huius est cum ceteris de quibus diximus psalmis cognatio ac sententiarum coniunctio, ut segregari ab eis nullo pacto possit. Sed ut res Mardochaica figura, ita hic psalmus vaticinium est quod spectat ad Iesum Christum. Quod quidem et titulus significat [1]) et Augustini Gregorii aliorumque testimonia confirmant, qui de Christo hoc carmen acceperunt. Quae igitur de Mardochaei doloribus et de aedificando templo sunt dicta, ea ad Iesum Christum et ad condendam ecclesiam transferemus. Ps. 101.

2. *Domine exaudi orationem meam et clamor meus ad te veniat.* 3. *Non avertas faciem tuam a me, in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam, in quacumque die invocavero te, velociter exaudi me.* Dolorum angustiarumque dies pro sabbatum fuit, quum Dominus ab hora tertia usque ad vesperam in cruce pendebat; de quo die proprie possunt prophetae verba intelligi.

4. *Quia defecerunt sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut cremium aruerunt.* Hieronymus: *ossa mea sicut frixa contabuerunt*, Hebraeus: *ossa mea sicut focus*

Declarat gentis vastitatem et solitudinem, talem videlicet, ut unus tantum vel duo aut pauci admodum remanerent, qualis erat Ieremias aut Baruch aut si quis alius ex eis qui tunc relicti sunt ex quorum persona haec dicuntur. Theodoretus Beda Euthymius Paraphrastes Graecus etc.

1) Inscriptio haec est: *oratio afflicti, quando deficiet angore et coram Domino effundet precem suam.*

Ps. 101, . *exusta sunt*. Christus corroborata aetate atque in ipso medio vitae cursu erat, quum ab hostibus abreptus necatusque est. Itaque dies eius, extincto vitae igne, defecerunt, ut fumus, et ossa omni vigore privata relicta sunt ut cinis ignisque consumptus.

5. *Percussus sum ut foenum et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Mardochaei vita quum Amanis litteris tum praecipue nequissimo illo amicorum consilio praecisa. A pane sese ille quidem per dies tres abstinuit.

6. *A voce gemitus mei adhaesit os meum carni meae.* Moerore fletuque ita confectus est, ut ossa inter se dissoluta non aliter nisi vinculis carnis cohaerere viderentur.

7. *Similis factus sum pellicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax in domicilio.* 8. *Vigilavi et factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Pro *nycticorax* Hieronymus: *bubo*, et *avis* pro *passer*. Christus, ut ab hostibus comprehenditur, statim est ab omnibus amicis derelictus cf. Ps. 87, 9. Quod de *vigilando* dicit, id quum de aliis temporibus est tum maxime de postrema nocte intelligendum, quam ab hostibus vexatus illususque transegit.

9. *Tota die exprobrabant mihi inimici mei et qui laudabant me, adversum me iurabant.* Pro *qui laudabant me* Hieronymus: *exsultantes*, Hebraeus: *insanientes in me*. Pharisaei Christum crucifixum per totum diem dira contumelia verborum conviciisque affecerunt.

10. *Quia cinerem tamquam panem manducabam et potum meum cum fletu miscebam.* Haec de Mardochaeo, qui per supplicationum dies sordidatus, indutus sacco humique prostratus ab omni cibo potuque abstinuit. Christus quoque cinerem pro pane mandu-

casse idcirco intelligitur, quia maledictum subivit illud, Ps. 101, 10.
quod in serpentem erat ab initio pronuntiatum.

11. *A facie irae et indignationis tuae, quia elevans allisisti me.* Ira indignatioque divina a nobis est in Christum translata. Illud *elevare* vel ad confirmatam aetatem perducere significat vel in crucem tollere.

12. *Dies mei sicut umbra declinaverunt et ego sicut foenum arui.* Exitus vitae cum vespera diei haud ineleganter comparatur.

13. *Tu autem Domine in aeternum permanes et memoriale tuum in generationem et generationem.* Aegroti quum mortem appropinquare sentiant, solem sempiternos fere cursus perficere, naturamque maxima praeditam diuturnitate dicunt, quum e contrario corpus suum, quae naturae pars sit nobilissima, mori ac corrumpi queruntur. Similiter Mardochaeus, tu Domine, inquit, aeternus es et commemoratio tua perpetua; mihi vero quem tuas gerere partes voluisti, tam brevem vitam concedis.

14. *Tu exsurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi eius, quia venit tempus.* Hebraeus: *quia venit tempus statutum.* Templi Deus montisque Sion misertus est, quum altare restaurari iussit. Templum autem ecclesiam significat. Ecclesiae consuluit, quum misso Spiritu sancto, eam tamquam domum templumque condidit. Aedificatum est autem altare quadraginta octo annis post Mardochaeum liberatum. Effusus est Spiritus sanctus totidem diebus post Christum suscitatum. *Annus pro die imputabitur* 1). Scriptus igitur hic psalmus videtur brevi ante reditum.

15. *Quoniam placuerunt servis tuis lapides eius et terrae eius miserebuntur.* Iudaei sanctos habuerunt lapides

1) Num. 14, 34. cf. Ezech. 4, 6.

Ps. 101, 15. pulveresque Sion, quoniam antea ad Dei templum pertinuerant. Vt ab aedificatione Sion ad constitutionem ecclesiae venimus, sic ab ecclesia ad eam progredi civitatem debemus, quae futura est post resurrectionem. Sed ut Iudaeis tunc lapides templi, sic nunc ossa nobis pulveresque sanctorum videntur colenda ac veneranda, quoniam corporis sanctorum i. e. templi Spiritus divini reliquiae sunt.

16. *Et timebunt gentes nomen tuum Domine, et omnes reges terrae gloriam tuam.* Iam Mardochaico tempore multi ex gentibus Iudaicas ceremonias sectari, nonnulli etiam ex Chaldaeorum Medorum Persarumque regibus nomen divinum timere coeperunt. Paulo post Christum suscitatum in ecclesiam receptae sunt gentes. Post extremum iudicium, qui ex gentibus legem naturae secuti fuerint, ad familiam Dei assumentur.

17. *Quia aedificavit Dominus Sion et videbitur in gloria sua.* Aedificavit Deus Sion post reditum, ecclesiam condidit post Christi assumptionem, civitatem coelestem post omnium resurrectionem fundabit; et tum ostendetur Christus in gloria sua.

18. *Respexit in orationem humilium et non sprevit precem eorum.* Hebraeus: *orationem solitarii.* Qui solitarius, qui inops pauper derelictusque dicitur, is est qui antea commemorabatur vel Mardochaeus vel Christus. Prior ille atque Esthera solitarii vocantur in Ps. 67. 7. De Estheriana solitudine Ioannes in Apoc. 12, 6. *Et mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum a Deo.*

19. *Scribantur haec in generatione altera, et populus qui creabitur laudabit Dominum. Creare* valet iddem, quod vel redimere vel regenerare. Propheta autem scribi vult ea, quae sequuntur.

20. *Quia prospexit de excelso sancto suo. Dominus*

de caelo in terram adspexit. Adspicere habet hanc vim, Ps. 101, 20.
ut propitium esse, gratiamque tribuere significet. Christus qui paulo ante patrem, ne faciem suam averteret, oravit, nunc impetrasse se quod voluerit confitetur.

21. *Vt audiret gemitus compeditorum et solveret filios interemptorum.* Hebraeus: *gemitus vincti, filios mortis.* Qui *vinctus* dicitur Christus est cruci affixus. Huius Deus Pater supplicationes audivit, sacrificiumque suscepit. Qui *filii mortis* appellantur, numquid alii sunt quam nos vel capitis damnati, vel servi eius qui mortis potestatem habuit?

22. *Vt annuntient in Sion nomen Domini et laudem eius in Ierusalem.* Nomen eius psalmis celebramus in ecclesia, celebraturi sumus in coelestibus Hierosolymis.

23. *In conveniendo populos in unum et reges ut serviant Domino.* A lectoribus ea velim assumi, quae supra dicta sunt de conversione gentium.

24. *Respondit ei in via virtutis suae, paucitatem dierum meorum nuntia mihi.* Hieronymus cum Hebraeo: *Afflixit in via fortitudinem meam, abbreviavit dies meos.* Christus confirmata aetate necatus.

25. *Ne revoces me in dimidio dierum meorum, in generationem et generationem anni tui.* Hieronymus et Hebraeus: *Dicam, ne rapias me in medio.* Oratio est Mardochaei ad Christum, ad quem haec ipsa verba a s. Paulo revocata sunt [1]).

26. *Initio tu Domine terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli.* Filio idcirco hoc loco creatio adscribitur, quoniam per eum facta sunt omnia.

27. *Ipsi peribunt, tu autem permanes.* Huius mundi figura peribit. Christus autem, quia corpus habet glo-

---

1) Hebr. 1, 10.

Ps. 101. 27. rificatum, etiam secundum carnem a naturae legibus exceptus est.

27. *Et omnes sicut vestimentum veterascent et sicut opertorium mutabis eos et mutabuntur.* In saeculorum fine natura haudquaquam ad nihilum redigetur. Sunt enim naturae partes glorificata corpora et Christi et nostra. Futurum est enim, testante Apostolo, ut etiam natura resurrectionis socia, gloriae Christi particeps ac nostra in laudando Deo adiutrix sit.

28. *Tu autem ipse es, et anni tui non deficient.* Corpus Christi divina iam immortalitate praeditum.

29. *Filii servorum tuorum habitabunt et semen eorum in saeculum dirigetur.* Hieronymus et Hebraeus: *et semen eorum ante faciem tuam perseverabit.* Qui vocantur *filii*, intelligendi sunt ei Iudaei, qui a tempore Babylonico usque ad Christum vixerunt; *semen* autem illi sancti sunt, qui a Christo usque ad finem saeculi nascuntur. Nam nos terrae sanctae incolae divina semper gubernatione gaudemus.

CAPVT SEXTVM

DE PSALMIS LIBRI QVINTI.

SPALMVS CVI.

De Iudaeorum periculo et salute.

Quaedam in hoc psalmo vox est, quam qui ad Palaestinensium dicendi consuetudinem perpenderit, non poterit dubitare, utrum in Babylonia hic psalmus, an in Iudaea conscriptus sit. Nam Israelitae quum mare ad occasum versus attingerent, pro occidente simpliciter mare dicere solebant. At vero in Susianam, in Ba-

byloniamque ducti, necessario ab hoc loquendi more Ps. 106.
discesserunt. Nam quum inde meridiem versus ad mare spectarent, meridiem mare vocabant, non occidentem. Atqui *mare* verbum in hoc carmine habet hanc vim, ut meridiem partemque declaret australem. *Congregavit eos a solis ortu et occasu, ab aquilone et mari.* Eadem huius verbi ratio est in Ps. 88. ubi illud partes austri indicat aquiloni contrarias. *Aquilonem et mare tu creasti.* Sed Iudaei quamquam etiam in Palaestina meridiem appellare mare poterant [1]), tamen naturam rerum ita sunt secuti, ut non meridiem sed occidentem verbo illo simpliciter exprimerent. Quae quum ita sint, huius psalmi scriptor in exsulum numero ducendus est. Sed quod ex illius vocabuli usu ac significatione coniecimus, iddem et ex argumento, ut arbitror, et ex testibus cognoscere licet. Nam Iudaei, quamvis multa falsa, hoc tamen verum tradiderunt, esse hunc psalmum Israelitarum exsulum [2]). Quod iddem plurimi interpretes vel ex psalmo ipso vel ex testimoniis perspexerunt, veluti Theodoretus, Syrus, Theodorus Heracleota, Paraphrastes Graecus, Beda multi alii [3]). Neque vero exsilium Babylonicum in universum, sed ea celebrata res est, quae in toto Iudaicorum temporum decursu maximi momenti est, et quae Estherae libro tantum conciliavit auctoritatis, ut loco proximo secundum Moysem haberetur. Sed in hac eadem re illustre redemptionis nostrae ac singulare quoddam cernitur augurium. Quamobrem etiam hunc psalmum vel ad redemptionem [4]),

1) Amos 8, 12.

2) Apud Euthymium.

3) Theodoretus, Syrus, Theodorus Heracleota, Paraphr. Graec. Beda Ferrandus Calmet. alii.

4) Cassiodorus in h. ps.

Ps. 106. vel ad summa beneficia Dei [1], vel ad vocationem gentium spectare vere dici potest [2]). Constat autem ille quidem ex partibus quinque, quarum tres primae versus habent septenos, reliquae duae paulo plures. Initium argumentumque eius haud scio an significatum sit ab Iesaia 12. Etenim pars prima a verbis incipit: *Confitemini Domino*, reliquae omnes ab hoc versu: *Confiteantur Domino*, vv. 8, 15, 21, 31.

1. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius.* Hebraica fortasse verius reddantur: *Confitemini Dominum, quoniam bonum.* Nam et alibi dictum est: *Bonum est, confiteri Domino*, et ita reddidit interpres Graecus I. Esdr. 3, 11: *et respondebant in laude et confessione Domino, quoniam bonum.* Principio Deus Adamum a repentina morte defendit, deinde Noen ex aquis diluvii, postea Israelitas e maris abysso eduxit. Haec autem quae in Deo semper fuit misericordia etiam in saeculum permansit, quoniam sanctos per Mardochaeum, ac nos per Christum redimere ac recuperare voluit [3]).

2. *Dicant qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici et de regionibus congregavit eos,* 3. *a solis ortu et occasu, ab aquilone et mari.* Si verbi propria vis consideratur, redimi nequeunt, nisi qui vel venditi vel in alterius potestate sunt. Vt Iudaei autem Amani, sic homines omnes venditi erant daemoni.

4. *Erraverunt in solitudine et in inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt.* Pro *in inaquoso viam* Hieronymus: *in deserta via*, Hebraeus: *in ino-*

1) Euthymius.

2) Eusebius Athanasius Hieronymus.

3) Ioann. Chrysost. in Ps. 135, 1. *Quid est: in saeculum. Deus perpetuo miseretur, nec umquam desinit hoc facere, etiamsi hoc faciat variis et diversis modis.*

pia viae. Deus Iudaeos in exsilium solitudinemque duci Ps. 106, 4.
passus est. *Ego ducam eam in solitudinem.* In solitudine autem, quum nec viam ullam, nec ducem haberent, nullum potuerunt quietis tranquillitatisve locum invenire.

5. *Esurientes et sitientes anima eorum in ipsis defecit.* De veritatis fame ac de studio desiderioque sapientiae poeta loquitur cf. Am. 8, 11. Nam ubi Iudaei ante Mardochaeum magistrum et ubi ante Christum gentes habitabant, ibi *facta est fames valida et ipsi coeperunt egere.*

6. *Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum eripuit eos.* Hebraeus vel *eripiet* vel *clamaverunt, ut eriperet.* De hoc quidem Iudaeorum clamore mentio est Esth. 4, 1-3. Iudth. 7, 18. ss.

7. *Et deduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis.* Deus eos in dolores acerbitatesque duxit eo consilio, ut cum magno animi moerore scelerum suorum recordarentur. Poenitentiae autem fructum quum tulerunt, nonne in eam statim viam ducti sunt, qua in civitatem quietis tranquillitatisque plenissimam redire possent?

8. *Confiteantur Domino misericordiae eius et mirabilia eius filiis hominum.* Septuaginta utrum *misericordiae* an *misericordias* intelligi voluerint, diiudicari nequit. Hebraeus: *Confiteantur Domino misericordiam eius.* Iudaei laudibus Dominum extulerunt propter misericordiam, gentibusque quae mirabilia fecerat, nuntiaverunt.

9. *Quia satiavit animam inanem et animam esurientem satiavit bonis.* Haec et ad coenam et ad doctrinam spectant Mardochaicam, neque aliena sunt vel ab eucharistia vel a doctrina coelesti, quibus desiderium nostrum a Christo est expletum.

Ps. 106, 10. 10. *Sedentes in tenebris et umbra mortis, vinctos in mendicitate et ferro.* Talis prorsus fuit conditio Iudaeorum, quum ab Amane mortis vinculis constricti tenerentur; eadem conditio gentium, quae erant in potestate daemonis.

11. *Quia exacerbaverunt eloquia Dei et consilium Altissimi irritaverunt.* Vna omnium malorum causa fuit impietas Iudaeorum.

12. *Et humiliatum est in laboribus cor eorum, infirmati sunt nec fuit qui adiuvaret.* Pro *infirmati sunt* Hieronymus: *ceciderunt.* Quis adiuvare, quis sublevare possit eum, quem Dominus deserit ac cadere vincique sinit? Deus autem Iudaeos ferociae Amanis, gentes vero furori daemonis tradiderat.

13. *Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur et de necessitatibus eorum liberavit eos.* 14. *Et eduxit eos de tenebris et umbra mortis et vincula eorum disrupit.* Superavit fortem fortior atque eos, qui ab illo capti illaqueatique tenebantur liberavit. Amanem Mardochaeus devicit, daemonem Christus.

15. *Confiteantur Domino misericordiae eius, et mirabilia eius filiis hominum.* 16. *Quia contrivit portas aereas et vectes ferreos confregit.* Iudaei quum capitis damnati essent, iam in tenebrarum carcerem quodammodo coniecti erant. Verum carceris portae aereae vectesque ferrei confracta sunt per Mardochaeum, per Christum.

17. *Suscepit eos de via iniquitatis eorum, propter iniustitias enim suas humiliati sunt* 18. *Omnem escam abominata est anima eorum et appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Iudaei quum peccarent, praecipites iverunt ad mortem. Sed a Domino suscepti sunt, quum quantopere poeniteret se peccatorum, ieiunio lacrimis precibusque significarent.

19. *Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur*

et de necessitatibus eorum liberavit eos. [20] *Misit verbum suum et sanavit eos et eripuit eos de interitionibus eorum.* Verbum dicere illud possumus, quod litteris Mardochaicis conceptum est. Neque tamen negaverim, eodem tempore intelligi posse Verbum, quod caro factum est. Ps. 106, 20.

[21] *Confiteantur Domino misericordiae eius et mirabilia eius filiis hominum* [22] *et sacrificent sacrificium laudis et annuntient opera eius in exsultatione.* Hieronymus: *et immolent hostias gratiarum et narrent opera eius in laude.* Deo Iudaei gratias egerunt in coena Mardochaica, nos in coena Domini. Nam novi foederis sacrificium in primis est eucharisticum, et ob eam causam apud Graecos ab agendis gratiis nomen accepit. Vt autem in v. 22. membrum unum ad puram immaculatamque hostiam spectat, sic alterum ad sacrificium laudis.

[23] *Qui descenderunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis* [24] *ipsi viderunt opera Domini et mirabilia eius in profundo.* Fragilibus navibus Iudaei commissi ingens invehi mare gentium coacti sunt. Sed aquarum vi et vehementia inferiores atque iniquitate Idumaeorum depressi, in ipso profundo testes erant admirabilium operum Domini.

[25] *Dixit et stetit spiritus procellae, et exaltati sunt fluctus eius.* [26] *Ascendunt usque ad coelos et descendunt usque ad abyssos; anima eorum in malis tabescebat.* Hieronymus: *dixit et surrexit ventus tempestatis.* Iudaei, quum ab Amane tempestatem in se concitatam cognoscerent, prophetarum vocibus ad spem quidem erecti, sed certissimae mortis periculo considerato, in acerbissimam maestitiam reiecti sunt.

[27] *Turbati sunt et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est.* Fluctibus vehementer ia-

Ps. 106, 27. etati neque sese ipsos salvare posse intellexerunt nec praeter Deum esse quemquam, qui ipsis opem ferre posset. Itaque quum spem in se nullam haberent, ad Deum adiutorem ac liberatorem suum refugerunt.

28. *Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum eduxit eos.* 29. *Et statuit procellam eius in auram et siluerunt fluctus eius.* 30. *Et laetati sunt, quia siluerunt, et deduxit eos in portum voluntatis eorum.* Amane sublato, turbulentissimae procellae mirabilem in modum placatae sunt ac mitigatae. Itaque Iudaei ventis usi secundis, ad salutis portum, ad quem tanto cum desiderio tetenderant, feliciter pervenerunt.

31. *Confiteantur Domino misericordiae eius et mirabilia eius filiis hominum.* 32. *Et exaltent eum in ecclesia plebis et in cathedra seniorum laudent eum.* Duplex est laudandi ratio, quarum una in psalmis canendis, altera in praedicando evangelio cernitur. Etenim ita divinum officium conficere solemus, ut in psalmis Deum alloquamur, in lectionibus divinam vocem percipiamus.

33. *Posuit flumina in desertum et exitus aquarum in sitim.* 34. *Terram fructiferam in salsuginem a malitia inhabitantium in ea.* Idumaeorum gentem Babylonico tempore delevit; flumen i. e. propagationem eorum praecidit; terram vastam desertamque esse voluit. Similiter Iudaeam fertilem antea atque amoenissimam terram ob necatum Christum igne ac ferro a Romanis vastari iussit.

35. *Posuit desertum in stagna aquarum et terram sine aqua in exitus aquarum.* Iudaica gens quae sublata ab Amane esse videbatur, denuo propagari atque augeri coepta est. Qui siti paene erant confecti, ei aquis sapientiae Spiritusque sancti abunde recreati sunt. Iudaea

autem, templo everso, aruit; Roma, apostolica sede constituta, rursus florere coepit. Ps. 106, 35.

36. *Et collocavit illic esurientes et constituerunt civitatem habitationis.* 37. *Et seminaverunt agros et plantaverunt vineas et fecerunt fructum nativitatis.* 38. *Et benedixit eis et multiplicati sunt nimis et iumenta eorum non minoravit.* Haec quidem in Babylonia evenerunt Iudaeis, antequam ab Amane vexabantur. Ierem. 29, 5. ss.

39. *Et pauci facti sunt et vexati sunt a tribulatione malorum et dolore.* Hebraeus: *Et diminuti ac depressi sunt a tyrannide mala et anxietate.* Depressi sunt tyrannide Amanis hominis nequissimi.

40. *Effusa est contemptio super principes et errare fecit eos in invio et non in via.* Quos principes dicit, primum quidem intelligendi sunt Davidis posteri, ut Manasses et qui eius erant similes, deinde etiam Pharisaei.

41. *Et adiuvit pauperem de inopia et posuit sicut oves familias.* Hieronymus cum Aquila et Symmacho: *et ponet quasi gregem familias.* Qui in his psalmis saepius dicitur pauper, et Mardochaeus aestimandus est et Christus. Horum uterque ex tristissima afflictatione ad summos honores elati sunt. De grege cf. Iob 42, 12.

42. *Videbunt recti et laetabuntur et omnis iniquitas oppilabit os suum.* Iusti quum et se ipsos salvos esse et multos ex gentibus religionem suam petere viderent, incredibili laetitia affecti sunt. Iniqui contra pudore suffusi silentium tenere coacti.

43. *Quis sapiens et custodiet haec? et intelliget misericordias Domini.* Hebraeus: *quisquis sapiens, intelliget haec.* Quicumque vel sapiens est vel esse vult, pio animo iudicia Domini custodiat, ut semper in timore Dei atque in humilitate persistat; divinam porro con-

Ps. 106, 43. sideret misericordiam, ut in Deo spes suas omnes ponere discat.

PSALMVS CVIII.

De Mardochaei Christique hostibus.

Propheticum esse hunc psalmum et ad Christi ecclesiaeque adversarios spectare, quis non videt? Nam octavum versum a s. Petro ad Iudam proditorem, totum vero psalmum a patribus esse ad Christum eiusque inimicos relatum, omnibus notissimum est [1]). Sed de historica huius psalmi ratione interpretes inter se magnopere dissentiunt. Etenim s. Chrysostomus versibus 4-16. putavit indicatum aliquem qui sacerdotio insidias paraverit post exsilium Babylonicum [2]). Quidam interpretes Graeci [3]) et eos qui secutus est Beda [4]) eisdem illis versibus designatos dixerunt illos, qui dignitatem sacerdotii tempore Maccabaico venalem fecissent. Recentiores autem Doeg et Achitophel Davidis regis hostes crediderunt esse eos, quibus tantas propheta poenas minitaretur [5]). Sed mea sententia, tria in hoc psalmo inveniuntur, ex quibus pauperis iustique hominis inimicus ille quinam fuerit, definiri potest. Nam ornatum eum esse balteo, ex versu 19. patet. *Et sicut zona qua semper praecingitur*. Erat autem hoc Scythico-

1) Prosper. Aquitan. in h. ps. *Sed si de uno (Iuda) illa omnia quae hic in malo dicta sunt, conemur accipere, expositionis ratio vacillabit.*

2) Io. Chrysost. in h. ps. *Subindicat aliquem qui in sacerdotium paravit insidias post tempus reversionis a Babylone. Id norunt studiosi, qui historiam legerunt.*

3) Apud Paraphr. Graec.

4) Beda in h. ps.

5) Calmel. Bossuet. De Carrières. Di-Vence.

rum regum insigne, ab Hercule acceptum. Prima igitur nota ad eum quem quaerimus inveniendum in eo cernitur, quod regem eum fuisse cognovimus. Sed erat idem praefectus, idque ex versu 8. apparet. *Et episcopatum (praefecturam) eius accipiat alter.* Hoc igitur secundum indicium. Tertium est, quod ceteris iudicibus praefuisse traditur v. 31. *ut salvet a persequentibus (a iudicibus) animam meam.* Haec insignia quae in uno homine rarissime concurrunt, si in Amanem omnia conveniunt, nonne eum hoc psalmo designatum putabimus? Erat autem Aman et rex et totius Asiae praefectus idem et princeps iudicum. Reliqua vero quae vel de eo vel de eius gente dicta sunt, et in ipsum et in Idumaeos cadere intelligetur, si ad interpretationem ventum erit. Aman autem vel Iudae proditoris partes gessit vel Caiphae pontificis vel etiam daemonis. Nam ut hic Mardochaeum, sic illi omnes Christum mactare constituerunt. Ps. 108.

1. *Deus laudem meam ne tacueris.* Omnem viri boni speciem calumniis falsisque accusationibus hostes et Mardochaeo et Christo detrahere conati sunt. Deus non modo utrique existimationem iustitiae restituit, sed summam etiam adiunxit sanctitatis gloriam. Alterum enim salvum esse et ad summos honores ascendere voluit, alterum revocatum ab inferis ad dexteram suam sedere iussit [1]).

2. *Quia os peccatoris et dolosi super me apertum est.* 3. *Locuti sunt adversum me lingua dolosa et sermonibus odii circumdederunt me et expugnaverunt me gratis.* Ex numeri differentia apparet, unum esse iusti adversarium et plures illius adversarii socios. Vnus ille, qui peccator aut dolosus aut vir sanguinum vocari so-

1) Beda.

Ps. 108, 3. let, Aman vel diabolus iudicandus est vel Iudas vel Caiphas. Plures autem isti qui in versu 31. indices appellantur, habendi sunt ei, qui ab Amane et a Caipha sunt ad consilium convocati. Iustum hi quidem calumniis ita circumvenerunt, ut is sibi nullo modo effugere posse videretur; et hoc quidem illi *gratis* fecerunt ac sine causa. Nam non solum nulla umquam ab eo iniuria affecti, sed maximis etiam beneficiis honestati erant.

4. *Pro eo ut me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam.* 5. *Et posuerunt adversum me mala pro bonis et odium pro dilectione mea.* Saepius Mardochaeus hostes suos admonuerat, ut, abiecta superstitione, veram amplecterentur religionem, ut vitarent vitia, ut iustitiam servarent, virtutem colerent. Iesus autem quot beneficia adversariis suis et quanta cum benignitate tribuerat? Quid enim? non Ioannem magistrum eis prophetamque dederat? non eos interdiu summa cum clementia adhortatus? nonne noctu Deum pro eorum peccatis deprecatus est? non flevit super Ierusalem? non in ipsa cruce pro hostium salute oravit? Sed quanta fuit istorum pertinacia, quae plus quam iusti preces valuit ac ne illae exaudirentur impedivit? Quo factum est, ut tandem eas poenas luerent, quae hoc psalmo descriptae sunt.

6. *Constitue super eum peccatorem et diabolus stet a dextris eius.* Deus in Amanem et Iudam eam diabolo potestatem concessit, ut eos invaderet et ad omnia crimina concitaret.

7. *Cum iudicatur, exeat condemnatus et oratio eius fiat in peccatum.* Aman quum regem rogaturus esset, ut Mardochaeum occidere sibi liceret, ex ea spe et rogatione mirabilem in modum excidit. Nec multo post in coena ab Esthera accusatus ac condemnatus est a rege. Itaque quod Iudaeos interficiendi licentiam petiverat, hoc ipsum factum est ei in peccatum atque in lapsum

pedis [1]). Omnino similis est ratio Caiphae et Pharisaeo- Ps. 108, 7.
rum. Nam urbe vi capta, sacerdotes et scribae a Romanis nulla alia ex causa obtruncati sunt, nisi quod a Pilato necandi Christum licentiam exegerant.

8. *Fiant dies eius pauci et episcopatum eius accipiat alter.* Aman tribus non amplius annis et mensibus sex praefectus fuit. In eius locum, ut notum est, Mardochaeus successit; Iudae suffectus est Mathias; Iudaicorum pontificum dignitatem susceperunt Apostoli; synagogae locum obtinuit ecclesia [2]).

9. *Fiant filii eius orphani et uxor eius vidua.* Aman non praefectura solum sed vita etiam privatus est; qua re filii pupilli, uxor vidua facta est. Sed ne filiis quidem Deus parci voluit.

10. *Nutantes transferantur filii eius.* Hebraeus: *movendo moveantur filii eius* i. e. labantur, prosternantur, concidant.

10. *Et mendicent et eiiciantur de habitationibus suis.* Hebraeus: *et effodiantur et quaerantur de parietinis i. e. de ruinis suis* [3]). Quum Idumaeorum acies eversa esset ac prostrata, ex eius ruinis i. e. ex mortuorum corporibus Amanis filii quaesiti effossi prolati sunt, ut affigerentur crucibus.

11. *Scrutetur foenerator omnem substantiam eius et diripiant alieni labores eius.* Amanis vel foeneratores vel creditores ei intelligendi sunt, qui per vim ab eo erant bonis fortunisque spoliati. Hi post eius mortem sua sibi repetere potuerunt, quum Iudaeos Mardochaei iussu a praeda omnino abstinere viderent.

12. *Non sit illi adiutor, nec sit, qui misereatur pu-*

1) Euthymius.
2) S. Bruno Astensis in h. l.
3) V. Hieronymi interpretationem.

Ps. 108, 12. *pillis eius*. Hieronymus: *non sit, qui eius misereatur nec qui clemens sit in pupillos eius*. Est mira quaedam et singularis in oratione gradatio. Aman paucis annis regnat, honore dignitate ac paulo post etiam vita privatur. Filii eius primum sentiunt dolorem orbitatis, deinde necantur. Bona partim ab eis quibus iniuste erant erepta repetuntur, partim diripiuntur ab alienis. Filiorum cadavera suspenduntur in crucibus, nec sic quidem invenitur quisquam, qui aut in eos aut in eorum patrem misericordia commoveatur. Quum enim adversariorum morte omnes flecti soleant, tamen tum nemo fuit, quin Amanem et detestaretur et tam atrocibus poenis dignum diceret.

13. *Fiant nati eius in interitum, in generatione una deleatur nomen eius*. Hebraeus: *erit ultimum eius ad excidendum*. Non modo filii sed et nepotes et posteri omnes ita deleti sunt, ut nulla prorsus vel nominis vel familiae relinqueretur memoria. Quae hactenus de Amane dicta sunt, ea videntur etiam ad Amalec et ad Edomem manare.

14. *In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini, et peccatum matris eius non deleatur*. Non sine causa verbum *patrum* pluraliter elatum est, et *matris* singulariter. Plures enim Amanis erant patres, qui summis semper Iudaeos iniuriis affecerant, ut Gog, ut Agag, Benadad multique alii. Mater autem una peccavit Thamna meretrix.

15. *Fiant contra Dominum semper et dispereat de terra memoria eorum*. Propheta precatur Deum, ut haec eorum flagitia semper ante oculos ponat, reprobet, puniat; ac tandem, ut iuratus erat, eorum memoriam omnino velit extinguere.

16. *Pro eo quod non est recordatus facere misericordiam* 17. *et persecutus est hominem inopem et men-*

dicum et compunctum corde mortificare. Edom, quum Ps. 108, 17.
fratrem suum venire in terram Chanaam accepisset, eo animo contra eum profectus est, ut eum vel prohiberet a terra sancta vel cum suis occideret. Eodem Aman animo fuit, quum Mardochaeum crudelissimo supplicio mactare, Iudaeos omnes trucidare constitueret.

18. *Et dilexit maledictionem et veniet ei et noluit benedictionem et elongabitur ab eo*. Edom benedictionem aetatisque privilegium viliori animo quam pretio vendidit. Maledictione autem se dignum reddidit, quum ut Cain fratrem suum interimere vellet. Patris exemplum quum posteri omnes tum vero maxime Aman secutus est. Fuerunt autem filii Edomis, non genere, sed moribus Iudas perfidique Iudaei. Hic apostoli dignitatem auctoritatemque sprevit pro nihiloque putavit; illi, occiso Domino et benedictione amissa, in turpissimam maledictionem incurrerunt.

18. *Et induit maledictionem sicut vestimentum et intravit sicut aqua in interiora eius et sicut oleum in ossibus eius*. Poeta etiam hic elegantissima gradatione usus est. Sed quod dicit oleum, non de oleo, quo cutem ungunt, censeo intelligendum, sed de medulla, quae ex sanguine in ossa transfunditur. Maledictiones tam eis coniunctae quam vestimenta; peccata bibere ut aquam solent; ut in ossa medulla sic nequitia in naturam eorum penetravit intimam.

19. *Fiat ei sicut vestimentum, quo operitur, et sicut zona qua semper praecingitur*. Maledictione vel indutus est ut vestimento vel constrictus ut balteo. Balteus phiala aurea ornatus, regibus ad eorum vires augendas ab Hercule datus credebatur v. Iob. 12, 18. Ies. 12, 21. Herodot. 4, 9. 10. Edda 23. fab.

20. *Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum, et qui loquuntur mala adversus animam meam*.

Ps. 108, 20. Hieronymus: *haec est retributio his etc.* Ex his verbis, ut arbitror, perspicuum est, poetam non maledicta fecisse in inimicos, sed simpliciter exposuisse controversiam et, ut ita dicam, vel litem vel causam quae Domino cum inimicis intercessit. Homo iste, qui a propheta saepius commemoratur, incredibile est, quanta cum petulantia Deum peccando impugnet. Deus summa iustitia se ipsum, nomen, legem gentemque suam puniendo defendit. His expositis, vates denuo Deum precari coepit.

21. *Et tu Domine Domine fac mecum propter nomen tuum, quia suavis est misericordia tua. Libera me,* 22. *quia egenus et pauper ego sum et cor meum conturbatum est intra me.* Tribus de causis iustus a Domino salutem petit, quia laesa est a peccatore divina maiestas, quia Deus gratiam gratis concedit non propter merita, denique quia iustus magnis est calamitatibus afflictus.

23. *Sicut umbra quum declinat ablatus sum et excussus sum sicut locusta.* Vt, sole occidente, umbra statim evanescit ac nocturno frigore locustae corripiuntur, sic ego lumine tuo privatus perii. Haec de solo Christo. Neque enim ablatus aut excussus est Mardochaeus.

24. *Genua mea infirmata sunt a ieiunio et caro mea immutata est propter oleum.* Hebraeus: *Genua mea labarunt ex ieiunio et caro mea immutata est usque a medulla.* Mardochaeum severissimum per dies tres ieiunium observasse, saepius commemoratum est.

25. *Et ego factus sum opprobrium illis, viderunt me et moverunt capita sua.* Hoc Mardochaeo quidem accidit, quum in doloribus esset; Christo, quum in cruce.

26. *Adiuva me Domine Deus meus, salvum me fac secundum misericordiam tuam.* 27. *Et sciant quia ma-*

nus tua haec et tu Domine fecisti eam. Hebraeus: *fe-* Ps. 108, 27.
cisti hoc: Poeta intelligi vult salutem Mardochaei, resurrectionem Christi.

28. *Maledicent illi et tu benedices.* Maledicta Idumaei coniecerunt in Mardochaeum, Pharisaei in Christum. Sed, repugnantibus Pharisaeis, Iudaei et Graeci baptismo illuminati, Dei filii effecti sunt.

28. *Qui insurgunt in me confundantur, servus autem tuus laetabitur.* 29. *Induantur qui detrahunt mihi pudore et operiantur sicut diploide confusione sua.* Inimici, quum a custodibus Christum surrexisse acciperent, vehementer conturbati sunt. Christus autem ut ipse plurimum laetatus est, sic etiam in apostolorum animos summum gaudium infudit.

30. *Confitebor Domino nimis in ore meo et in medio multorum laudabo eum, quia astitit a dexteris pauperis, ut salvam faceret a persequentibus* (Hebr. *a iudicibus*) *animam meam.* Christus ab inferis suscitatus, quum inter discipulos Deum Patrem per quadraginta dies confessus est, tum cum in aeternum laudat in coelesti sanctorum societate.

PSALMVS CXII.

De Mardochaeo et Esthera, de Christo et Maria.

Maxima et hic psalmus et qui sequuntur quinque veneratione digni sunt, propterea quod post celebrata Paschalia creduntur recitati a Christo et ab apostolis. Nam hymnum tum a Domino dictum esse, evangelistarum testimonio constat. Paschali autem agno immolato, Iudaei hos psalmos sex solebant recitare. Et hic profecto ad ceremoniam illam erat aptissimus, quoniam et ad Christum et ad ecclesiam spectabat et ad conversionem gentium. Sin historiae habetur ratio, hic psal-

Ps. 112. mus in inscriptione apud Eusebium Aggaeo tribuitur et Zachariae [1]; a Chrysostomo vero in universum cuidam datur prophetae, qui fuerit post exsilium Babylonicum [2]. Quamobrem Ferrandus et Calmetius etiam internis rationibus ducti, eum retulerunt ad Iudaeos exsules [3]. Quorum nos sententia probata, eum potissimum de Mardochaeo et Esthera, de Christo et Maria explicabimus.

1. *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini.* Pro *pueri* Aquila Symmachus et Hieronymus: *servi.* Hebraeus: *servi Domini.* Servi autem Domini eidem sunt ac vel modo nati vel *timentes Dominum.*

2. *Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc et usque in saeculum.* Illud: *ex hoc nunc* petitum est a Graeco: ἀπὸ τοῦ νῦν i. e. ex eo quod nunc est tempore. A Mardochaeo quinta incepit mundi aetas, a Christo sexta. Propheta igitur nomen divinum benedici iubet usque ad septimam aetatem, quod est aeternitatis sabbatum.

3. *A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini.* Non solum semper omnique tempore, sed etiam ubique terrarum nomen divinum laudandum. Nam duo sunt modi, quibus res creatae apparent, tempus et spatium. Innumerabiles igitur temporum momentorumque ordines et immensa spatiorum regna laudent nomen Domini.

4. *Excelsus super omnes gentes Dominus et super coelos gloria eius.* Omnibus et gentibus et angelis superior est Deus creator ac Dominus.

---

1) Eusebius in h. ps.

2) Io. Chrysostomus in h. ps. *Qui haec dicit, fuit post reditum ex Babylone.*

3) Ferrand. Calmet.

5. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat* 6. *et humilia respicit in coelo et in terra.* Veteres quidam, teste Euthymio, verba ita iungenda duxerunt: *Quis sicut Dominus Deus noster in coelo et in terra, qui etc.* Quorum equidem a sententia haudquaquam discedendum putaverim. Nam haec explicatio maxime et cum verbis ipsis et cum versu superiore convenit. Alii non sine quodam artificio hunc ordinem instituerunt: qui elevat se ad habitandum in coelo et humiliat se ad videndum in terra, quo nihil potest a sacrorum scriptorum simplicitate magis abhorrere. Ps. 112, 5.

6. *Suscitans a terra inopem et de stercore erigens pauperem.* Quidam crediderunt hunc inopem vel populum gentium esse vel genus humanum [1]). Sed quis alius potest esse quam qui semper in psalmis inops et pauper appellatur? Quamobrem Eusebius et Chrysostomus haec probe ad Christum retulerunt, quamquam anagogice id a se fieri confitentur [2]). Nam historice dicta sunt de Mardochaeo, qui ut Iobus in sterquilinio sedit misere fractus omnique auxilio destitutus.

8. *Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.* Cf. Ps. 67, 28. s. Deus Mardochaeum quasi e sepulcro assumptum non modo Israelitarum sed etiam gentium regem constituit. Idem a mortuis Christum revocavit eumque totius orbis et administratorem et imperatorem fecit.

9. *Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum laetantem.* Domus Amanis a rege ad habitandum tradita est Estherae. Cf. Ps. 67, 7. Sterilis illa quidem erat, sed conservatrix ac mater Iudaeorum omnium. Maria sterilitatem voluntariam naturalis posteritatis glo-

1) Eusebius Athanasius Remigius Antissiod.
2) Eusebius et Io. Chrysostomus.

Ps. 112, 9. riae anteposuit; quod quum ex castitatis amore fecisset, a Deo Patre digna existimata est, quae Christi mater et omnium sanctorum servatrix ac procreatrix evaderet. Similitudinem autem Maria gessit ecclesiae, quae antea sterilis, per Christum peperit multos [1]).

PSALMVS CXV.

Laudatio Dei.

Hebraei hunc psalmum a superiore non putant esse secernendum. Eusebius aliique patres numero quidem et ordine eum separarunt sed coniunxerunt sententiarum continuatione. Quamobrem summa auctoritate interpretes de eo iddem prorsus senserunt, quod de proximo. Sed eum quidam revocaverunt ad Maccabaeos [2]), alii ad Ezechiam [3]). At Ioannes Chrysostomus non dubitavit eum ad exsilium Babylonicum referre [4]). Quam quidem eius sententiam multis verbis exposuit Euthymius, defendit Ferrandus, tutatus est Calmetius ac nos sequendam ducimus. Sunt autem certae significationes, quae ad rem spectant Mardochaicam, et ob eam causam hic psalmus praetermitti non debet.

10. *Credidi propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.* Quum animo agitassem, ait propheta, tragicam illam Iudaeorum calamitatem eorumque interitum et excidium extremamque vastitatem, non desperavi fore, ut res mutaretur in melius: immo vero

---

1) Ies. 54, 1. Gal. 4, 27. Sterilem Origenes putavit esse animam humanam, Athanasius dixit gentium multitudinem, Eusebius, Chrysostomus aliique ecclesiam, quae tantam filiorum multitudinem generavit.

2) Theodoretus.

3) Anastasius Beda Paraphrastes Graecus.

4) Euthymius Ferrandus Calmet. in h. ps.

et speravi et annuntiavi et locutus sum. Fidei autem Ps. 115, 10.
ratio quam stabilis quamque firma fuit in Mardochaeo? quum ad Estheram dixit: si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Iudaei. Quid igitur ei certius, quid magis exploratum fuit, quam Deum liberaturum Iudaeos? Quamobrem vere secundum Hebraeos sic est confessus: *Credidi me dicturum: fui attritus nimis.* Similiter Apostolus: *Fuistis aliquando tenebrae.* Illud quidem grato et memori animo dicere, salvi incolumisque hominis est et ex magnis incommodis erepti. Et post resurrectionem certe ita etiam Christus locutus est, qui in passione maximam prae se tulit fidei constantiam.

11. *Ego dixi in excessu meo.* In summa calamitate, in ingenti malorum magnitudine [1]). Narrationi poeta preces interponit, quas in suis temporibus Deo obtulit. Pertinent autem eae quidem usque ad versum 16. *ancillae tuae.* Nam ea quae sequuntur: *Dirupisti etc.* narrationi adscribenda sunt. Quaenam igitur sanctus ille homo et fidei ardore inflammatus dixerit, audiamus.

11. *Omnis homo mendax.* Verbum *homo* Origenes modo substantiam dicit significare, modo pessimum habitum secundum illud: *Vos autem sicut homines moriemini.* Ac saepius iam notavimus hominem esse Amanem et indicare diabolum; homines autem intelligendos eos esse, quos homines huius mundi vocamus. Omnes autem qui tunc ita vocabantur, Idumaei eorumque socii erant, qui dum decipere alios student, ipsi decepti sunt. Nam quum tollere Mardochaeum Iudaeosque interimere conantur, ipsi radicitus sunt sublati. Quod iddem Pharisaeis accidit.

1) Io. Chrysostomus. Hieronymus: *in stupore meo.* Augustinus: *in pavore.*

Ps. 115, 12. 12. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi?* Tantopere ei de salute sua persuasum erat, ut quum in acerbissimis tentationibus esset, tamen iam tum de gratia referenda cogitaret. Nam fides ut est argumentum rerum non apparentium, sic etiam substantia i. e. possessio bonorum sperandorum. Mardochaeus igitur quid habet quod retribuat? Quam gratiam referet Christus? Quid aliud quam sacrificium mysteriorum gratiarumque plenissimum?

13. *Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo.* Instituam, inquit, mundum et sanctum convivium ac sacrificium offeram immaculatum et Deo dignum. Nam Christus una et *accepit* calicem et dedit, ut declararet unum esse sacrificium mortis et sacrificium vitae. Etenim hostia eucharistica, ut Cyprianus testatur, nihil aliud est quam passio Christi.

14. *Vota mea Domino reddam coram omni populo eius.* Hebraeus: *coram quaeso,* (vel *utinam*) *omni populo.* Mardochaeus sine dubio, quae de die festo erant praedicta, religiose se facturum voverat. Totam autem gentem suam conservaturum se sperat et hoc novo sacrificio ad unitatem redacturum.

15. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Quamquam Iudaei ut trucidentur venditi sunt, tamen in oculis Domini mors eorum et occisio cara res est et maximi pretii. Idumaeis haud ita facile caedis illius potestatem concedet [1]). Quamobrem conservato populo omni, vota se redditurum confidit.

16. *O Domine quia ego servus tuus, ego servus tuus et filius ancillae tuae.* Hieronymus: *Obsecro Domine.* Hebraeus: *Quaeso Domine.* Qui nunc servus est, antea liber fuisse potest; at vero qui filius est ancillae,

1) Marini in h. ps.

a quo die natus est, servus fuit. Christus redemptionem Ps. 115, 15.
nostram perficere potuit, quoniam homo et servus ac servae filius esse voluit. Neque enim horruit Virginis et ancillae Domini uterum. Haec quidem, quae in excessu suo precatus est, omnia se impetrasse gaudet. Nam ita de se gloriari potuit:

16. *Dirupisti vincula mea.* Christum Deus pater eripuit ex ipsis mortis infernique vinculis, Mardochaeum ex summo discrimine. Quid igitur retribuet Domino? Quid aliud quam quod vovit laudationum mysteriorumque sacrificium?

17. *Tibi sacrificabo hostiam laudis et nomen Domini invocabo.* 18. *Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius.* Verbum *quaeso* quod in versu 14. scriptum legitur, h. l. ab optimis codicibus hebraicis abest. Neque enim poeta precatur, sed iam se impetrasse narrat.

19. *In atriis domus Domini, in medio tuo Ierusalem.* Sacrificium Mardochaicum non in templo sed in eius atriis immolari potuit, quoniam ad illud etiam gentes adhibebantur. Atria autem templi vocantur synagogae. Sed si haec ad Christum volumus transferre, atria ecclesias, Ierusalem autem populum Christianum dicemus. In medio populo suo Christus quae spoponderat reddidit. Nam in eucharistia Christus quasi cor est eius corporis, cuius nos membra esse gloriamur.

PSALMVS CXVII.

De festo die Estherae.

In rerum Iudaicarum libro scriptum legimus, populum aliquando a Iosaphate rege in proelium ductum esse cantantem. Carminis autem quod cantavit, traditus est hic versus: *Confitemini Domino, quoniam in*

Ps. 117. *aeternum misericordia eius* [1]. Quem quidem versum quum saepius in hoc psalmo repetitum viderem, facile in eam sententiam adductus sum, ut ad istam Iosaphatis victoriam psalmum referendum opinarer. Sed omnibus rationibus denuo et diligentius examinatis, necessario mihi ab illa opinione discedendum fuit. De tempore enim huius psalmi quamquam interpretes verbis inter se vehementer videntur dissentire, tamen mirum est, quomodo in rem unam omnes concurrant. Etenim eum ad illam spectare victoriam quam Iudaei ex Babylonia reversi de variis gentibus retulerint, sententia est Origenis Theodoreti Bedae [2]. Sed eidem illam quidem victoriam ullam fuisse negant praeter eam quam praedixerint Ioel Ezechiel Michaeas alii. Quibus ex rebus Calmetius recte videtur probeque collegisse, a tribus illis prophetis eam victoriam significatam esse, quam Iudaei ex gentibus Gog et Magog reportassent. Atque hanc sententiam ipse in explicando psalmo defendendam sibi sumpsit [3]. Atqui de gloriosa illa victoria, quam ut a prophetis ante denuntiatum erat, Iudaei de Gagaica gente naeti sunt, commentarius est liber Estherae. Ergo non Calmetii sed etiam Origenis Theodoreti Bedaeque sententiam tutabimur, si hoc carmen ad rem Mardochaicam traxerimus. Ac nuper etiam Passaglia in eo libro quem de immaculata B. M. V. conceptione singulari cum diligentia scripsit, internis potissimum rationibus commotus est, ut ad Estheram hunc psalmum spectare diceret. Quoniam igitur hi omnes verbis modo inter se discrepant, non re, vix dubium esse potest, quin

1) II. Parall. 20, 21.
2) Origenes in cat. Corder. Theodoretus et Beda in h. ps.
3) Calmet. in h. ps.

de historica huius psalmi ratione quod verum est cognoverint. Ps. 117.

Sed hoc loco breviter liceat de Iudaeorum proselytis disserere. Post Mardochaicam victoriam multos ex gentibus quum ad Iudaicas ceremonias accessisse, tum etiam diem illum festum celebrasse, ex Estherae libro constat. In eis autem psalmis qui ad hanc rem pertinent, saepius commemorantur ei, qui *timent Dominum*. Quos quidem *metuentes* vel proselytos esse, iam ex eo perspici debet, quod et ab Israelitis et a filiis Aaron disiunguntur. Sed iddem de his senserunt Origenes et Chrysostomus. Nam superior ille verba: *Castrametatur angelus Domini in circuitu timentium eum, ipse vero Dominus in circuitu populi sui*, interpretatus, diversus est, inquit, populus Domini a timentibus Dominum. Nam aliud est: *Domus Israel benedicite Domino*, et aliud: *Qui timetis Dominum, benedicite Domino*. Haec quidem ille [1]). Posterior autem ad Ps. 113, 21. hoc modo: Deinde ostendens providentiam non esse rebus tantum Iudaicis circumscriptam, proselytorum quoque meminit, qui accedunt ex gentibus, auxilium et benedictionem factam in omnes esse dicens: *Dominus memor nostri benedixit nobis. Benedixit domui Israel, benedixit domui Aaron, benedixit eis qui timent Dominum* [2]). Sed plura sunt indicia a multis gentibus tum diem Estherae celebrari coeptum esse. Quo quidem in numero inprimis eae habendae sunt nationes, quae egregia vitae integritate quum essent, a Scythica superstitione et turpitudine plurimum abhorruerunt. Quae quidem quum a Scythis vel coactae vel adductae venissent in Asiam atque admirabiles Amanis filiorumque

1) Origenes in Ps. 121.
2) Io. Chrysostomus in Ps. 113, 21.

Ps. 117. eius calamitates vidissent, Mardochaei iussu Estherae diem cum Iudaeis festum habere coeperunt. Qua re factum est, ut omnes fere Asiae populi dies illos quos Sacaeos dixerunt celebrarent. Neque vero in Asia solum sed in Europa etiam apud Germanicas gentes mihi videor dies illos invenisse, eosdem quidem sed alio nomine nuncupatos. Quae certe sententia tam improbabilis non est, quam quibusdam fortasse primo aspectu videbitur. Nam illud antiquis litterarum monumentis probatum est, gentes Germanicas saeculo ante Christum septimo, quum Esthera fuit, sedes habuisse in Asia, deinde multorum factis annorum itineribus, per Asiam minorem in Europam transiisse cum Cimbris. Quid igitur? Germani si in Asia habitabant sexcentis annis ante Christum natum, nonne hos dies festos quum sub Medorum imperio essent, Mardochaei iussu suscipere debuerunt? Nam quantum hi quidem omne genus Scythicae superstitionis aspernati sint, nonne hoc satis argumenti est, quod soli femininum genus, lunae vero masculinum et olim tribuerunt et adhuc tribuunt [1])? Numquam igitur Apollinem et Dianam potuerunt colere. Sed apud eos si dies festos reperimus, qui singulis annis mense Adar celebrabantur, nonne accuratius de eiusmodi diebus quaerendum putabimus? Quid vero? qui primi Germanorum fuerunt apostoli, si hos dies non iudicarunt tollendos, sed si eis Paschaliorum sententiam subiecerunt, nonne huiusmodi dies existimabimus divinam et originem habuisse et auctoritatem et eam quidem ipsam, quam sortium dies apud Iudaeos? An sancti illi viri, quorum animus simplex a falsa illa astutia, quae a Be-

1) Die Sonne. Der Mond. Edda 6. fab. Il y avait autrefois un homme, qui avait deux enfans si beaux et si bien faits, qu'il donna a son fils le nom de *(Mane) Lune* et a sa fille celui de *(Sunna) Soleil.*

nedicto XIV. damnata est, plurimum abfuit, ita se gentium moribus accommodarunt, ut pagano festo, nomine ac tempore eius conservato, festa Paschalia subiicerent, et ita solemnes hos Christianorum dies in periculum adducerent, ut eis errores gentium fabulaeque admiscerentur? Quid denique? si festi illi dies ut apud Iudaeos a Mardochaeo, sic apud Germanos ab Esthera nomen et acceperunt et conservarunt, num in hac re dubii quidquam remanere poterit? Sunt autem ei dies a Germanis vocati *Ostertage*, ab Anglo-Saxonibus *Easterdays* i. e. Estherae dies [1]). Sed de hac re testem audiamus in Germanicis rebus antiquissimum, Bedam venerabilem. Hic ubi de mensibus Anglorum disserit, *Eousturmonath (Estherae mensis)*, inquit, *qui nunc paschalis mensis interpretatur, quondam a dea illorum, quae Eostrae vocabatur et cui in illo festa celebrabant, nomen habuit, a cuius nomine nunc paschale tempus* (Osterzeit, Eastertime, Eastertide i. e. Estherae tempus) *nominant, consueto antiquae observationis vocabulo gaudia novae solemnitatis vocantes* [2]). Erat autem Estherae mensis in ceterorum numero quartus, cuius maxima semper pars in nostrum Martium, in Hebraeorum Adar incidebat, quique numquam potuit nec incipere ante medium Februarium nec medium Aprilem excedere. Germani igitur illa festa eodem ipso tempore celebrabant, quo Iudaei dies sortium. Nomen autem nacta sunt ab Esthera, quam Graeci Asteriam, Germani ex dialectorum discrimine vel Ister vel Oster vel Vster vel Aester dixerunt et dicunt. Neque vero ei solum, qui Germa- Ps. 117.

1) Eiusdem generis verba haec sunt: *Osterfest, feast of Easter* i. e. Estherae festum vel pascha. *Osterabend, Eastereve* i. e. Estherae vespera. *Osterei, Easteregg* i. e. Esterae ovum, vel ovum paschale.

2) Beda de temporum ratione 13. ex Cod. Vat. 644. antiquissimo, qui loco superiore *Aeusturmonath* praebet.

Ps. 117. nicas gentes in ecclesiam adduxerunt, hoc vetus ubique nomen conservatum voluerunt, sed etiam Carolus Magnus, qui cetera mensium nomina commutavit, Estherae mensi usitatum nomen *Ostarmanoth* reliquit [1]. Hanc rem magni et eximii ac singularis esse momenti, etiam inde cognoscitur, quod ceteris diebus festis omnibus nova apud Germanos et Christiana nomina data sunt [2]. Sed quod huic festo nomen ab antiquis traditum concesserunt, in eo certe totius ecclesiae secuti sunt sententiam. Nam quod Iudaei Mardochaei vel Estherae die cecinerant: *Haec est dies quam fecit Dominus, exsultemus et laetemur in ea,* id catholica ecclesia paschali die utrobique cantat, et apud Romanos et apud Graecos [3]. Germanorum igitur apostoli, quibus quantum et ego et maiores mei debeamus, grato memorique animo sentio, quum Estherae dies divinitus institutos cognoscerent, eorum nomen ad resurrectionis festum transferri passi sunt. Neque hoc silendum puto, in Germania usque ad nostram memoriam conservatam esse consuetudinem a Mardochaeo institutam, ut Estherae diebus *mittant sibi invicem ciborum partes* (Ostereier i. e. Estherae ova) *et pauperibus munuscula largiantur.* Praeterea illud quoque ex veteri consuetudine fieri solet, ut, quemadmodum Iudaei in diebus sortium, sic Germani Estherae diebus ignes [4]) triumphales accendere soleant. Sed quod Beda omnium qui tum fuerunt hominum doctissimus Eostram deam fuisse dicit, id mirifice facit ad sententiam nostram confirmandam. Nam quid aliud ex eo debemus intelligere.

1) Eginhart.

2) Pfingsten, Weihnacht, Christtag, Christmess, Lichtmess, Dreikoenigenfest etc.

3) Io. Chrysostomus in h. ps.

4) Osterfeuer.

quam eam fuisse mulierem summis et divinis laudibus Ps. 117.
celebratam? Verum non deam quamdam fuisse fictam, sed mulierem historicam, nonne inde necesse est colligi, quod, quamvis homines nostri diligenter mythologicas res investigaverint, tamen eorum nemodum Eostrae vel Aeusturae deae vim aut naturam explicare potuit? Sed dum haec scribo et totam antiquitatem mecum reputo, vix eloqui possum, quam laeto sim, quam tristi animo. Nam dum Romani et Graeci una cum Scythis nefandos Cabiros Amanem et Amadatham lugerent occisos, Germani a Deo electi sunt, qui in metuentium numero recepti, cum Iudaeis praeclaram victoriae Mardochaicae memoriam recolerent. Quantam vero mihi affert tristitiam, quod eidem Germani tantopere a Deo dilecti tam ingrato tamen animo fuerunt, ut vera Estherae coena spreta i. e. transsubstantiatione negata, reverterentur ad meram Iudaeorum ceremoniam?

Sed ut ad rem redeat oratio, hic psalmus cantatus est per vices *iuxta praeceptum David et Asaph et Heman et Idithun*. Nam primum versum recitarunt ei, qui *Davidis* personam susceperant, secundum autem cecinit *Asaph* i. e. *synagoga* vel Israel, tertium sibi assumpserunt cantores *Heman* i. e. manus *dexterae* filii Aaron, quartum sibi vindicarunt cantores *Idithun* i. e. *manus sinistrae* vel timentes Dominum, proselyti. Proselytos enim in cantorum numero fuisse, ex eo apparet, quod cum Iudaeis ducenti cantores et cantatrices e Babylonia Hierosolyma profecti sunt, qui non ex Israelitis sed ex gentibus nati erant [1]). Sed poeta, si primos versus quattuor per vices cani iussit, certe reliquos etiam versus eodem modo distribuit. Hanc distributionem restituere conabimur ac brevitatis causa

1) I. Esdr. 2, 65.

Ps. 117. Davidem littera D, Israelitas littera I indicabimus, filios Aaron A, timentes Dominum T. Carmen igitur incipit

D. 1. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius.* David et seipsum et ceteros ad divinam celebrandam misericordiam excitat. Iam vero extrema verba repetunt primum quidem

I. 2. *Dicat nunc Israel, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius*, deinde

A. 3. *Dicat nunc domus Aaron, quoniam in saeculum misericordia eius*, tum

T. 4. *Dicant nunc qui timent Dominum, quoniam in saeculum misericordia eius.* Alterum illud: *quoniam bonus* vel potius *bonum* in v. 2. ab Hebraicis libris abest. Sed iam accuratius dicendum est, et quid David a divina misericordia acceperit, et ab ea quid exspectent ceteri.

D. 5. *De tribulatione invocavi Dominum et exaudivit me in latitudine Dominus.* Clamavit ad Deum Mardochaeus et tam benigne exauditus est, ut latitudinem i. e. admirabilem salutem summumque honorem adipisceretur. Clamavit verus ac divinus David Christus et suscitatus est e sepulcro elatusque ad dexteram Dei. Populus igitur et sacerdotes, qui talem sunt et ducem nacti et pontificem, non amplius habent quae ab inimicis timeant.

I. 6. *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Homo iste qui Aman est diabolumque significat, aliquando quidem in nos potestatem habuit, sed iam victus superatusque est. At reliqui sunt eius filii, insidiatores hostesque filiorum Aaron, verum ne ei quidem timendi.

A. 7. *Dominus mihi adiutor et ego despiciam inimicos meos.* Sacerdotes, qui Idumaeis impiis illis su-

perstitionis seminatoribus maximo semper odio fuerant, Ps. 117, 8.
tamen nihil ab eis mali timent, quoniam Deum defensorem sibi fore confidunt.

T. [8] *Bonum est confidere in Domino quam confidere in homine.* Divina misericordia in Mardochaeum cognita atque Israelitarum confidentia perspecta, metuentes sententiam proferunt, quae et ad ipsos et ad omnes homines pertinet. Nam gentes quum olim ab Amane et diabolo quibus temere fidem habuerunt, essent deceptae, opportuno tempore ad Dominum refugerunt. Praestare igitur fatentur in Domino confidere quam in homine. Quam eamdem sententiam suscipit confirmatque

D. [9] *Bonum est sperare in Domino quam sperare in principibus.* Aman cruci affixus, principes i. e. decem eius filii etiam occisi et in patibulum acti, atque omnes, qui in illis spes suas posuerant, incredibili pudore affecti. Iddem alio quidem tempore accidit eis, qui spes suas non in Christo esse voluerunt, sed vel in principibus sacerdotum vel in Romanis imperatoribus.

I. [10] *Omnes gentes circuierunt me et in nomine Domini quia ultus sum in eos.* In Mardochaico tempore Israelitas variae gentes ab Amane exagitatae circumdederunt. Sed quamvis et magnae hostium copiae et fortes essent, tamen in nomine Domini devictae sunt omnes. Pariter mille annis post Gothi et Scythae, quum circumvenire ecclesiam constituerent, prorsus excisi sunt. Quod Israelitae cecinerunt, iterant primum

A. [11] *Circumdantes circumdederunt me et in nomine Domini, quia ultus sum in eos,* deinde etiam

T. [12] *Circumdederunt me sicut apes et exarserunt sicut ignis in spinis et in nomine Domini quia vultus sum in eos.* Hieronymus cum Hebraeo: *extinctae sunt quasi ignis spinarum.* Amorrhaei et Amalecitae conferri apibus

Ps. 117, 12. solent, quoniam pro armis alterae aculeis, alteri sagittis utuntur. Deut. 1, 44.

D. [13] *Impulsus eversus sum, ut caderem et Dominus suscepit me.* Hieronymus: *Impulsus pellebar ut caderem et Dominus sustentavit me.* Christum, quem Pharisaei straverant, Deus a mortuis excitavit ac suscepit.

I. [14] *Fortitudo et laus mea Dominus et factus est mihi in salutem.* Sanctorum virtutem gloriam et laudem sitam in Domino esse, omnis Iudaeorum Christianorumque testatur historia. Sed ut ex morte Christi peccatorum remissio et in rebus adversis patientia ducenda est: sic e resurrectione eius salus omnis iustificatio et gloriatio manant.

A. [15] *Vox exsultationis et salutis in tabernaculis iustorum.* Proselyti quidem, quod iustitiam colere coeperunt, vocari iusti possunt, sed verius Israelitae et gentes, quae in regenerationis lavacro peccatorum maculas eluerunt. Vox autem haec est exsultationis:

T. [16] *Dextera Domini fecit virtutem.* Non modo Iudaei sed etiam alieni et exteri qui ex gentibus nati sunt, non possunt, quin confiteantur fuisse Domini dexteram, quae servaverit Mardochaeum Christumque suscitaverit. Haec vera laus et Deo gratissima.

D. [17] *Dextera Domini exaltavit me.* Christus ut ad summos honores, ad dexteram Patris efferretur, divina misericordia factum esse confitetur.

I. [17] *Dextera Domini fecit virtutem.* Quam metuentes sententiam protulerunt, eam sancti resurrectione et ascensione Christi comprobatam cognoscunt atque repetunt.

A. [18] *Non moriar sed vivam et narrabo opera Domini.* Sacerdotum erat, exponere legem, rerum memoriam conservare, divina in Iudaeos beneficia enarrare.

T. [18] *Castigans castigavit me Dominus et morti non tradidit me.* Multitudo gentium, ut filius prodigus, in

superstitionis errores acerbissimamque veritatis inopiam Ps. 117, 18
devenit. Sed variis poenis castigata et ad se reversa etiam ad Dominum, tandem redire constituit. A Deo autem gentes non condemnatae sed divina cum benignitate paternis brachiis susceptae sunt.

D. 19. *Aperite mihi portas iustitiae ingressus in eas confitebor Domino.* Christus principes coelestes appellat, ut iustitiae sibi portas patefacere velint. Ingressus in coelum fore dicit, ut laudibus Deum patrem exornet in aeternum.

I. 20. *Haec est porta Domini, iusti intrabunt in eam.* Porta Christus est, per quam omnes in coelorum regnum intrare debebunt.

A. 21. *Confitebor tibi, quoniam exaudisti me et factus es mihi in salutem.* Sacerdotum est, perpetuas gratias agere Deo, quum et ipsos et suos omnes salvos incolumesque esse voluerit.

T. 22. *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes hic factus est in caput anguli.* Haec verba mirum in modum conveniunt proselytis. Sed ut accuratius perspiciantur, paulo altius repetundum est. Primum quidem Ioseph a fratribus repudiatus factus est lapis fundamentumque Israel. Quapropter Iacob de eo vaticinatus. *Inviderunt illi*, inquit, *habentes iacula. Sedit in forti arcus eius et dissoluta sunt vincula brachiorum et manuum illius per manus potentis Iacob, inde pastor egressus est, lapis Israel.* Primum hoc vaticinium evasit, quum Iosue, deinde, quum Mardochaeus Amalecitas sagittarios superavit. Ab *aedificantibus*, qui turrim exstruere coelumque impugnare conati sunt, Mardochaeus in discrimen adductus, Christus sublatus est. Sed horum uterque pastor lapisque angularis evasit, qui cum populo Iudaico consociavit gentes [1]).

1) Io. Chrysostomus, Athanasius.

Ps. 117, 23. D. 23. *A Domino factum est istud*, gloriam omnem Christus Deo patri vindicat.

I. 23. *Et est mirabile in oculis nostris*. Vere mirum ac sempiterna laude dignum est, quod Deus Christum a mortuis revocavit, et per eum gentes et Iudaeos unius ecclesiae communione copulavit.

A. 24. *Haec est dies quam fecit Dominus*. Filiis Aaron imperatum erat, ut omnibus Iudaeis proselytisque Estherae diem tubis indicerent. In diei Estherae locum successit solemnitas resurrectionis.

T. 24. *Exultemus et laetemur in ea*. Praecipuum ex hoc die gaudium ceperunt metuentes, quoniam eum diem cum Iudaeis festum agere potuerunt.

D. 25. *O Domine salvum me fac*. Hebraeus: *obsecro Domine salva*. Haec Mardochaeus precatus est, quum adversus acerbissimos hostes proficisceretur.

I. 25. *O Domine bene prosperare*. Supplicationes suas populus cum Mardochaeo coniungit, ut felicem proelii exitum a Deo impetraret.

A. 26. *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Haec sacerdotum vox est, victorem revertentem salutantium.

T. 27. *Benediximus vobis de domo Domini, Deus Dominus et illuxit nobis*. Proselyti benedictionem precati sunt eis, qui sunt de domo et familia Domini; sed se ipsos quoque photismate illuminatos, summo cum gaudio fatentur.

D. 27. *Constituite diem solemnem in condensis* [1] *usque ad cornu altaris*. Celebrari diem sortium iussit David

---

1) Symmachus: *Colligate in celebritate densitates*. Hieronymus: *frequentate solemnitatem in frondosis*. Aquila: *alligate festum in pinguibus*. Chaldaeus: *ligate puerum ad sacrificium solemnitatis catenis, donec sacrificaveritis eum et effuderitis sanguinem eius in cornua altaris, dixit Samuel propheta*.

i. e. Mardochaeus. Mandavit autem, ut celebraretur secundum Hebraeum *in funibus, in catenis* i. e. continuo, nullo anno intermisso, usque ad restaurationem altaris. Ps. 117, 27.

I. [28] *Deus meus es tu et confitebor tibi.* Israelitae Deum suum denuo ex insperata salute agnoverunt.

A. [28] *Deus meus es tu et exaltabo te.* Etiam sacerdotes Dominum Deum suum praedicant laudibusque extollunt.

Confitebor tibi quoniam exaudisti me et factus es mihi in salutem. Haec verba ex v. **21.** repetita ab Hebraicis libris absunt. Carmen concludunt

T. [29] *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius.* Hieronymus: *Confitebor,* quod magis videtur metuentes decere. Finis ad exordium redit. Multum laudare Dominum possumus, satis non possumus.

PSALMVS CXIX.

Israelitarum precatio.

Hoc primum carmen est ex eorum numero, quae inscripta sunt *cantica graduum.* Quod nomen unde sumptum sit, et quid valeat, inter peritos harum rerum homines nondum constat. Qui allegoriam magis quam historiam sunt secuti, ei inscriptionem de illis gradibus explicarunt, quibus ascenditur ad virtutum perfectionisque altitudinem. Sed qui historiam non putarunt negligendam, ei partim hos psalmos ad certos qui in templo fuissent gradus retulerunt, partim ad Iudaeorum ex Babylonia reditum. Sed ut dicam quod sentiam, horum utrosque veri aliquid vidisse et dixisse iudico. Nam hos psalmos si quis in Babylonia putat recitatos eo consilio, ut qui in exsilio erant, liberum felicemque reditum

Ps. 119. nanciscerentur; is certe a veritate historica non aberravit. Sunt autem in hac sententia non modo antiqui plurimi, ut Athanasius, Chrysostomus, Theodoretus, Euthymius, Syrus, Paraphrastes Graecus, Beda alii [1], sed etiam recentiores fere omnes. Quod igitur patres illi de his psalmis dixerunt, iddem nos tenendum ac strenue defendendum censemus. Sed quod ad vocem *gradus* explicandam pertinet, non possumus eis assentiri, qui eam ad marmoreos nescio quot in templo gradus revocarunt. Eos potius sequi malumus, qui gradus nihil aliud quam quattuor vel quinque populi cantorumque ordines esse dixerunt. De his quidem sine controversia accipienda sunt Hilarii verba: *Ex historia constare, fuisse in templo gradus quindecim, dispositosque ordines consistentium, quibus quaedam quasi dignitas in antecedentibus obtineretur, ut Levitae primum consisterent, post Israelitae, tum proselyti et deinceps alii* [2]. Sed fuerunt, qui vel testimonia patrum vel inscriptiones psalmorum ad eos qui proprie dicuntur gradus trahere conarentur. Quorum opinio iam a Calmetio haud immerito reiecta et explosa est. Sed cantores divisi in ordines quattuor fuisse traduntur. Qua de re omnia vel veteris testamenti vel sanctorum patrum testimonia colligere, non huius temporis est; nonnulla tamen appo-

1) Athauasius: *Primum graduum canticum Deo canit populus in Babylonia constitutus etc.* Chrysostomus: *Si historiam quidem spectes, quoniam loquuntur (cantica graduum) de reditu ex Babylone, et captivitatis quae illic fuit mentionem faciunt.* Hilarius: *Plures autem sunt qui in his psalmis solam captivitatem populi, qua in Babylonia septuaginta annis detentus est existiment prophetatam sed et reditum populi eiusdem cum restauratione civitatis amissae.* Euthymius: *Huiusmodi autem inscriptionem cantica ascensionum sortita sunt, quia captivos in Babylone Iudaeos ascensuros esse praedicunt in Hierusalem.*

2) Hilarius prol. in cantt. gradd.

nere placet. Quaedam igitur huius divisionis significatio eo loco invenitur, de quo alibi diximus, I. Parall. 15, 19. ss. Nam Asaph Heman Ethan Chonenias cantorum principes suo quisque choro praefuisse videntur. De ea quidem partitione magis perspicua haec sunt: *Porro cantores filii Asaph stabant in ordine suo iuxta praeceptum David et Asaph et Heman et Idithun prophetarum regis* [1]). Sed haec quasi quaedam horum ordinum vestigia sunt. Sine dubio multo maioris momenti illud, quod oratio Habacuc, tribus interiectis diapsalmatis, (סלה i. e. סלע *silex, lapis, terminus* [2]) in partes quattuor distributa est. Totidem erant cantorum chori vel ordines, qui canticum canticorum recitaverunt. De quo illud praeclare est apud Origenem: *Inde igitur mihi videntur quattuor ordines: unum (sponsum) et unam (sponsam), duos choros inter se concinentes, sponsam canere cum iuvenculis, sponsum canere cum sociis* [3]). Sed ut ad psalmos ipsos veniamus, ubique ordines enumerantur quattuor. Veluti in Ps. 113, 12. s. *Benedixit nobis, benedixit domui Israel, benedixit domui Aaron, benedixit omnibus qui timent Dominum.* Et in Ps. 117, 1. ss. *Confitemini Domino. Dicat nunc Israel, dicat nunc domus Aaron, dicant nunc qui timent Dominum.* Atque in Ps. 134, 19. *Domus Israel benedicite Domino, domus Aaron benedicite Domino, domus Levi benedicite Domino, qui timetis Dominum benedicite Domino.* His quidem cognitis et consideratis, nemini potest esse dubium, quin patrum de quattuor choris testimonia non incertis coniecturis sed antiquissima memoria nitantur. Athanasius enim de hac re sic loquitur: Ps. 119.

1) II. Parall. 35, 15.
2) In antiquis codicibus scriptum erat סל v. Chrysostom.
3) Apud Hieronym. in cant. cantt.

Ps. 119. *Nam quattuor canticorum principes, ministri vero ducenti octoginta octo* ($288=4\times72$) *electi fuere* [1]. Chrysostomus vero hoc modo: *Dicimus ter mille fuisse psalmorum cantores ex Levitica sacerdotali stirpe, qui in tres distributi choros Davidis psalmum canebant. Praeerat primo choro Idithum magister, secundo Aetham, tertio Asaph. His fessis succedebant Core filii* (i. e. proselyti) [2]. De cantorum numero illo quidem dubitari potest, de choris quattuor haudquaquam. Illud quoque notatu dignum, quod hoc loco filios Core non ex Levitis natos esse apparet. Hos equidem timentes Domini fuisse puto, de quibus mentio est I. Esdr. 2, 65. II. Esdr. 7, 67. Fuerunt igitur cantantium chori quattuor, qui hunc ordinem observabant: David Israel Aaron metuentes, vel etiam: Israel Aaron Levi metuentes. Graduum autem psalmos ita assignandos arbitror: Ps. 119. Israeli, 120. domui Aaron, 121. domui Levi, 122. metuentibus. Eodem modo qui sequuntur quattuor: Ps. 123. Israeli, 124. Aaroni, 125. Levi, 126. metuentibus. Posteriores septem hoc modo: Ps. 127. Davidi, 128. Israeli, 129. Aaroni; similiter qui sequuntur tres: Ps. 130. Davidi, 131. Israeli, 132. Aaroni. Vltimus autem servis Domini vel proselytis adiudicandus est; huiusmodi enim exordium habet: *Ecce,* (quum vobis audientibus psalmos sex cecinerimus) *nunc benedicite Dominum omnes servi Domini.* In illis autem psalmis distribuendis magno nobis usui fuit illud: *dicat nunc Israel,* quod est in Ps. 123. et 128. Sed hanc rem nunc significasse satis est. Totum psalterium ita dividere et distribuere, alius scriptionis est.

1. *Ad Dominum cum tribularer clamavi et exaudivit me.* Israelitae quamdiu in patria atque in om-

---

1) Athanas. Montf. Coll. patrr. II. p. 71.

2) Chrysostomus in praef. Nicetae edt. A. Mai Bibl. Patrr. III. p. 89.

nium rerum affluentia erant, ad falsos deos desciscere Ps. 119, 1.
solebant. Sed patria pulsi, templo exuti et urbe, summum in periculum adducti ad Dominum revertere eumque omnibus votis precibusque quaerere ac venerari coeperunt. Sed audiamus quae sit ista tribulatio.

2. *Domine libera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa.* Est igitur tribulatio illa quidem orta ex calumnia. Aman enim fictis et ementitis criminibus non modo populum in odium Assueri vocaverat, sed effecerat etiam ut Iudaeos omnes sibi trucidare liceret. Nam quod tam magnum malum est, quod non ex calumnia nasci possit?

3. *Quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?* Lingua dolosa summum malum, cui nihil adiici, nihil comparari potest.

4. *Sagittae potentis acutae cum carbonibus desolatoriis.* Carbones desolatorii dicuntur, quod vastant perdunt consumunt. Interpres quidam Graecus cum Hieronymo: *cum carbonibus iuniperorum.* Sed Hebraicum, eodem teste Hieronymo, et *sonitum* significat et *iuniperum* [1]). Quae res quum sic se habeat, Hebraica ita potius reddenda duco: *cum carbonibus sonituum* i. e. cum fulguribus. cf. carbones ignis Ps. 17, 14. et Ezech. 1, 13. Veteres omnes quos inspexi hos versus ita explicarunt: Quid detur tibi adversus linguam dolosam? quid aliud quam auxilium Dei, qui in improbos sagittis fulguribusque suis animadvertit. Sed verius, ut arbitror, Bellarminus et Calmetius: Quodnam malum maius quam lingua dolosa? Ea enim transfigit ut sagitta, percutit ut fulgur.

5. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar.* Hebraeus: *heu mihi*

1) Hieron. epist. crit. ad Fabiol. mans. 15.

Ps. 119, 5. *quia incolui Mosoch, habitavi etc.* In memoriam revocandum Ezechielianum illud: *Gog et Magog, principem capitis Mosoch et Thubal.* Moscovitae Gagaeorum socii cum ceteris gentibus in Asiam venerunt. Cedar i. e. Arabes Gedrosi semper in Amalecitarum societate erant. Populus Iudaicus in mediis hostibus versabatur.

5. *Multum incola fuit anima mea* 6. *cum his qui oderunt pacem.* Hieronymus: *multum peregrina est.* Intelligendi sunt Gagaei et Amalecitae, qui omnia potius quam pacem amant [1]).

6. *Eram pacificus et cum loquebar illis, impugnabant me gratis.* Hieronymus: *Ego pacifica loquebar et illi bellantia.* Hoc carmine Israel exposuit, clamasse se ad Dominum, quum ab Amane mors sibi et pernicies pararetur, ac pacificum se semper placabilem et quietum fuisse cum Mosoch, cum Cedar et Edom, litigiosis gentibus bellorumque cupidis.

PSALMVS CXX.

Precatio filiorum Aaron.

Quae de graduum psalmis in universum disseruimus, ea etiam ad hunc de quo iam dicendum est pertinent. Quamobrem de ratione temporis sententias aliorum afferre non necesse habeo [2]). Filiis Aaron illum quidem tribuendum duximus. Nam sacerdotum erat, facere sup-

1) Chaldaeus: *Plusquam illi habitavit anima mea cum Edom, odio pacem prosequente.*

2) Athanasius: *Secundum modulatur canticum, dum post solutam captivitatem longum iter ageret Babylone Hierosolyma.* Theodoretus: *His qui Babylone adhuc degebant, etiam hic psalmus convenit.* Origenes: *Coniicimus secundum graduum canticum recitatum esse, quando se ad bellum praeparabant et socios advocabant.* Chrysostomus Beda Paraphr. Graec.

plicationes pro populo, quando in bellum proficiscebatur, de divinis eum promissionibus admonere [1]), confirmare animum eius et ad fortitudinem inflammare, felicem denique a Deo exitum et optare et impetrare. Quo quidem munere suo sacerdotes hoc carmine fungi cognoscimus. Ps. 120.

1. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Montes intelligi volunt aeternos, unde Deus impiorum iudex suis auxilio venit.

2. *Auxilium meum a Domino, qui fecit coelum et terram.* Adiutorem Deum habent fortem, potentem, verum atque universi mundi creatorem. His praepositis, populo omnia bona fausta ac felicia precantur.

3. *Non det in commotionem pedem tuum neque dormitet, qui custodit te.* Inimici tui, quamquam omnia agunt, ut calumniis, ut falsis criminibus, ut litteris publicis te prosternant, tamen ad terram te dabunt numquam. Habes enim, qui te sustentet, qui vigilet de te.

4. *Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel.* Dormire visus quidem est. Inimicis tempus ad te proscribendum concessit, sed interficiendi numquam potestatem tribuet. Custodem pervigilem, adiutorem fortem atque inexpugnabilem sese praestabit.

5. *Dominus custodit te, Dominus protectio tua super manum dexteram tuam.* Dominus tibi assistet dexteramque tuam ita corroborabit, ut hostium copias sine ullo detrimento profliges. Nam isti quidem deis utuntur, qui non magis ipsos adiuvare, quam tibi nocere poterunt.

6. *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.* Hebraeus et Hieronymus: *non percutiet te.* Sunt enim

---

1) Mal. 2, 7. *Labia sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore eius.*

Ps. 120, 6. eorum dei daemones, quorum nulla est potestas in eos, quos Deus tamquam suos intueri ac tueri volet. Nam Apollo et Diana, quamquam ab improbis metuantur, tibi tamen mali nihil possunt afferre.

7. *Dominus custodiat te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus.* Mala machinantur quidem daemones eorumque socii. Tibi contra atrocissimos hostes in pugnam proficiscendum, atque in sagittis, in gladiis, in ipsa mortis mortuorumque vicinitate versandum est. Neque vero tibi adversi quidquam poterit accidere, quoniam talem tamque potentem habes defensorem.

8. *Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum ex hoc nunc et usque in saeculum.* Socius in bello inferendo auxiliatorque tibi Dominus aderit efficietque, ut domum salvus incolumisque redeas. Profligatis hostibus, mox consequeris libertatem et in patriam redeundi licentiam. Quanta igitur proposita ad rem bene gerendam praemia? Hac sententia suscepta, Levitae canunt psalmum vicesimum primum. Deinde sequitur

PSALMVS CXXII.

Proselytorum precatio.

Psalmo vicesimo primo, ut diximus, Levitae Israelitis felicia faustaque omnia a Deo precati sunt. Sperarunt enim Idumaicam victoriam quasi quamdam portam fore, per quam in patriam et ad montem sanctum redire possent. Hos in canendis divinis laudibus sequuntur proselyti, qui hoc de quo nobis nunc dicendum est psalmo precationem proferunt et se et Deo dignissimam [1]). Erant autem, ut videtur, in eorum choro can-

1) Origenes in Ps. 119: *Quartum canticum graduum recitatum esse coniicimus, quando Iudaei de victoria in fine sperabant.*

toribus cantatrices adiunctae. Cuius rei illud probabile Ps. 122.
indicium est, quod in versu secundo commemorantur ancillae. Sed clarissima testimonia non modo apud Esdram exstant [1]), sed etiam in cantico canticorum et in Ps. 67. Multi autem ex gentibus paulo post quam Mardochaeus ad regnum elatum est, religionis cum Iudaeis societatem appetiverunt, et ei quidem ab Idumaeis per aliquot menses eisdem prorsus, quibus Israelitae, vel acerbioribus etiam conviciis iniuriisque affecti sunt. Hinc illud, quod in versibus 3. et 4. queruntur. Iudaeorum igitur preces ita prosequuntur ei qui timent Dominum:

1. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in coelis.* Non *in montes* se dicunt oculos levare, ut filii Aaron, sed ad eum qui habitat in coelis. Nam sacerdotum est, prophetarum libros cognitos habere, subtilia et abscondita eorum verba sine ullo errore intelligere et explicare. At vero proselytis convenit oratio simplex perspicua et ab omni etiam errandi periculo vacua.

2. *Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillae in manibus dominae suae: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Nescio an nihil his verbis vel aptius inveniri vel elegantius dici possit. Servi quamvis alicuius rei valde indigeant, tamen verecundia prohiberi solent, quominus quod sibi necessarium est, a Domino postulent. Si autem iniuriae eis ab aliis inferuntur, quum ipsi nec suscipere causam suam nec defendere possint,

---

Athanasius: *Quartum canticum orationem continet eorum, qui remigrantes multis annis in itinere versati sunt.* Beda: *Ex communi omnium persona qui in captivitatem ducti sunt, canitur libertatem reversionis a Domino postulandam.* Chrysostomus Theodorus Heracl. Paraphr. Graec.

1) Esdr. l. c.

Ps. 122, 2. auxilium a domino oculorum obtutu lacrimisque magis quam verbis et precibus impetrare student.

3. *Miserere nostri Domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione.* Iudaei, quorum Dominus se adiutorem fore promiserat, ab eo non modo misericordiam sed etiam iustitiam veritatemque exspectare poterant. At proselyti, quid aliud nisi misericordiam? Sed tamen hi quoque ob nomen Domini inimicorum iniurias tolerant. Quocirca eum rogant atque obsecrant, ut se mitem in ipsos clementem benignumque praebeat.

4. *Quia multum repleta est anima nostra, opprobrium abundantibus et despectio superbis.* Aquila et Hieronymus: *Multum repleta est anima nostra opprobrio abundantium et despectione superborum.* Quae convicia Idumaei in proselytos, quanta maledicta coniecerint, quis est, quin et ex rei natura et ex litteris sacris intellexerit?

PSALMVS CXXIII.

Israelitae maximas Deo gratias agunt.

Superiora carmina quattuor cantata sunt, instante bello Idumaico, quum Iudaei adversus fortissimos hostes proelium suscipere cogerentur. Quamobrem consentaneum erat, ut propheta in illis cantores induceret Dei opem ad rem gerendam implorantes. At vero ea quae sequuntur quattuor, tum recitata sunt, quum Israelitae, hostium copiis caesis vel dissipatis, ab omni iam periculo ac timore vacabant. Quocirca Dominum tutorem suum ac praesidem grato memorique animo extollunt, ac quamvis hostibus multo inferiores essent, tamen sese, Deo socio et adiutore, victores evasisse confitentur. Ps. 123. Sed hoc tantum beneficium se docent con-

secutos propterea quod nec sibi nec ullis hominibus confisi sint, sed spes suas omnes in Deo habuerint Ps. 124. Quod quidem se dicunt ita potuisse facere, quia coelesti gratia excitati ex intima animi sententia et ad se et ad Deum redierint. Hinc mirabile illud subsidium et auxilium, hinc gloriosa victoria ac triumphus, hinc et maxima gratulatio ipsorum et apud gentes summa existimatio Ps. 125. Ex eadem causa etiam Idumaeorum clades manavit atque insperata redemptio Iudaeorum Ps. 126. Sed hunc psalmum, de quo nunc agitur, nonnulli sunt, qui ad incursionem populorum Gog et Magog retulerint. Nam de hostibus, de quibus in hoc psalmo mentio sit, Theodoretus ait vaticinatos Ioelem esse Ezechielem aliosque prophetas [1]). In eadem sententia video Athanasium fuisse et Chrysostomum [2]). Sed alii ipsis exsilii finibus haec bellorum pericula contineri asseverant ut Beda et Calmetius [3]), alii omnino tempus definire praetermittunt, ut Origenes Eusebius Augustinus [4]). Sed haec quidem de sanctis patribus. Quos ita sequendos statuimus, ut revocemus hunc psalmum ad gentem Gog, de qua quum alii prophetae tum praecipue Ezechiel cecinit; illam autem irruptionem hostium exsilii tempore factam esse dicimus. Magnas igitur Israel coepit Deo gratias agere. Ps. 123.

1. *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel.* Israelitici populi personae non modo Origenes hoc carmen tribuit sed ipse etiam propheta.

1) Theodoretus: *Post reditum e Babylonia finitimi Iudaeorum barbaras gentes colligentes coniunctis copiis bellum illis intulerunt, sperantes fore ut eorum memoriam delerent. Sed Deus opem tulit, hostes debellavit. Hoc asserunt plurimi prophetae Ioel Ezechiel etc.* Heracleota.

2) Athanasius, Chrysostomus in h. ps.

3) Beda Calmetius in h. ps.

4) Origenes Eusebius Augustinus.

Ps. 124, 2. [2] *Nisi quia Dominus erat in nobis, cum exsurgerent homines in nos* [3] *forte vivos deglutissent nos.* Hebraeus: *homo.* Hic quidem Aman fuit homo nequam: ceteri qui Iudaeis ut bestiae feroces insidiati sunt, illius socii fuerunt ex variis gentibus coacti. Populus gratum animum ea re maxime significat, quod salutem ac felicem exitum belli non prudentiae aut fortitudini adscribit suae, sed Domino se omnia debere fatetur.

[3] *Cum irasceretur furor eorum in nos* [4] *forsitan aqua absorbuisset nos.* [5] *Torrentem pertransivit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.* Accuratius Hieronymus: *Forsitan aquae circumdedissent nos, torrens transisset super animam nostram. Forsitan transissent super animam nostram aquae superbiae.* Gentium mare in terram irruit i. e. in populum Iudaicum. Sed ne a mari terra absorberetur, Dominus pastor et custos cavit.

[6] *Benedictus Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.* Gentes illae crudelium bestiarum similes praedam sibi populum elegerant. Sed quum iam *sanguini eius* inhiarent, Deus non modo praedam eis eripuit, sed eos ipsos tamquam praedam praedae tradidit.

[7] *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est et nos liberati sumus.* Amalecitici venatores, nefastis illis confectis litteris, laqueum Iudaeis iniecerunt. Verum quum iam in eo essent, ut illos strangularent, litteris rescissis, laqueum sibi in manibus concisum dissolutumque mirati sunt.

[8] *Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit coelum et terram.* Nos quoque redemptionis salutisque beneficium Deo patri debemus, qui Filium suum servatorem nostrum esse voluit. Nam et nos quum mor-

tis laqueo a daemone haud secus atque Iudaei circumdati essemus, summo tempore, Deo interveniente, evasimus. Ps. 124, 8.

PSALMVS CXXIV.

Carmen sacerdotum.

In atrocissimis vincendis hostibus belli socium ducemque Deum fuisse, expositum a populo est carmine proximo. Sed Deus ad tantam in suos benignitatem qua sit causa commotus, non populum decebat sed sacerdotes dicere. Itaque filii Aaron has partes suscipiunt, ut causam illam sitam in populi fide confidentiaque doceant, simulque praecipiant eis qui sint divino subsidio servati, ut ab omni in posterum iniquitatis specie sese abstineant [1]).

1. *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion non commovebitur in aeternum.* Mons Sion terrestris et moveri potest et revera motus est. Nam ex Iudaea primum Susa, deinde Romam est translatus. Mons vero spiritualis, cuius cacumen in coelo firmatum est, nullo umquam impetu potest commoveri. Vidit hanc quidem civitatem Ioannes, Ierusalem illam novam, descendentem de caelo. Sed eamdem plane firmitatem constantiam virtutem nanciscitur is, qui spei suae ancoram traiecit in coelum. Quod qui fecerit, non aliunde is nisi ex solo Deo pendebit.

---

1) Origenes l. c. *Sextum, quando Iudaei redibant.* Eusebius: *Haec aiunt qui longa emensa via ad materialem Ierusalem reversi sunt.* Athanasius: *Sextum canticum canunt, quando ad ipsum desideratum montem pervenerant.* Beda: *Ex persona eorum canitur, qui de captivitate redeuntes impugnatores suos h. e. finitimas gentes Deo adiuvante presserunt.*

Ps. 124, 2. 2. *Qui habitat in Ierusalem, montes in circuitu eius et Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc et usque in saeculum.* Hebraeus: *Permanebit Ierusalem, cuius in circuitu montes et dominus in circuitu populi sui, ex hoc tempore et usque in saeculum.* Ierusalem vocatur civitas Dei, sancta ecclesia, cuius incolae civesque ei sunt, qui confidunt in Domino. Hi Dei custodia tamquam corona montium undique cincti ac muniti, nec ab hostium copiis circumveniri aut expugnari, nec ulla vi commoveri umquam possunt. Ecclesia admirabilis illa urbs a Deo ipso condita, posita in monte montibusque est circumdata.

3. *Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, ut non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.* Aquila: *propterea non extendunt.* Idumaei virgas quum ad sortiendum adhibebant tum ad vaticinandum. Ne prophetae quidem interdum, quin sortibus uterentur, recusabant. Mensem ad Iudaeorum caedem opportunum Aman sortitus est virgis. Prophetae autem non Iudaeorum caedem sed Idumaeorum futuram esse monuerunt. Superior igitur fuit prophetarum vox, victa est peccatorum virga. Salvis enim Iudaeis, occisi ac deleti sunt Idumaei. Neque vero negaverim haec verba posse etiam de Idumaeorum sceptro et imperio accipi, cui erant Iudaei paucos per annos subditi ac subiuncti. Quoniam in eunuchis fraus, in prophetis veritas inventa est; idcirco videant iusti, ne a vera religione praeceptisque divinis umquam declinent.

4. *Benefac Domine bonis et rectis corde.* Qui simplices et aperti, qui veritatis cultores fraudisque inimici sunt, qui a superstitione aeque atque ab Idumaica praeda abhorrent, his sacerdotes maxima a Domino beneficia petunt atque impetrant.

5. *Declinantes autem in obligationes adducet Do-*

minus cum operantibus iniquitatem. Contra si quis, ut Achan et Saul, vel ex spoliis quid surripuerit, vel clam in cultu falsorum deorum perstiterit, is in iniquorum numero quum sit, easdem quas illi poenas sustinebit. Ps. 124, 5.

5. *Pax super Israel.* Filii Aaron, quod sacerdotali suo munere dignum est, faciunt, ut bonis bona ac fausta precentur, iniustis autem quae sit proposita animadversio minaciter denuntient.

PSALMVS CXXV.

Quantum Levitae ex spirituali reversione gaudium perceperint?

Levitis in his psalmis eae tributae partes sunt, ut sanctorum animos vel ad dulcem suavemque erigant laetitiam vel etiam ad summum interdum gaudium inflamment. Nam antea, ut ad bellum Iudaeos incitarent, virtutis praemium positum in libertatis patriaeque recuperatione ostenderunt. Nunc quanta Iudaei gaudia et ex animi conversione iam ceperint et e fine exsilii redituque capturi sint; ac quanta ex inexspectata victoria tum Deo apud gentes gloria, tum ipsis existimatio accreverit, persequuntur. Denique exponunt, quanto maiores poenitentiae captivitatisque dolores fuerint, tanto laetiores fore iustificationis liberationisque delectationes [1].

---

1) Origenes l. c: *Septimum, quando Iudaei iam redierant.* Athanasius: *Septimum canticum canunt, qui quum ad ipsam urbem pervenerint liberationis a captivitate certitudinem habent.* Eusebius: *Aliquanta captivorum pars Babylone redux, recuperata Hierusalem, de eis qui Babylone remanserant canticum hoc non sine bona exspectatione extollit. Aiunt ergo nondum suum gaudium esse completum, fore autem, cum universa natio ex hostili regione ad propriam redierit. Hanc nimirum loci sententiam reliqui interpretes sistunt.* Heracleota, Theodoretus, Paraphr. Graec.

Ps. 125, 1. 1. *In convertendo Dominus captivitatem Sion facti sumus sicut consolati.* Necessario ex hoc versu sequi videtur, Iudaeos iam in patriam esse dimissos. At paulo post poeta Deum, ut captivos in patriam reducat, precatur. *Converte captivitatem nostram.* Quae plane inter se videntur esse contraria. Quidam igitur hanc a se difficultatem ita tolli posse putarunt, si illud *converte* referretur ad eos, qui quum Iudaei primi iam in patriam reversi essent, in Babylonia remansissent. Quae quidem explicatio fortasse probabilis esset, nisi poeta dixisset: converte captivitatem, non aliorum, sed nostram. Quapropter facilius, credo, rem expediemus, si prophetas patresque secuti illud *in convertendo* de spirituali animi conversione intellexerimus. Nam Iudaei ab Amane proscripti quum essent, quae et quanta in Deum peccata commiserint, considerare, divinam iustitiam placare ieiunio, culpam lacrimis luere, ac pro gravissimis superstitionis flagitiis precibus votisque satisfacere coeperunt. Quibus rebus perfectis, ad Deum ipsi quantum quidem in eis fuit, redierunt. Deus autem eos, quum hostium potestati traderet, ad poenitentiam vocavit; poenitentiam vero gratam sibi ratamque esse significavit, quum eos ex hostium arbitrio iniuriisque eriperet. In hac igitur conversione, quae morum fuit emendatio, facti sunt sicut consolati. Interpretes Graeci et Hieronymus: *sicut somniantes.* Cuius verbi vis potest esse duplex. Vt Petrus apostolus ab angelo liberatus sibi visus est somniare: sic etiam Iudaei ex hostium insidiis educti, tamen ita fere animo affecti erant, ut nonnumquam de sua sibi salute dubitare viderentur. Periculi enim continua in mente haesit cogitatio. Sed verbo illi hoc loco prophetandi potius vim tribuerim. *Seniores vestri somnia somniabunt.* Iudaei ex manibus hostium elapsi somniare prophetare canere coeperunt.

Septuaginta quoque huic verbo eamdem vim subiecisse videntur. Ps. 125, 1.

2. *Tunc repletum est gaudio os nostrum et lingua nostra exsultatione.* Laetitia quum ex ore oculisque eluxit, tum linguam solvit ad carmina triumphalia cantanda.

2. *Tunc dicent inter gentes magnificavit Dominus facere cum eis.* Tanta erat huius victoriae gloria tantaque gratulatio, ut etiam gentes hanc Iudaeis victoriam non aliunde quam a Deo tributam esse confiterentur. Hinc maximus ille proselytorum numerus. Pertinet autem hic psalmus ad Christum magis quam ad Mardochaeum. Nam gentes quum Christum natum ex Iudaeis et a Deo suscitatum audirent, non potuerunt, quin Dominum cum illis quidem magnificentiam fecisse faterentur.

3. *Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus laetantes.* Similiter Maria de proxima redemptione: *fecit mihi magna.*

4. *Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in austro.* Hebraeus: *sicut fluvios in austrum.* Veteres quidam hoc loco austrum putarunt esse ventum, qui liquefactis nivibus vim aquarum augeret. Gens autem Iudaica in exsilium tamquam in mare coniecta ac frigoribus mortis congelata quodammodo glacies effecta est. Sed quum a Spiritu sancto quasi austro afflata esset, de glacie statim in limpidissimam aquam conversa ad Deum patriamque recurrere coepit Ps. 147, 17. s.

5. *Qui seminant in lacrimis, in exsultatione metent.* Iudaei, quod a venatore quasi strangulati tenebantur, tristes moesti afflicti erant, a cibis potuque abstinebant, humi proiecti peccatorum suppliciter remissionem rogabant. Ea quidem fuit tristitia secundum Deum, quae operatur poenitentiam in salutem stabilem. Qui poenitentiae huius semina multis cum lacrimis severint, ei

Ps. 125, 5. sine dubio fructum inde percipient laetitiam salutemque aeternam.

6. *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua, venientes autem venient cum exsultatione portantes manipulos suos.* Haec verba si explicatione indigerent, tamen verendum esset, ne quid explicatio de eorum vi et venustate diminuere potius quam addere videretur.

PSALMVS CXXVI.

Proselyti caedem Idumaeorum cum salute Iudaeorum conferunt.

Israelitae sese victoriam consecutos non viribus suis dixerunt, sed eo subsidio, quod praesens tulerit Dominus. Cui sententiae lucis plurimum afferunt proselyti, quum victoriae Iudaeorum calamitatem Idumaeorum comparant. Idumaei enim, per multos annos vel a nullo hoste vexati vel in bellis semper victores, ad magnam multitudinem creverunt. Iudaei contra in proeliis ultimis semper inferiores magnum militum numerum amiserunt, et qui potuerant conservare vitam, captivi translati sunt in mediam Asiam et per varias provincias distributi. Quum igitur Idumaei congrederentur cum Iudaeis: illinc pugnavit magnus exercitus, amplitudo, fortitudo, astutia, victrix superbia; hinc paucorum inopia et egestas, simplicitas, animi demissio, quies ac propriae virtutis diffidentia. Devicit tamen parvus numerus multitudinem, paupertas divitias, animus simplex prudentiam, quies sedulitatem, humilitas superbiam, virtus vitium, et ut uno verbo dicam, Iudaeus Idumaeum superavit. Idumaei enim rebus omnibus pollentes prorsus sunt excisi, Iudaei humanis rebus omnibus destituti non modo ipsi salvati şunt sed illos etiam sustulerunt. His consi-

deratis, quis negare poterit Dominum fuisse ipsum, qui Ps. 126.
cum Iudaeis adversus Idumaeos certaverit [1])?

[1.] *Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui aedificant eam.* Domum cum Augustino vel familiam vel gentem explicamus. Nam haec sequuntur synonyma: hereditas, filii, fructus ventris. Omnibus viribus Aman ceterique Idumaeorum principes enisi sunt, ut ex Scythis unam gentem unius reipublicae societate coniunctam efficerent. Sed eorum labor quum Dominum adversarium haberet, ad irritum cecidit.

[1.] *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Domino non custodiente, vanae et inanes fuerunt custodiae vigiliaeque Amanis. Haec etiam ad Iudaeorum pontifices spectant qui ut a Romanis civitatem defenderent, Christum putarunt tollendum.

[2.] *Vanum est vobis ante lucem surgere.* Primo diluculo et Aman surrexit et accusatores Christi. Frustra tamen et incassum.

[2.] *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.* Hieronymus: *postquam sederitis qui manducatis panem dolorum.* Sedere saepius iddem valet quod vel devinci vel cadere Thren. 3, 63. Ps. 138, 2. Quod Septuaginta reddiderunt: surgite postquam sederitis, id dictum ironice videtur.

[2.] *Cum dederit dilectis suis somnum*, [3.] *ecce hereditas Domini, filii, merces, fructus ventris.* Homines in baptismo cum Christo somno sopiti ac mortui, nonne

1) Origenes: *Octavum, quando Iudaei templum exstruebant.* Athanasius: *Octavum canitur canticum, iactis fundamentis templi.* Eusebius: *Quae nunc opportune Salomon cecinit, Iudaeis Babylone egressis et restituendi templi studiosis atque ob eam rem fastu elatis.* Chrysostomus: *de statu rerum qui fuit post reditum.*

Ps. 126, 2. heredes ac filii Dei, nonne merces praemiumque Domini et tamquam fructus divini ventris evaserunt?

4. *Sicut sagittae in manu potentis, ita filii excussorum.* Graecus quidam: *filii alligatorum* [1]. Iudaei ab Amane proscripti ac caesis similes effecti sunt. Qui igitur a morte liberati ex Idumaeis sumpserunt poenas, ei pro nova generatione habiti atque excussorum filii vocati sunt. Hi terribiles sese praestiterunt ut sagittae potentis, ut fulgura Dei.

5. *Beatus vir qui impleverit desiderium suum ex ipsis, non confundetur, quum loquetur inimicis suis in porta.* Graecus quidam et Hieronymus cum Hebraeo: *qui implevit pharetram ex ipsis.* Sententia haec est: Qui cum pharetra plena in Idumaicum bellum profectus magnum hostium numerum occiderit, is si causam aget coram iudice, ab adversario numquam convicium illud audiet, quod vel ignavus fuerit amicus hostium vel patriae suorumque proditor.

PSALMVS CXXVIII.

Iudaei Idumaeorum victores.

Israelitici populi personae hoc carmen tribuendum esse liquet. Nam in ipso eius exordio verba addita sunt: *dicat nunc Israel.* Primum igitur Israelitae describunt iniurias, quas perpessi sunt ab Idumaeis, deinde poenas, quas ex illis tandem sumpserunt, gravissimas [2]. Sed ut

---

1) Io. Chrysostomus: *excussi, qui erant olim imbecilli vincti et alligati.*

2) Origenes: *Decimum, ubi alta pace fruebantur, quando dicunt, se saepe quidem esse impugnatos, at numquam ab inimicis prostratos* Athanasius: *Decimum canticum multa persecutionum genera Christi populum edocet.* Chrysostomus: *Hic quoque psalmus cohaeret cum*

carmina omnia, quae sunt adscripta Israelitis, sic hoc Ps. 128.
quoque dignum est ecclesia [1]). Nam haec coelestis familia, quamquam summa animi pace fruitur, tamen ab improborum multitudine semper impugnata est neque umquam perfecta pace externa ac tranquillitate gaudebit. Sed ad poenas vocabuntur improbi in ultimo iudicio.

1. *Saepe expugnaverunt me a iuventute mea, dicat nunc Israel.* Vt Esau Iacobo, sic a prima origine Idumaei Israelitis arma intulerunt. Perpetua Idumaeorum bella alio loco enumeravimus.

2. *Saepe expugnaverunt me a iuventute mea, etenim non potuerunt mihi.* Hebraeus et Graecus quidam: *sed non praevaluerunt super me.* Iudaei ab Idumaeis vexati et circumventi si ad Dominum confugiebant, superiores ex bellorum discrimine egredi solebant.

3. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.* Hebraeus iam hoc loco ab agricolis similitudinem ducit, quam summa cum elegantia per totum psalmum retinet: *Supra dorsum meum araverunt arantes, in longum protraxerunt sulcum suum.* Haec de longis ac diuturnis inimicitiis, quae pertinebant usque ad cladem Idumaicam.

4. *Dominus iustus concidit cervices peccatorum.* Aquila, Symmachus et Hieronymus cum Hebraeo: *funes impiorum.* Funes eos intellexerim, quibus aratro alligari boves solent. His praecisis, coacti sunt, ut arandi finem facerent.

5. *Confundantur et convertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.* Qui Sion odisse dicuntur, ei sunt qui

---

praecedenti. Quoniam enim interrumpebatur aedificatio etc. Heracleota Theodoretus Paraphr. Graec. Euthymius.

1) Augustinus in h. ps.

Ps. 128, 5. alibi Dei Iudaeorumque vocantur inimici. Hi partim occisi, partim relicto aratro in omnes regiones dissipati.

6. *Fiant sicut foenum tectorum, quod priusquam evellatur exaruit.* Hieronymus: *statim ut viruerit.* Hebraeus: *priusquam evaginaverit i. e. spicam ex foliis emiserit.* Idumaei, quum iam in eo essent, ut Iudaeis interfectis caput liberius altiusque extollerent, subito arefacti conciderunt.

7. *De quo non implevit manum suam qui metit, et sinum suum qui manipulos colligit.* Nec Iudaei ex tantae multitudinis caede quidquam spoliorum, nec Deus ex illa messe fructum ullum percepit. Nam zizania ad quid valet nisi ad ignem?

8. *Et non dixerunt qui praeteribant: Benedictio Domini super vos, benediximus vobis in nomine Domini.* Vnum sonat apud Hebraeos benedictio et praeda. Laetante tota Asia Iudaei Idumaeos trucidarunt. Nemo autem inventus est, qui eis persuaderet, ut ex eis rebus, quas illi ex omnibus provinciis corripuerant, quidquam in rem suam converterent.

PSALMVS CXXIX.

Sacerdotum precatio.

Non alienum hunc psalmum a persona sacerdotum esse arbitramur. Versu primo: *De profundis clamavi ad te Domine* proposito, filii Aaron eam supplicationem referunt, qua in tempore tenebrarum usi sunt ad populi salutem impetrandam. Quae autem profunda dicuntur, ea loca cum s. Augustino intelligimus, ex quibus etiam Ionas clamorem ad Dominum sustulit. Nam populus a gentium mari obrutus deiectus est in altissimas abyssos; proscriptus vero capitisque damnatus ab Amane ad inferos iam descendisse visus est. Sacerdotes autem

cum populo praesentes adfuerunt, neque ei divinum auxilium implorare umquam destiterunt [1]). Ad hoc genus abyssum Chaldaeus omnes graduum psalmos retulit. Nam huiusmodi inscriptionem posuit: *canticum quod dictum est super gradibus abyssi.* Sed sacerdotes populo praecipiunt, ut matutino tempore se salvum fore confidat. Mane enim Mardochaeus ad regnum elatus, mane interfectis Idumaeis Iudaei redempti, mane Christus e sepulcro suscitatus daemonum tenebras fudit fugavitque. Quocirca hoc carmen etiam apostolis tribuendum censeo. Nam hi a summo pontifice filii Aaron creati resurrectionis auroram exspectarunt, ut custodes primam exspectare lucem solent. Ps. 129.

1. *De profundis clamavi ad te Domine.* Quae clamavit, ea iam sequuntur.

2. *Domine exaudi vocem meam, fiant aures tuae intendentes in vocem deprecationis meae.* Primum Dominum propitium sibi benignumque reddere student. Nam quae petunt, a Domino se impetraturos sperant, propterea quod petunt.

3. *Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit.* Omnes peccaverunt, primum Israelitae, deinde etiam Iudaei, qui tamdiu et tanta cum malitia falsos deos coluerant, qui haud immerito, Hierosolymis captis, partim caesi, partim patria pulsi sunt. Si igitur iudex severus esse voles, quotusquisque erit, qui iustus reperiatur?

4. *Quia apud te propitiatio est, et propter legem tuam*

---

1) Hunc psalmum ad exsilium Babylonicum revocarunt Hilarius Chrysostomus Theodoretus Euthymius permultique alii. Syrus: *Dicitur de Nehemia sacerdote.* Origenes: *Undecimum quando iam rebus divinis vacantes, earum profunda intelligebant.* Athanasius: *Undecimum orationem complectitur martyrum.*

Ps. 129, 4. *sustinui te Domine.* Pronomen *te* ab Hebraicis libris abest. Tuam indulgentiam, quae in te summa est, exspectavimus propter legem et eas quae ei insunt de hoc tempore vaticinationes. Nam ex orationibus Estherae et Mardochaei omnibus notissimum est, non modo de exsilio Babylonico Moysem in universum vaticinatum esse, sed etiam de temporibus Gog et Magog. Consideratis igitur Mosaicis vaticiniis te propitium fore speravimus.

4. *Sustinuit anima mea in verbo eius* 5. *speravit anima mea in Domino.* Graecus quidam et Hieronymus cum Hebraeo: *Sustinuit anima mea et verbum eius exspectavi.* Exspectavit autem verbum illud, quo praepotens Deus Mardochaeo liberationem, Christo vitam ac populo salutem promiserat.

6. *A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino.* Hebraeus: *Anima mea ad Dominum plus quam custodes mane observantes mane, exspectavit Israel Dominum.* Quemadmodum custodes lucem finemque vigiliarum exspectant, sic et anima mea et Israel summo cum desiderio sperant, prima luce Dominum auxilium sibi laturum.

7. *Quia apud Dominum misericordia et copiosa apud eum redemptio.* 8. *Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.* Iudaei in tam grave vitae discrimen adducti sunt, quia multa ac nefanda crimina commiserant. Sed quos peccatorum suorum poenituit, nonne eos Deus, quum summa sit et benignitate et misericordia, conservabit?

—

PSALMVS CXXXII.

Sacerdotes de Iudaeorum Israelitarumque coniunctione ac de proselytorum societate gaudent.

Haud scio an nihil possit hoc carmine suavius esse, nihil dulcius, nihil iucundius. Filii Aaron plurimum et toto pectore, ut aiunt, laetantur, quod ut Iudaei et Israelitae per Mardochaeum, sic et ipsi tum inter se tum cum proselytis sociati coniunctique sunt [1]).

1. *Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum.* Divisis Israelitarum et Iudaeorum regnis, sacerdotum etiam Levitarumque facta disiunctio est. Tribubus omnibus inter se iterum copulatis, etiam Levitae fratres et unius patris filii in laetissimam societatem convenerunt.

2. *Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius.* Suavis est illa quidem amicitia, ut unguentum sacerdotale ditissimum, ex capite in barbam, ex barba in vestimenta abundans.

3. *Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.* Hoc loco interpretes quaerere solent, quae possit esse coniunctio inter Hermon et Sion montes disiunctissimos. Itaque alium quemdam montem Sion creaverunt, quae pars esset Hermonis. Sed haec dicta sunt allegorice. Vnguentum et ros Spiritum sanctum indicant. Hermon

---

1) Io. Chrysostomus ad v. 2.: *Quoniam ante captivitatem decem illae tribus et duae aliae erant dispersae ac divisae et ea causa fuit multae iniquitatis eosque ad seditiones contentiones et bella impulit: haec ne fierent, suadet et consulit, ne populus amplius distrahatur, sed simul habitet, sit coniunctus unique administratori et regi* (i. e. Mardochaeo) *pareat.* In eadem sententia fuerunt Theodoretus Euthymius Beda Bellarminus alii. Levitarum hoc carmen esse putaverunt Abenesra et Calmetius.

Ps 132, 3. mons est in Galilaea. Ros qui in montem Hermon i. e. in apostolos qui erant Galilaei descendit, fluxit etiam ad Sion et ad gentes.

3. *Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in saeculum.* Idumaei a Dionyso deo suò deserti fere omnes perierunt. Salutem autem gloriam benedictionemque dedit Deus ex Sion. Et quemadmodum tum Iudaeis bona omnia a Deo venerunt, sic ex eodem monte Sion salus redemptio ac vita aeterna manabit.

PSALMVS CXXXVI.

De ardentissimo desiderio patriae.

Suavissimo hoc carmine cantores exsules exprimunt, quanto cum animi desiderio patriam redire aveant. Quamdiu Hierosolymis extorres in exsilio retineantur, se negant ulla ex re quidquam posse gaudii percipere. Postremo Deum precantur, ut ab Idumaeis Babyloniisque ipsos strenue fortiterque defendat [1]).

1. *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion.* Moesti tacitique sedent, animo ab omnibus studiis revocato, nihil aliud cogitantes praeter Hierosolyma eversa et montem Sion captum ab hostibus atque vastatum.

2. *In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra.* Tristis silentii taciturnique moeroris duplex causa est, expugnatio Hierosolymorum et periculum vitae ab Idumaeis illatum.

3. *Quia illic interrogaverunt nos qui captivos duxerunt nos: Verba cantionum, et qui abduxerunt nos:*

---

1) Hoc carmen ad exsilium Babylonicum retulerunt Eusebius Hilarius Athanasius Chrysostomus, interpres Syrus, Beda, Euthymius Bruno Astensis, Remigius Antissiod. alii.

Hymnum cantate nobis de canticis Sion. Apud Hebraeos Ps. 136, 3.
primum ponuntur: *capientes* i. e. Babylonii, deinde *vexatores* i. e. Idumaei.

4. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Cantando confitentur Iudaei, se non posse canere in exsilio. Atque omnibus certe ex animi viribus canere nisi in coelesti patria non possumus.

5. *Si oblitus fuero tui Ierusalem, oblivioni detur dextera mea.* 6. *Adhaereat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero Ierusalem in principio laetitiae meae.* Nihil, inquit, citharizo, nihil cano, nisi desiderium domus Dei. Si desiderare patriam dediscam, dediscat citharam tangere manus mea. Hebraeus: *obliviscatur dextera mea.* Lingua autem mea amittat canendi facultatem, si aut deponam ex animo Hierosolymorum recordationem, aut non anteponam civitatem illam rebus omnibus, ex quibus summam capere voluptatem liceat.

7. *Memor esto Domine filiorum Edom in die Ierusalem, qui dicunt: Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Quod dicunt huiusmodi est: Poenas sume de hostibus nostris. Neque enim eis sufficiebat, quod nostra capta esset civitas, neque eversione eius satiati erant, sed instabant dicentes: Effodite quamdiu ullum in ea reliquum fuerit fundamentum [1]). Dicta sunt autem Ierusalem et fundamenta metaphorice. Expugnata urbe et deleta, etiam magna populi pars periit. Sed iuventus quae in exsilium ducta est, quasi quoddam novae reipublicae fundamentum remanserat. Verum has quoque populi reliquias funditus tollere et excidere Aman Idumaeique decreverant. Dies Ierusalem illud dicitur tempus, quum Idumaei iudicati deletique sunt.

1) Chrysostomus.

Ps. 136, 8. [8] *Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam quam retribuisti nobis*, [9] *beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram.* Vt Idumaei, qui Iudaicam rempublicam a fundamentis delere conabantur, ipsi radicitus sublati sunt: sic etiam Babylonii, Hierosolymis vi captis, has poenas dederunt, ut ipsorum urbs a Cyro expugnaretur.

PSALMVS CXXXVIII.

De regenerationis mysterio.

Legenti mihi divinum illum qui apud Ioannem est Christi cum Nicodemo sermonem, quum multa alia tum vero haec verba: *Tu es magister in Israel et haec ignoras*, praecipue digna visa sunt, de quibus accuratius quaereretur. Nam Nicodemus, quae de regeneratione ex aqua et Spiritu sancto audivit, ea quomodo fieri possent, intelligere se negavit; Christus vero non debere ea a magistro in Israel ignorari respondet. Quo responso quoniam historiam prophetasque de renascendi modo locutos indicatum est, quid magis potuit non modo Nicodemum sed et nos ad libros sacros perquirendos incitare? An dubitare possumus, quin in libris illis aliqua huius rei significatio exstet [1])? Quamobrem magnopere

1) Nicolaus Wisemanus, S. R. E. Cardinalis vir omnium doctrinarum copia instructus hanc rem aliter posse explicari putavit. Quodsi invenimus, inquit, hanc regenerationis metaphoram communem fuisse et in mystico Pharisaeorum dicendi genere iddem sonare ac proselytum fieri, atque hanc vocem ex philosophia orientali esse et usurpari a Brahmanis de eis, qui ad ipsorum religionem accedant: statim cognoscemus, obscurum hoc dictum a Nicodemo sane potuisse intelligi. (Zusammenhang der Ergebnisse etc. 11. Vorles. pag. 468.) Doctissimo huic auctori is qui eius librum in Germanicam linguam vertit, Hanebergius O. S. B. Abbas se assentiri posse negat. Nam ex litteris sacris metaphoram illam sumptam esse affirmat. Citat autem Iob. 14. et Ies. 44, 2.

sumus laetati, quod Iudaeorum per Mardochaeum conservationem a prophetis vocatam resurrectionem cognovimus. Videtur autem resurrectio, ut ab Ezechiele in praeclaro illo de ossibus vaticinio descripta est, haud multum vel a regeneratione vel a nova creatione differre. Quamquam inter illud *resurgere et in vitam revocari* et hoc quod Dominus noster dicit *renasci, nasci denuo* discriminis aliquid intercedit. Quocirca magis etiam gavisi sumus, quod ex patrum sententia illam renascendi rationem hoc psalmo expositam invenimus. Nam Athanasius prophetam admirari ait de oeconomiae altitudine [1]). Augustinus autem hoc carmen ad filium prodigum applicavit, qui ad patrem est ex regione longinqua reversus [2]). In quo et poenitentiae cernitur et regenerationis exemplum. Iam vero quod ad tempus attinet, id quidem et ex inscriptione: *Zachariae in dispertione,* cognosci potest, et ex his Athanasii verbis: *Refertur psalmus ad personam Zachariae, dum filii Israel adhuc in captivitate essent et propheta quoque cum eis* [3]). Similiter de tempore Paraphrastes Graecus [4]), alii aliter. Nobis a Mardochaica aetate non videtur recedendum. Nam tum regeneratio etiam hac re significata est, quod Iudaei, rescissis Amanis litteris, quum mense tertio essent quodammodo creati, tamen usque ad mensem duodecimum i. e. per menses novem exspectarunt, donec nascerentur lucemque adspicerent. Sed veniamus ad interpretationem. Ps. 138.

1. *Domine probasti me et cognovisti me.* Iudaei quum in res adversas calamitatesque abducerentur probati ac

1) Athanasius in h. l.
2) Augustin. in h. ps.
3) Athanasius.
4) Paraphr. Graec. edt. Cord.

Ps. 138, 1. tentati sunt. Verbum cognoscendi vim habet approbandi. Nam veriores purioresque ex tentatione egressi, probitatis praemium acceperunt.

2. *Tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam.* Sessio est clades ac calamitas, resurrectio autem victoria. Sederunt Iudaei proscripti ab Amane ac poenitentiae causa humi proiecti; surrexerunt, peccatis remissis, quando, victis hostibus, in spem sese vitae aeternae erexerunt [1]). cf. Thren. 3, 63.

3. *Intellexisti cogitationes meas de longe, semitam meam et funiculum meum investigasti.* Hieronymus: *intellexisti malum meum de longe, semitam meam et accubationem meam eventilasti.* Intelligere de longe iddem est ac despicere et improbare. Vanas Iudaeorum cogitationes Deus non modo praescivit sed etiam per Moysem praedixit. Tempore autem Babylonico in eos ita animadvertit, ut eos in omnes partes per totam Asiam divideret ac dispergeret.

4. *Et omnes vias meas praevidisti.* Quemadmodum post Moysem mortuum a vera religione deflexerunt, et a iudicibus, deinde a prophetis et a quibusdam regibus in viam veritatis reducti ad falsos deos denuo aberraverint, Dominus ante praevidit.

4. *Quia non est sermo in lingua mea. Ecce Domine tu cognovisti omnia.* Sententia haec est: Sed ad omnia enumeranda sermo me deficit, quocirca breviter dico: tu nosti itinera mea omnia. Dominus igitur Iudaeis in omnibus viis praesens adfuit, ut eos tutaretur, si legem servarent; puniret, si ab ea declinarent.

5. *Novissima et antiqua, tu formasti me et posuisti super me manum tuam.* Hieronymus: *retrorsum et ante formasti me.* Eum populum assumpsit, quem modo

1) Augustinus in h. l.

improbum sibique contrarium, modo bonum et amicum Ps. 138, 5.
sibi futurum praescivit. Vitia vindicavit, virtutes praemiis beneficiisque decoravit. Super eum manum posuit aut ad puniendum aut ad tutandum.

6. *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est et non potero ad eam.* Propheta quum et totam populi gubernationem et maxime insperatam salutem considerasset, o admirabilem, inquit, scientiam, quae mente mea est superior, quam non possum cogitando assequi [1]).

7. *Quo ibo a spiritu tuo et quo a facie tua fugiam?* Poeta concinne et ingeniose solet bona malis, praemia poenis, contraria contrariis opponere; veluti supra *tentasti approbasti, sessionem resurrectionem, retrorsum ante.* Quod iddem hoc loco facit. Si ad veram pietatem reversus virtutes colere coepi, nec spiritus vitae nec gratia tua umquam mihi deerit; at si peccaverim, quomodo faciem vitare tuam, poenas iramque effugere potero?

8. *Si ascendero in coelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.* Iudaei per litteras Amanis quodammodo ad inferos deturbati sunt, sed, id quod maxime mirum est, Deus etiam ibi eis praesens opem tulit. Victoriam nacti elati sunt sublime, sed Deus est, qui eos extulit.

9. *Si sumpsero pennas meas diluculo et habitavero in extremis maris,* 10. *etenim illuc manus tua deducet me et tenebit me dextera tua.* Hebraeus: *pennas aurorae.* Si ex Babylonia transvolaverim orientem versus et sedes meas ad extremum mare constituerim: tamen aut benevolentia me tua deducet aut iustitia refrenabit.

11. *Et dixi: Forsitan tenebrae conculcabunt me et*

---

1) Athanas. Euseb. Chrysost. August.

Ps. 138, 11. *nox illuminatio mea in deliciis meis.* Qui sublimem absconditamque sacrarum litterarum sententiam penitus volet perspicere, is typicum vel allegoricum quo sacri scriptores usi sunt genus dicendi investigare debebit. Itaque hoc loco quaerendum est, quid sit lux et dies, quid nox ac tenebrae. Prima die vel aetate mundi Deus lucem creavit, quum Abel et Seth iustos fecit; lucem a tenebris, diem a nocte separavit, quum filios Seth a Caini posteris seiungeret. Alteri vocati sunt filii Dei vel lucis vel diei; alteri filii hominum vel tenebrarum. Quum ab Amane synagoga, a Nerone ecclesia armis peteretur, lux in maximum periculum venit, ne a tenebris prorsus vinceretur. Qua de re anxii filii lucis suppliciter ad Dominum clamaverunt: *Vae tenebrae conculcabunt me.* (Hebr.) Sed quid mirabilius divina sapientia? Tenebrae ubi aggredi lucem conantur, partim de caligine in lucem conversae, partim in abyssum sunt reiectae. *Et nox facta est lux* ad summam gratulationem meam, vel ut ait Hebraeus: *circa me.*

12. *Quia tenebrae non obscurabuntur a te et nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebrae eius ita et lumen eius.* Hebraeus: *Etiam obscuritas non obscurabit (non obscura, non caliginosa est) prae te, et nox sicut dies lucebit, ut lux sic tenebrae.* Qui ex gentibus primum Iudaeis deinde Christianis sunt adscripti, ei quum antea nox et tenebrae essent, divina gratia ita commutati sunt, ut tenebrarum proprietate deposita abiectaque caligine noctis, non amplius essent caliginosi, sed quasi dies lucere inciperent. Sed hoc vaticinium ad Christiana praecipue tempora spectat. Multum enim proselyti et Iudaei inter se differebant. At vero gentes photismate illuminati nonne ex tenebris lux evaserunt? Iam propheta ad aenigmata regenerationis describenda accedit.

13. *Quia tu possedisti renes meos suscepisti me de* Ps. 138,
utero matris meae. Hebraeus: *quia tu creasti renes meos, texisti me utero matris meae.* Israelitae cum Moyse in maris uterum descenderunt, ut renascerentur; cum Mardochaeo, qui quasi quidam Ionas fuit, in maris abyssum, in infernum terrae delati ibique regenerati; cum Christo in baptismatis undas immersi ac denuo creati sunt. Hos omnes Deus usque ab intimis renibus et tamquam matris utero provide obtexit.

14. *Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua et anima mea cognoscit nimis.* Perpetua oratione propheta ea quae facta et quae futura sunt, eloqui non potest. Nam rerum scientiarumque magnitudo eum ad Deum laudandum extollendumque rapit.

15. *Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto et substantia mea in inferioribus terrae.* Hebraeus: *Nonne obtecta sunt ossa mea a te, quibus factus sum in abscondito et effictus in infimis terrae?* Ossa tecta sunt carne et pelle, ut praeclare est in libro Iob et apud Ezechielem. Haec facta sunt in ima terra, dum Iudaei per menses novem quodammodo in sepulcro versabantur.

16. *Imperfectum meum viderunt oculi tui et in libro tuo omnes scribentur, dies formabuntur et nemo in eis.* Hieronymus: *informem adhuc me viderunt oculi tui.* Nondum novem menses praeterierant, quum Deus eos aspiciebat, sed tum etiam informes erant atque imperfecti. Hebraeus: *in libro tuo omnes ipsi (dies) scribantur, quibus diebus formandi sint, et ne unus quidem (dies) non in eis.* Iudaei vel in abyssis aquarum vel in utero terrae necesse fuit menses remanerent novem. Hos dies Deus notavit numeravitque, ut ne unus quidem eis qui renaturi erant deesset. Paulo aliter Sym-

Ps, 138, 16. machus: *Cum omnibus qui in libro tuo scripti sunt, qui sunt effingendi, nullo die deficiente.*

17. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Hebraeus: *mihi autem quam pretiosi fuerunt amici tui Deus, quam invaluerunt (numero) capita eorum?* Iam de eorum multitudine qui sunt vitam novam nacti, magnopere vates admiratur.

18. *Dinumerabo eos et super arenam multiplicabuntur.* Ezech. 37, 10: exercitus grandis nimis valde.

18. *Exsurrexi et adhuc (iam) sum tecum.* Regeneratio novaque creatio iam perfecta est. Ex utero terrae ascenderunt, nati sunt, surrexerunt. Praeclarissimis his de regeneratione mysteriis expositis, propheta ad eas res revertitur, ex quibus huius vaticinii sumpsit exordium.

19. *Si occideris Deus peccatores, viri sanguinum declinate a me.* Hebraeus: *quoniam occidisti Deus iniustum.* Occiso Amane, devicto daemone, num resistere poterunt, qui istorum fuerunt socii Idumaei et daemones?

20. *Quia dicitis in cogitatione: accipient in vanitate civitates suas.* Hebraeus: *Qui cogitant adversus te nefasta, frustra elati sunt hostes tui.* Idumaei, qui populum tuum excidere cogitaverunt, frustra surrexerunt ad hos conatus perficiendos.

21. *Nonne qui oderunt te Domine oderam et super inimicos tuos tabescebam?* Inimicos Domini non esse alios quam Amalecitas et Idumaeos, saepius diximus.

22. *Perfecto odio oderam illos et inimici facti sunt mihi.* Haec dicta sunt, ratione habita Sauli, in quo non perfectum fuit odium contra Amalecitas.

22. *Proba me Deus et scito cor meum interroga me et cognosce semitas meas.* Proba, inquit, animum et consilium, tenta cogitationem ac sententiam.

24. *Et vide si via iniquitatis in me est et deduc me* Ps. 138, 24.
in via aeterna. Hebraeus: *si via doloris.* Ex tentationibus etiam ei qui renati sunt, sanctiores solent ac probatiores evadere. Adhuc autem in via versantur doloris. Nam is felicitatis status ad quem tendunt huic itineri tamquam finis propositus est.

PSALMUS CXL.

Precatio vespertina.

Plerique sanctorum patrum in hoc psalmo modum explicandi secuti sunt allegoricum. Magis autem se ad propriam historicamque verborum sententiam applicavit Chrysostomus [1]). Sed et hic quo ex tempore psalmus fluxerit, quaerere aut definire praetermisit. Graecus vero Paraphrastes plures dicit fuisse, qui deferrent has preces ad exsules Babylonicos [2]). Quos equidem verum invenisse puto. Atque ut hi sequendi sunt in explicatione historica, sic in allegorica non est recedendum a ceteris patribus. Praeclare enim Proverbiorum auctor: Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.

1. *Domine clamavi ad te: exaudi me, intende voci meae cum clamavero ad te.* Propheta refert, quibus precibus in temporum acerbitatibus Deum rogaverit. Quare precibus ipsis verba illa anteposuit: *Domine clamavi ad te.* Sed a Domino quae petit impetraturum se sperat, non propter res bene gestas nec propter virtutum merita sed propter clamorem ex tristi contritoque animo prolatum.

---

1) Io. Chrysost. in h. ps.

2) Paraphr. Graecus. Beda hunc psalmum ad regem Exechiam retulit.

Ps. 140, 2. [2] *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo et elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Moyses in proelio Amalecitico usque ad occasum solis manus tenuit sublatas ad coelum atque una cum Aaron et Hur opem a Deo subsidiumque imploravit. Iddem fecerunt aliquanto post Mardochaeus Ezechiel Daniel, qui superioribus illis vel animo vel etiam sanguine et patria erant coniunctissimi. Vt igitur quondam Deo illorum gratae erant supplicationes, sic propheta optat, ut nunc oratio manuumque elevatio ei suavis sit tamquam incensum ac iucunda ut sacrificium vespertinum. Nam tum nocturnum instabat cum eisdem hostibus proelium.

[3] *Pone Domine custodiam ori meo et ostium circumstantiae labiis meis.* Hebraeus alteram partem sic: *serva paupertatem labiorum meorum.* Propheta qui sacerdotio fungitur, Deum eas virtutes rogat, quas sacerdotem colere ac servare decet. Quarum in numero princeps est gravitas silentii orationisque sanctitas. Nonnumquam enim silentium est sermone utilius, quemadmodum etiam sermo interdum silentio [1]. Omnino autem ea lingua, quae divinas laudes celebrat ac sacra tangit mysteria, non debet alia loqui, nisi quae vel salutem fratribus vel utilitatem quamdam afferant.

[4] *Non declines cor meum in verba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis cum hominibus operantibus iniquitatem.* Symmachus et Chaldaeus: *Ne divertaris cor meum in sermones malos ad cogitandum sceleratas cogitationes etc.* Eodem fere modo Hieronymus. Bonis iustisque hominibus nihil vitandum magis est, quam improborum familiaritas. Quam fugere qui volet, tria potissimum cavebit. Vnum, ne in periculo-

1) Io. Chrysost.

sam sermonis cum impiis communionem deferri se pa- Ps. 140, 3.
tiatur. Alterum, ne ad consiliorum cum eis societatem adducatur. Tertium est, ne umquam, quamvis familiarissime invitatus, ad eorum convivia accedat. Primum a Deo propheta petiit antea, secundum hoc loco, tertium eis verbis quae sequuntur.

4. *Et non communicabo cum electis eorum.* Graecus quidam: *neque una comedam dulcia eorum.* Hieronymus: *neque comedere in deliciis eorum.*

5. *Corripiet me iustus in misericordia et increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Hieronymus: *oleum amaritudinis*, Hebraeus: *oleum Ros vel capitis.* Propheta quantopere sibi ab impiorum amicitia refugiendum statuat, accuratius eo declarat, quod cum blanditiis impiorum vituperationes iustorum comparat. Namque a bonis viris reprehendi ac puniri, quam ab improbis honoribus beneficiisque affici mavult.

5. *Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum;* 6. *absorpti sunt iuncti petrae iudices eorum.* Hieronymus: *quia adhuc oratio pro malitiis eorum, sublati sunt iuxta petram iudices eorum.* Deum oravit, ne vel ipsum vel populum inimicorum malitiae traderet [1]). Brevissimum tempus intercessit, quum hostium iudices iuxta petram laevem, de quo alio loco diximus, sepulti ac muro saxisque inclusi ac consepti sunt.

6. *Audient verba, quoniam potuerunt.* Illud *potuerunt* natum est ex errore Latini. Nam Septuaginta habent: ἠδύνθησαν, quod ducendum est ab ἠδύνομαι, non a δύναμαι. *Audient verba quoniam iucunda sunt* i. e. evangelium de litteris Amanis rescissis.

7. *Sicut crassitudo terrae erupta est super terram,*

1) Io. Chrysost. Syrus.

Ps. 140, 7. *dissipata sunt ossa nostra secus infernum.* Symmachus et Hieronymus: *Sicut agricola quum terram frangit, sic ossa nostra dissipata sunt secus inferos,* cf. Ps. 128. Haec similitudo necessario sequitur ex eo, quod populus Iudaicus terrae comparatur.

8. *Quia ad te Domine Domine oculi mei, in te speravi, non auferas animam meam.* Iustus propter plenam absolutamque spem, quam in Deo ponit, salvum se fore confidit.

9. *Custodi me a laqueo quem statuerunt mihi et a scandalis operantium iniquitatem.* 10. *Cadent in retiaculo eius peccatores, singulariter sum ego donec transeam.* Hieronymus: *simul autem ego transibo.* Dum homo iustus per medios laqueos salvus incolumisque incedit, in eos incidunt peccatores.

PSALMUS CXLII.

Precatio nocturna.

Ioannes Chrysostomus hunc psalmum putavit explicari non posse, nisi referretur ad exsilium Babylonicum [1]). Qua quidem in re ei consenserunt Theodorus Heracleota, Paraphrastes Graecus et nonnulli recentiores [2]). Quorum nos omnino sequendam sententiam arbitramur. Nam compluria huic psalmo insunt, quae haud fere aliter quam historice de Mardochaeo accipi, anagogice autem de Iesu Christo possunt. Quidquid enim spectat ad Mardochaeum, id summo iure etiam ad Christum revocari potest.

1. *Domine exaudi orationem meam, auribus percipe*

---

1) Io. Chrysost. ad v. 3.

2) Theodor. Heracl. Paraphrastes Graecus. Beda hunc psalmum ad Ezechiam pertinere censuit.

obsecrationem meam in veritate tua, exaudi me in tua iustitia. Deum auxilium suis promisisse propheta veteribus ex vaticiniis cognoverat. Neque vero eum fugit, quanta in hostibus esset malitia et iniquitas. Quamobrem Dei et veritatem implorat et iustitiam. Nam veritatis fideique divinae erat, facere quod erat pollicitus, atque Iudaeos servare; iustitiae autem, punire improbos Iudaeorum hostes. Ps. 142, 1.

2. *Et non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Poeta tantum abest, ut iustitia sua fretus opem a Deo auxiliumque postulet, uti plurimum ne ab eo in iudicium accersatur timeat. Mardochaeum autem ita loqui convenit, quoniam erat in peccatis conceptus; neque dedecet Christum, qui etsi omni vacabat culpa, tamen nostra omnium in se crimina suscepit.

3. *Quia persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam, collocavit me in obscuris sicut mortuos saeculi.* Inimicum proprie dicimus Amanem, anagogice cum Chrysostomo diabolum. Mortuos saeculi intelligimus eos, qui a Moyse et Iosue eo saeculo occisi sunt, quod tunc proxime anteivit. Ex eodem dicendi genere illud est: *prophetae qui a saeculo sunt.* Propria horum verborum vis in solum Christum quadrat, qui per triduum in inferni tenebris habitavit, sicut ei qui sunt mortuorum miserrimi.

4. *Et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.* Propheta quum in omnibus vitae conditionibus, tum maxime in moestitia et angore dignus est, quem omni et diligentia et religione imitemur. Consideremus igitur, in angustia quo confugiendum sibi, unde solatium petendum putaverit.

5. *Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum*

Ps. 142, 5. *meditabor.* Plurimum ad animum augendum valet eorum qui vel eadem vel similia mala perpessi sunt recordatio. Nam ex eis et quanta in rebus adversis patientia esse debeat, perspicimus, et quam praeclara huic virtuti proponantur praemia. Mardochaeus autem maxime recogitando contemplatus est Noen, Isaacum, Iosephum, Iosuen aliorumque exempla quorum rationes vitaeque vicissitudines suis ipsius temporibus similes paresque esse intellexit. Neque enim quidquam sub sole novum, quoniam Deus eisdem legibus ea quae nunc sunt atque ea quae prius fuerunt administrat [1]). Sed a sacrarum litterarum meditatione propheta ad orationem properat.

6. *Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Graecus quidam et Hieronymus: *sicut terra sitiens ad te.* Manus expandit animumque maximo cum desiderio et ardore patefacit ad recipienda beneficia divina.

7. *Velociter exaudi me Domine, defecit spiritus meus. Non avertas faciem tuam a me et similis ero descendentibus in lacum.* Deum, ut auxilium sibi quam primum ferat, implorat, non quod patienter mala tolerare nolit, sed quia summum instat periculum.

8. *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi.* Non solum haec ad auxilium quod primo mane Deus et Mardochaeo et Iudaeis universis attulit, spectare videntur, sed etiam, ut ait Athanasius, ad matutinam Domini resurrectionem [2]).

8. *Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.* Sanctus ex Deo totus pendere quam suo arbitrio agere satius existimat.

1) Io. Chrysost.
2) Athanas. in h. l.

9. *Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi.* Ps. 142, 9.
10. *Doce me facere voluntatem tuam quia Deus meus es tu.* Misericordiam se confidit consecuturum propter spem suam v. 8; consilium propter supplicationem v. 8; salutem propterea quod confugit ad Deum v. 9; doctrinam denique sperat, quia se totum Deo addixit.

10. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam;* 11. *propter nomen tuum Domine vivificabis me.* Spiritus sancti est, homines a vitiis convertere ad virtutem atque e morte ad vitam reducere. Quamobrem propheta sanctum Spiritum obsecrat, ut se in fines iustitiae aequitatisque adducere velit. Deinde postulat a Deo Patre, ut vitam sibi impertiat per Spiritum. Neque vero ea se impetraturum putat propter merita, sed propter nomen divinum.

11. *Educes de tribulatione animam meam et in misericordia tua disperdes inimicos meos et perdes omnes qui tribulant animam meam quoniam ego servus tuus sum.* Inimicis mala et infausta precatur, non quod animus eius odii iracundiaeque plenus sit, sed quia, salvis illis, salvi esse boni nullo modo possunt. Ceterum inimicos illos daemones esse consideres.

PSALMVS CXLIII.

De adventu iudicis.

Complures antiqui interpretes, prophetam hoc psalmo dicunt de Iesu Christo esse vaticinatum. Qui quidem allegoriam secuti, dubium non est, quin veram huius psalmi sententiam invenerint. Iam vero ex eis qui historicam rationem et interpretationem quaesierunt, omnino duo sunt, qui verum mihi vidisse videantur, Origenes

Ps. 143. et Theodoretus [1]). Nam uterque hoc carmen ad gentem Gog et ad eam rem vocarunt, quae quum ab aliis prophetis subtiliter, tum vero copiosissime ab Ezech. 38. praedicta et ante denuntiata est. Qua sententia nos probata, poetam de bello Idumaico dicimus vel de re Mardochaica agere. Nam quae Ezechiel futura cecinit, ea libri Estherae auctor facta conscripsit. Sed fuerunt, qui Davidi hoc carmen tribuendum censerent. At quam improbabilia ei quidem dixerint, iam ex eorum discrepantia apparet. Nam sententiis aliorum reiectis, novam et suam quisque opinionem excogitarunt; quo factum est, ut, tota Davidis vita lustrata, tamen non reperirent, quod omni ex parte in hunc psalmum quadraret.

1. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad proelium et digitos meos ad bellum.* Virtutem artemque militarem omnem, quae ad vincendos Idumaeos erat necessaria, propheta divinitus accepit. Nam hostes nisi interveniente divino auxilio, quomodo omnino vinci aut superari potuerunt?

2. *Misericordia mea et refugium meum, susceptor meus et liberator meus, protector meus et in ipso speravi qui subdit populum meum sub me.* Hieronymus: *qui subiecit populos mihi.* Propheta quanto in periculo fuerit, ex his verbis liquet. Nam spem omnem ex Deo ducit, ac suis se viribus tueri non potuisse agnoscit.

3. *Domine quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum?* Hieronymus cum Hebraeo: *quid est homo quia agnoscis eum.* Homo quae eius nunc et natura et conditio est, sane dignus non

---

1) Origenes et Theodoretus: *De gentibus quae in Iudaeos post reditum a Babylone consurrexerunt, multi vates mentionem faciunt, sed copiosius quam alii Ezechiel. Dicit autem: Post dies multos visitaberis ... (Ezech. 38.). Haec et hic psalmus vaticinatur.* Beda eum ad Ezechiam, Paraphrastes Graecus ad Maccabaeos retulit.

existimabitur, quem Deus respiciat. Nam quid eo potest Ps. 143, 3.
esse miserius, qui peccato obnoxius est mortisque vinculis constrictus tenetur?

4. *Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut umbra praetereunt.* Haec et de Iudaeis Amani venditis, et de omnibus hominibus, qui, Adamo peccante, proditi sunt daemoni.

5. *Domine inclina coelos tuos et descende, tange montes et fumigabunt.* 6. *Fulgura corruscationem et dissipabis eos, emitte sagittas tuas et conturbabis eos.* Deum rogat, ut ipsi auxilio veniat, iudicetque eos, qui vitae sibi necisque potestatem arrogarunt. Hos autem divinae maiestatis inimicos ita putat notos esse omnibus, ut ne nomen quidem eorum afferendum arbitretur.

7. *Emitte manum tuam de alto, eripe me et libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum,* 8. *quorum os locutum est vanitatem et dextera eorum dextera iniquitatis.* Iam hostes qui et quales fuerint, exponit. Eos filios appellat hominis alieni peregrini et hostilis, qui vel Edom erat vel Aman vel daemon. Hi in Iudaeos adduxerant illud quod dicit gentium mare. Denique quanta in eis fuerit impietas commemorat. Contra hos de coelo venit iudex, in nubibus, cum tempestate. Is manu ex altissimo coelo porrecta eum salvat, quem turbulentissimus gentium oceanus absorbuerat [1]).

9. *Deus canticum novum cantabo tibi, in psalterio decachordo psallam tibi.* Aequum est, ut Deo qui nova et inaudita fecit novum carmen voveat. Nam ut a Mardochaeo sic etiam a Christo nova generatio originem sumpsit. Novum de redemptione perfecta carmen evangelium est, quo quidem carmine quid potest esse dulcius?

---

1) Io. Chrysost. in h. l.

Ps. 143, 10. 10. *Qui das salutem regibus, qui redemisti David servum tuum de gladio maligno* 11. *eripe me et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem et dextera eorum dextera iniquitatis.* Multos de veteribus regibus dicit a Deo conservatos, ut Iosaphat et Ezechiam; Davidem deinde nominatim affert, quo facilius Deum ad opem ferendam flectat.

12. *Quorum filii sicut novellae plantationes in iuventute sua.* Recordandum nobis est, quanta cum iactatione Aman de filiorum turba gloriatus sit.

12. *Filiae eorum compositae, circumornatae ut similitudo templi.* Quae similitudo inter deorum templa et mulieres vanas intercedat, praeclare exposuit Clemens Alexandrinus. Quae enim sunt externa et ab hominibus conspiciuntur, ea venusta magnifica omnibusque insignibus exornata esse confitendum est. At vero intus quanta turpitudo?

13. *Promptuaria eorum plena eructantia ex hoc in illud.* Tantam rerum omnium copiam ex tota Asia contulerant, ut promptuariorum magnitudinem longe excederet neque eis capi ullo modo posset.

13. *Oves eorum foetosae abundantes in egressibus suis.* Oves foecundae, *parientes mille, parientes decem millia* (Hebr.).

14. *Boves eorum crassae. Non est ruina maceriae neque transitus neque clamor in plateis eorum.* Non est, qui in eorum fines irruptionem facere aut armenta gregesque rapere audeat.

15. *Beatum dixerunt populum cui haec sunt.* Insipientes erant, qui gentem Idumaicam propter huiusmodi opes fortunasque beatam praedicarunt. Sapientes contra beatam vitam positam in externis bonis esse negant.

15. *Beatus populus cuius Dominus Deus eius.* Quis

enim beatus dici potest nisi summum bonum Deum Ps. 143, 15.
existimet atque possideat?

PSALMVS CXLVI.

De timentibus Deum.

Apud Hebraeos hic psalmus cum eo coniunctus est, qui sequitur. Neque cuiquam dubium esse potest, quin ambo illi eamdem ad rem pertineant. Revocatus est autem hic quidem ab Origene, a Chrysostomo aliisque patribus ad exsules Babylonicos [1]). Et profecto, quis earum rerum quas Iudaei in exsilio gesserunt, tam ignarus est, quin intelligat ea beneficia enumerata esse, quae a Deo tum in Iudaeos sint collata? Quorum in numero praecipuum eximiumque illud est, quod devictis Idumaeis, Iudaei ab internecionis terrore liberati sunt. Salute autem recuperata, illi statim in eam spem sunt adducti, ut Babylone urbe eversa, Hierosolyma se ad integrum restituturos sperarent. Quamobrem et beneficiorum quae adepti sunt memores magnas gratias agunt, et reliqua quae promissa erant se assecuturos confidunt.

1. *Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus, Deo nostro sit iucunda decoraque laudatio.* Hieronymus: *Laudate Dominum, quoniam bonum est canticum Dei nostri, quoniam decorum est pulchra laudatio.* Ex omnibus rebus, quae in terris inveniuntur, duae sunt, quae vere possint bonae iucundaeque vocari, hostia eucharistica et sacrificium laudis. De priore illa Ecclesiastes vaticinatus est, quum negat quidquam esse melius quam comedere carnem et bibere sanguinem Do-

---

1) Origenes Chrysostomus Theodoretus Beda Paraphrastes Graecus Euthymius alii.

Ps. 146, 1. mini. Posterius autem a psalmista saepius bonum sempiternumque dicitur. Haec autem duo sacrificia quae etiam duo communionis genera sunt, in coelis ita erunt coniuncta, ut Deum et percipiendo laudemus et laudando percipiamus.

2. *Aedificans Ierusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit.* Ierusalem vel populum vel urbem potest significare. Populus in pristinum statum restitutus est, quum ex Amanis daemonisque arbitrio vindicaretur. Ac de hac quidem redemptione verba intelligenda esse censeo, quoniam eam Israelitarum congregatio secuta est, ut redemptionem vocatio gentium. At contra si quis non de populo sed de urbe cogitandum putet, is consideret Israelitas primum congregatos esse, ac postea urbem Ierusalem restauratam.

3. *Qui sanat contritos corde et alligat contritiones eorum.* Deus, ubi suos peccatorum recordatione contristatos vidit, misericordia motus est, ut dolores tolleret animique vulnera sanaret. Nam hostibus occisis, tristitiam in laetitiam convertit.

4. *Qui numerat multitudinem stellarum et omnibus eis nomina vocat.* Stellarum numero saepius multitudo filiorum Abrahami comparatur. Hinc fieri potuit, ut ei, qui vel corpore vel spiritu filii Abrahami essent, simpliciter stellae appellarentur. Deus filiis Israel numeratis, ne quis intereat providet. Tanto autem eos amore complectitur, ut uniuscuiusque nomen cognitum in manibusque scriptum habeat. Impiorum contra memorem se esse negat. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

5. *Magnus Dominus noster et magna virtus eius et sapientiae eius non est numerus.* 6. *Suscipiens mansuetos Dominus humilians autem peccatores usque ad terram.* Dominus magnus fortis sapiensque apparuit

ex eo, quod Idumaeis tam inexspectatum interitum, Iu- Ps. 146, 6.
daeis salutem tam admirabilem paravit.

7. *Praecinite Domino in confessione, psallite Deo nostro in cithara* 8. *qui operit coelum nubibus et parat terrae pluviam.* Quemadmodum terra ex tempestatibus caliginosisque nubibus adipiscitur pluviam ac fertilitatem, sic populus Iudaicus ex Idumaica tempestate eum fructum cepit, ut divino verbo sanctaque doctrina imbueretur. Iddem ex pluvia simile duxit Moyses Deut. 32, 2. Neque vero Iudaei solum sed gentes etiam ex adversis illius temporis tenebris summa et utilitas et laetitia orta est.

9. *Qui producit in montibus foenum et herbam servituti hominum, qui dat iumentis escam ipsorum et pullis corvorum invocantibus eum.* Proselyti qui Mardochaici convivii participes erant, servi vocari Iudaeorum solent. Horum autem alii ad spiritualia erant inculti, ut iumenta, alii divinae institutionis cupidi, ut filii corvorum.

11. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.* De multitudine equorum et de robore corporis maxime gloriati sunt Idumaei hostes. Sed Dominus eos detestatus est.

11. *Beneplacitum est Domino super timentes eum et in eis qui sperant super misericordia eius.* Idumaei equorum numero suaque fortitudine freti a Deo repudiati ac deleti sunt. Iudaei contra et ei qui Dominum timebant proselyti salutem quam a Deo sperabant consecuti sunt.

PSALMVS CXLVII.

De hiemali vernoque tempore.

Psalmus brevissimus, sed tam elegans suavisque est, ut prorsus nihil sit, quod ei comparari posse videatur. Primum Iudaei, ut Deum servatorem suum laudibus efferant, admonentur. Nam eum paternum in Iudaeos studium amoremque significasse, quod eos ab hostium impetu defenderit, salutem pacemque dederit, convivium novum laetum et amplum instituerit. Deinde calamitates, unde tenebrica illa nata moestitia est, conferuntur cum tempore hiemali. Sed ut nebulae dulci veris aura dissipantur, sic tristitia, quae ex adversis rebus accidit, suavissimo Domini evangelio pelluntur. Haec quidem de argumento. Quod ad tempus attinet, hic psalmus et apud Hebraeos cum superiore coniunctus est et apud Graecos notatus verbis: *Angaei et Zachariae.* Quibus ex rebus Origenes Theodoretus Beda multique alii coniecerunt, eum aut ad exsilium esse referendum aut ad eas res, quae paulo post factae sint [1]).

12. *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion.* Oratio, ut Chrysostomus ait, non ad urbem, sed ad cives spectat [2]). Quamobrem etiam cetera quae sequuntur non de urbe, sed de populo interpretari oportet.

13. *Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te.* Aman maximo cum exercitu in Iudaeorum civitatem impetum fecit. Sed Deus suos non modo ab hostibus defendit, sed etiam summa eis beneficia tribuit.

---

1) Origenes Theodoretus Beda alii.
2) Io. Chrysost. in h. l.

14. *Qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti* Ps. 147, 14.
satiat te. Abrahamus, hostibus quarto decimo anno devictis, a Melchisedech ad sacrificium sanctumque convivium invitatus est. Similiter Mardochaeus, inimicorum copiis fusis fugatisque, per totam Asiam sanxit, ut decimo quarto die mensis Adar lautissimum convivium cum singulari laetitia pararetur. Sed veniamus a typis ad verum sacrificium eucharisticum. Vt totus psalmus de Christo daemonis victore tractat, sic etiam haec verba vere probeque a patribus ad sanctam communionem translata sunt [1]).

15. *Qui emittit eloquium suum terrae, velociter currit sermo eius.* Haec non modo de litteris, quae a Mardochaeo per nuntios publicos missae sunt, sed etiam de evangelio, quod brevissimo tempore ab apostolis usque ad extremas gentes perlatum est.

16. *Qui dat nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit.* Deus, ubi Iudaeos ad poenitentiam vocavit, ipse fecit, ut eis cineres spargeret.

17. *Mittit crystallum suam sicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis sustinebit?* Nivem Scythae cum pennis, Hebraei cum lana comparabant. Hanc similitudinem venustam esse et sentio et dico. Sed grandines et buccellae panis vel carnis quid inter se simile aut commune habeant, me ignorare fateor. Sed quid multa? Verbum פתים vitiosum censeo, idque tanto magis, quanto facilior emendatio. Equidem sic פשתים, *qui proiicit grandinem suam non sicut buccellas, sed sicut lina.* Frigus hiemale quod propheta dicit ad illud tempus pertinet, quum Iudaei, litteris Amanis acceptis, mortis gelu sibi visi sunt torpere.

1) Origenes et Chrysost. in h. v.

Ps. 147, 18. 18. *Emittet verbum suum et liquefaciet ea, flabit spiritus eius et fluent aquae.* His verbis quid subtilius dici, quid dulcius percipi potest? Litterae, quibus Mardochaeus Amanis decretum irritum fecit, Iudaeos e sepulcrorum algoribus ad iucundissimam vitae lucem revocarunt. Eadem ratio fuit generis humani, quod hiemalibus nivibus sepultum, praedicato evangelio, per Spiritum sanctum ad vitam est reductum.

19. *Qui annuntiat verbum suum Iacob, iustitias et iudicia sua Israel.* Mardochaeus populum quum salvasset, legem iustitiamque docere non destitit.

20. *Non fecit taliter omni nationi et iudicia sua non manifestavit eis.* Christiani quanto se quam ceteras nationes beatiores sciunt, quod utrumque et eucharistiae et doctrinae panem ab ipso Deo accipiunt?

PSALMVS CXLIX.

Cantus proelium inchoantium.

A plerisque interpretibus hoc carmen eis adiudicatum est, qui ex Babylonico exsilio liberati in patriam redierunt [1], ab Origene autem et a Theodoreto illis, qui post reditum feras barbarasque gentes Gog et Magog deleverunt. Theodoreti ea de re verba haec sunt: *Qui post reditum multas illas gentes ob divinum auxilium vicerunt, ei hunc offerre hymnum iubentur.* Quibus in verbis illud quidem erratum est, quod gentium istarum irruptio post exsilium ponitur, sed hoc praeclarum, quod is de quo dicimus psalmus ad eam ipsam victoriam defertur, quae a Iudaeis ex Gog et Magog reportata est. Quam quidem victoriam, nemo est, quin sciat esse Mardochaicam.

1) Heracleota Chrysostom. Euthym. Beda.

1. *Cantate Domino canticum novum, laus eius in ecclesia sanctorum.* A Mardochaeo nova mundi aetas incepit. Quare consentaneum erat, Iudaeos excitare ut victoriam novam novo carmine celebrarent. Novam nobis mundi aetatem etiam Christus attulit. Praeterea perfecit ea, quae semper nova, semper singularia atque inaudita futura sunt. Vt autem Mardochaei Christique facta semper nova sunt, sic ne carmen quidem quo illa ornantur umquam veterascet. Ps. 149, 1.

2. *Laetetur Israel in eo qui fecit eum et filii Sion exsultent in rege suo.* Verbum *facere* saepius vim habet redimendi. Israelitae admonentur, ut, quod a Deo redempti sint et tamquam a rege gubernentur, gaudeant.

3. *Laudent nomen eius in choro, in tympano et psalterio psallant ei,* 4. *quia beneplacitum est Domino in populo suo et exaltabit mansuetos in salutem.* Iudaei *mansueti vel humiles* appellantur, quia hostium iniurias patienter pertulerunt et omnem salutem suam a Deo exspectarunt. Hebraeus: *exaltabit mansuetos in Iosua.* Iosua hoc loco nomen proprium esse et Mardochaeum Christumque significare potest. Nam qui alibi Moyses vocatur, quid est, quod non idem etiam Iosua nuncupetur, quum praesertim eosdem quos ille hostes superaverit?

5. *Exsultabunt sancti in gloria, laetabuntur in cubilibus suis.* Hebraeus: *laetabuntur de cubationibus suis.* Vt sessio apud Hebraeos sic etiam *cubatio* iddem valet quod clades vel calamitas. Iudaei ab Amane, homines a daemone prostrati in mortis cubilia quodammodo decubuerunt. At vero a Deo erecti, de ipsa clade laetati sunt. O felix culpa!

6. *Exaltationes Dei in gutture eorum et gladii ancipites in manibus eorum.* Plures loci sunt, ex

Ps. 149, 6. quibus Iudaei canentes contra Idumaeos pugnasse cognoscuntur.

7. *Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.* Iudaei eas ipsas gentes occiderunt, a quibus haud multum abfuit quin ipsi occiderentur. Recte igitur vindicta vocatur eiusmodi victoria.

8. *Ad alligandos reges eorum in compedibus et nobiles eorum in manicis ferreis.* Haec quam eleganter dicta sint, facile qui penitus perspexerit, sentiet. Nam clavi, quibus Aman eiusque filii manibus pedibusque ad crucem fixi sunt, manicae vocantur compedesque ferreae.

9. *Vt faciant in eis iudicium conscriptum, gloria haec est omnibus sanctis eius.* Iudicium conscriptum i. e. a Deo constitutum atque a prophetis ante denuntiatum. Ex quo Iudaei plurimum laudis consecuti sunt. Quid enim gloriosius, quam adiuvante Deo et se ipsum defendere, et alios ab acerbissimorum hostium vexationibus liberare? Ac de psalmis satis ut arbitror disseruimus.

Quoniam haud parvum psalmorum numerum ad Estheram Mardochaeumque retulimus, operae pretium est, antequam huius disputationis finem faciamus, quorumdam interpretum de hac re sententias afferre. Veteres patres, qui in primis historicae explicationi operam dederunt, coniunctionem psalmorum maiorem cum Babylonico exsilio quam cum Davidicis temporibus esse statuerunt [1]). Nam Chrysostomus, qui omnino psalmos sexaginta explicatos reliquit, multos ex eis ulli certae rei adiudicare praetermittit, *triginta* vero vel ad captivitatem Babylonicam revocat vel ad eas res quae post il-

1) Quamquam hi psalmi ad captivitatem Babylonicam relati sunt, tamen eis alia sententia subest, qua ad Christum debent referri.

Iam gestae sunt. Si Theodori Heracleensis fragmenta, si Theodoreti commentarios percurrere volueris, eamdem numerorum rationem invenies. Nam praeter eos, quos Iosiae et Iosaphati tribuerunt, psalmos amplius *septuaginta* ad Ezechiam, ad exsules, ad Maccabaeos pertinere dixerunt. Quorum Beda summa cum religione vestigia secutus ad Ezechiana, ad Babylonica et Maccabaica tempora psalmos retulit *centum quindecim*, quo quidem ex numero exsulibus non minus multos quam *sexaginta duos* adscripsit. Iam vero nos non ad Babylonica tempora simpliciter, sed ad illam rem, quae tum maximi momenti fuit, psalmos omnino revocavimus *sexaginta* ex quibus tamen hos: 11. 22. 29. 39. 46. 54. 68. 75. 86. 87. integros et aliorum partes quasdam vere proprie et secundum litteram ad Christum referenda iudicavimus. Reliquus autem numerus si ad historicam Estherianae rei magnitudinem nimius sit: typica tamen huius rei auctoritate perpensa, etiam iusto minor esse videatur. Nam illud quidem nobis probatum sit, Mardochaeum ad quem psalmi illi spectant, ut ceteros prophetas, partes similitudinesque gessisse Christi, cui gloria in aeternum.

FINIS.

ERRATA			CORRIGE
Vol. I.	pag.	25. Iesenius	Gesenius
» I.	»	141. Idumaeorum	Iudaeorum
» II.	»	96. Deo	deo
» II.	»	96. eae consutae	ei consuti
» II.	»	96. factae	facti
» II.	»	96. inflatae	inflati
» II.	»	160. ille annos	mille annos

INDEX

PRIOR NVMERVS VOLVMEN, ALTER PAGINAM INDICAT.

Aaron II. 418. 434. 437. 448. sacerdos institutus II. 25. eius nomine nuncupatus Ezechiel II. 372.
Abaris I. 174.
Abdias I. 120. 138. 166. 224. II. 3. 122. 126. de re Mardochaica II. 69-72.
Abel, in eo mortis Christi significatio II. 27.
Abelmehula I. 154.
Abgatha vel Abata I. 207.
Abiehail I. 13. 35.
Abrahamus I. 165. 175. 183. 185. 190. 270. 271. 293. 305. 306. 348. II. 13. s. 105. 274. 288. 371. 458. 461. Dei cum eo foedus II. 22. terrae comparatus II. 210. 216.
Absalon II. 182. 185.
Abydenus I. 50.
abyssus, quid? II. 208. 308.
Accaron I. 152. 156.
Achab I. 111. 112. 113. 114. 122. 124.
Achaz I. 129. 131.
Achilles I. 354.
Achim I. 92. 220.
Achobor I. 87.
Achor, eius vallis II. 53-54.
acinaces, Martis I. 176. 177.
Ackermann I. 25.
Ada I. 73. nomen explicatum I. 300.
Adad I. 87. 105. alius I. 106. 107. 108. 117. 124. deus I. 288. II. 65. nomen explicatum I. 283.
Adadezer I. 106.
Adalia I. 209.
Adamus I. 227. eius peccatum I. 263. cum Saulo comparatus II. 199. s.
Adar I. 211. 231. 237. 252. 253. mensis I. 18. 65. II. 322. Mars I. 350-353. nomen mutatum I. 351. s.
Adargatis I. 288. 334.
Adonis I. 295. fluvius I. 333.
Adora, Adoraim I. 354.
Adra I. 311. 353.
Adramelec, nomen explicatum I. 351.
Aegyptii I. 30. 93. 98. 116. 117. 124. 136. 148. 160. 212. 266. 271. 278. 284. 287. 321. omnes inter se similes I. 163. s. eorum cum Iudaeis coniunctio I. 271. primogeniti interfecti I. 15. sepulturae I. 188. eorum deus.

*

Ralphan I. 178. Dionysus I. 281. idololatriae auctores I. 268.
Aegyptus I. 15. 75. 76. 78. 88. 92. 106. 108. 117. 118. 123. 136. 137. 148. 180. 191. 241. 271. 289. II. 265. passim.
Aelam I. 121. 129. 130.
Aelianus I. 173.
Aeneas I. 355.
aetates mundi II. 7. ss. 235. 297. 314. 455. 463. singularum aetatum monumenta II. 35. ss. migrationes gentium II. 33. s.
Aeschylus I. 174.
Aethiopes I. 118. 119. 158. 174. 284. 319. II. 89. 143. 341.
Aethiopia I. 158. 319.
Ἀζαρά I. 356.
Ἀθάρα I. 327.
Ἀθηνᾶ, nomen explicatum I. 299.
Africa I. 119. 224. 238. 272.
Agag I. 13. 15. 67. 82. 88. s. 91. 105. 106. 108. 113. 161. 223. 242. 260. quis? I. 81. quae gens? I. 68-71. nomen explicatum I. 80. 283. Balaamis de eo vaticinia I. 82. 87. II. 45. v. Gagaeus.
Agapenor I. 292.
Agar I. 271.
Agarus I. 219.
Agathyrsi I. 195. 336. eorum origo I. 200. Tyrreni (?) I. 201.
Αἴνη, Ἄνακα. Αἴναια. Ἄννα I. 300. II. 112.
Alexandria I. 340.
Alexandrini Iudaei I. 21. 284.
Alitta I. 298. s.
Alope, quaenam urbs? I. 198.
Alyattes I. 235. 239.
Amadatha I. 3. 15. 37. 71. 141. 208. 229. 243. 248. 249. 261. II. 68. quis? I. 238. ss. ut daemon adoratus I. 243. II. 152. Scythas in Asiam ducit I. 238. 261.
Amalec I. 71. 73. s. 83. 202. II. 392. de eo Balaam I. 82. II. 46. de eo Moyses II. 45. ss.
Amalecitae I. 13. 15. 70. 113. 114. 125. origo I. 72-76. vetus in Iudaeos odium I. 77. bellandi ratio I. 86. vitae genus I. 94. latrunculi I. 95-100. Scythae dicti I. 142-232. Sacae vel Sacim vocati I. 118. ss. filii Dianae II. 112. sedes I. 148. s. antiquissimae res I. 76. ss. 84-87. reges I. 105. a Saulo impugnati I. 87. s. Saulum occiderunt I. 101-104. sub Taberemon et Benadad I. 109-118. sub Hazael et Rasin I. 124-132. Assyriorum socii I. 132-141. idololatriae seminatores I. 273. s. deleti II. 323. locustis comparati II. 58. 68. vespis similes II. 83. v. Idumaei.
Aman I. 28. Amadathae filius I. 3. 15. Agagaeus I. 3. 15. Amalecita I. 13. 15. 140. quis? I. 238-243. unde ortus? I. 70. s. rex. I. 4. 229. Iudaeis infestus I. 68. Iudaeos occidere constituit I. 3. 13. II. 69. 78. ab Esthera invitatus I. 6. insidiator Mardochaei I. 7. crucifigitur I. 8. 229. II. 79. in

cruce remansit II. 96. eius filii decem I. 6. 207-209. II. 298. 302. occisi et suspensi I. 10. II. 464. eius arx Estherae data I. 8. 9. Iudaeorum hostis appellatus I. 63. s. II. 455. calumniator II. 417. superbus II. 77. falsus et dolosus II. 183. 247. eius petulantia et libido I. 258. omnium hostium nequissimus II. 329. eius poenae II. 390. ss. opus ad irritum cecidit II. 431. ut daemon cultus I. 243. II. 99. 105. 152. Zogan cum imitatus I. 255. 257. daemonis typus II. 41. 246. 384. 451. Leviathan vocatus II. 291. ut Absalon capillatus II. 260. cum Herode comparatus II. 37. Iudae Isc. et Neronis imago II. 234. brucho comparatus II. 68. 76. apro similis II. 318. eius nomen I. 303. nuntii II. 101. balteus II. 389.

Amasias I. 127. 131. 154. 280.

Amazones I. 163. 198. s. 204. 219. 245. 303. 316. origo I. 199. nomen I. 197. s. cum Syris coniunctae I. 200. idololatriae seminatrices I. 273. 318.

Ambrosius II. 202. 209. 216. passim.

Amestris I. 32. ab Esthera differt I. 35.

Aminadab I. 56.

Ammon I. 303.

Ammonitae I. 8. 122. 123. 124. 125. II. 330. eorum deus patrius I. 348. s. 353.

Amon I. 113.

Amona II. 155.

Amorraei I. 73. 75. 80. 81. 119. 145. 150. 153. 155. 158. 164. 195. 271. 274. 279. 280. 347. 356. II. 88. 326. Scythae Amurgii I. 145.

Amos I. 119. 146. 161. 162. 176. 179. 203. 279. de re Mardochaica II. 66-69.

Amyitis I. 245.

Ana I. 134. 135.

Anacharsis I. 167. 168. 174. 218. 281.

Anaitis I. 243. 254. 300. 312. 313. II. 152.

Anathoth I. 313. 314.

Androphagi I. 173. 195. Massagetae I. 201.

annales I. 3. 7. v. Medi.

annulus regiae potestatis signum I. 3. 8.

Antichristus II. 17. 185. eius aetas pravissima II. 12.

Antiocheni I. 22.

Ἀορπατά I. 211. 221.

Apaturus I. 211. 336.

Aphec I. 112. 331. 332. 333. II. 80.

Ἀπί dea I. 328. 339.

Apollo I. 167. 181. 280. 286. 323. 335. 337. 339. II. 95. 148. 236. 420. Chomaeus I. 348. nomen explicatum I. 283.

Apollodorus I. 158.

Aprilis I. 231. nomen unde? I. 329.

aqua de silice I. 16. aquae libatio I. 180. quid significet? II. 194. 217. 308.

Aquila II. 99. passim.
Arabes I. 95. 126. 136. 148. 188. 269. solem colebant I. 281. s. 288. 347. barbam tondebant II. 83.
Arabia I. 75. 76. 79. 120. 148. 150. 169. 184. 188. 203. 226. 305. 306. 310. 331. de ea Iesaias II. 92. Batanea I. 310. s. 353. Petraea I. 118. 136.
Arabicum mare I. 33.
Aramaea I. 82.
Aramaei I. 149.
Aran I. 135.
Ararus I. 213.
Arathis dea I. 317.
Araxes I. 149.
arcana pro arcanis II. 176.
Areopolis I. 353.
Ἄρης, nomen explicatum I. 347.
Arge I. 338.
Argiope, nomen explicatum I. 329.
Ἀργώ I. 328.
Ariadatha I. 208. 217. 218.
Ariantas I. 118.
Ariapeithes I. 117.
Aridai I. 209. 217.
Ἀριήλ I. 347. 353.
Arimaspi I. 220. 238.
Arisai I. 209. 217.
Aristoteles I. 158. 171. 205. 280. 281.
Armenia I. 82. 107. 108. 109. 117. 119. 126. 127. 129. 131. 135. 139. 148. 149. 150. 169. 204. 225. 229. 281. II. 151.
Armenii I. 114. 116. 117. 119. 120. 123. 124. 126. 127. 128. 130. 131. 132. 132. 163. 221. 226. 274. 296. eorum lingua I. 134. ludos sortium agebant I. 255. s.
Armenius Eusebii interpres I. 50.
Arphad I. 134. 135.
Arphaxad I. 49. 51.
Arrianus I. 146. 205. 214. 219. 220.
Arrianus Nicom. II. 96. s.
ars lintearia I. 193. s.
Artaxerxes I. 21. 28. Macrochir I. 21. 23. Mnemon I. 22. 264. Ochus I. 24.
Ἄρτεμις I. 305. 318.
Ἀρτίμπασα I. 303.
Asa I. 110. 193.
Asaph II. 175. 294. quid significet? II. 407.
Ascalon I. 292. 315 s. 321. 330. 331.
Asdahages I. 50. nomen explicatum I. 51.
Asia I. 1. 2. 21. 31. 36. 37. 39. 45. 59. 66. 103. 107. 110. 141. 142. 144. 158. 161. 167. 197. 205. 224. 249. 268. 272. eius reges I. 26. 27. unde deos acceperit? I. 269. ss. superior I. 119.
Asiani I. 145. 160. 266.
Asor I. 84. 85. 87.
Assarbai, Asdrubal quid significet? I. 51.
Assemanuus I. 11.
Assera I. 326. s. 328. dea Syria I. 334.
Assuerus I. 17. 141. eius facta I. 44. nomen I. 52. s. regnum I. 1. 12. tempus I. 57. 260. quis putatus? I. 20-25. non fuit

Xerxes I. 25-37. Medorum an Persarum rex? I. 37-43. quis? I. 43-59. 260. sedem Susis constituit I. 1. cur? I. 48. s. eius mores I. 26-29. regnum amplificavit I. 32. quasnam insnlas tributarias fecerit? I. 33. s. Astim repudiavit I. 2. Estheram nxorem duxit I. 2. s. Amanem crucifigi iubet I. 8. Mardochaeum extollit II. 102. Deum cognovit II. 33. v. Cyaxares.
Assyriaca inscriptio I. 53.
Assyrii I. 26. 40. 47. 48. 50. 120. 129. 130. 134. 148. 149. 150. 200. 241. 298. 340. II. 287. 330. cnm Idumaeis iuncti I. 132-141. idololatriae auctores I. 269.
Ἀσταρα I. 301.
Astarte I. 76. 101. 303. 307. 309. 315. 321. 330. 331. 339. eius nomen ad explicandum difficile I. 301. fana I. 306-316. sepnlcrum I. 317. Sidonia I. 316. s.
Astharoth I. 76. 155. 306. s. 309. Carnaim I. 306. ss. 310. s.
Astiharas I. 246. 247.
Astis I. 1. 27. 29. repnlsa I. 2. in eius locum successit Esthera I. 2. imago Evae II. 38.
Astyages I. 23. 24. 42. 50. 53. 54. 58. eius nomen I. 50. 51. Babylone habitavit I. 47. pacem amavit I. 44.
Atargatis I. 202. 334. II. 65. 102. 113. nomen explicatum I. 327. v. Adargatis.
Athachus I. 4. II. 372.
Athanasius I. 22. II. 181. 193. 209. 251. 298. 416.
Athenae I. 274.
Athenaens I. 252. 253.
Athenienses I. 299.
Atropatene I. 135.
Attis I. 219.
Ava I. 134. 135.
Auchatae I. 202. 203.
Auchetae I. 203. II. 142.
Aud I. 346.
Augusti I. 19.
Augustinns I. 22. 224. II. 183. 194. 251. 369. saepins.
Ἀφροδίτη, nomen explicatum I. 329. Διωναία I. 291.
Azarias I. 128. 129. 131.
Azotus I. 129. 290. 296. nomen I. 286.

Baal I. 82. II. 54. Baal-Chom I. 348.
Baasa I. 110.
Babylon I. 37. 54. 55. 63. 137. 139. 250. 252. 269. 285. 340. II. 340. eius regnum I. 16. 41.
Babylonia I. 120. 255. II. 380. s. 429.
Babylonicum exsilium I. 21. 53. 156. 241. II. 46. s. 252. 267. 275. 286. passim.
Babylonii I. 23. 300. 341. 343. Indos sortium agebant I. 250. 252. ss. 257.
Bacchanalia I. 201. 250. 254. 255. 280. 281.
Bactriana I. 229.
Bagatha I. 3. 207. 210.
Balaam I. 70. 81. 87. 105. 107.

II. 296. eius vaticinia I. 81-83. 164. II. 142.
Balac I. 78. 81. 84. 87.
Baladan, nomen explicatum I. 51. Merodach I. 62.
Balanan I. 87.
Balthassar I. 51.
Baltis I. 299.
Bambyce I. 334.
baptisma, mors et resurrectio mystica II. 20. 135. 445.
Barac I. 85.
Baruch I. 18. II. 125.
Basan I. 76. 79. 84. 101. 155. 156. 306. 307. II. 260. s. de ea Amos II. 67. de ea Michaeas II. 75.
Basanitis I. 161.
Basemath I. 73.
Basilius I. 259. II. 169. 216. 241.
Baumgarten I. 20.
Bazatha I. 207.
Beda I. 23. 224. II. 185. 193. 209. 216. 220. 241. 251. 339. passim. de dea Eostra II. 405.
Beel I. 49.
Beesthara I. 306. 307. 308. 309. 310.
Bel I. 63.
Bellarmin. I. 23. II. 215. 251. 417.
Benadad I. 126. 127. 128. eius bella I. 110-118. II. 59.
Beniamin I. 56. 85. 91. 153. 154. 279. 313. II. 263. 315. de eo vaticinia II. 44. ss.
Bernhardi I. 250.
Berosus I. 252. 253. 256. 257. de ludis Sacaeis I. 255. verba explicata I. 256.
Bertholdt I. 18.
Besor I. 93.
Bethanon I. 313.
Bethel I. 279.
Bethon I. 278. s.
Bethora I. 314.
Bethsamitae, eorum bacchanalia I. 280.
Bethsamys I. 128. 150. 278. 279. 312. 313. 314. urbs solis I. 160. Scytharum urbs I. 150-160.
Bethsan I. 76. 85. 102. 103. 138. 150. 194. 278. 279. 306. II. 66. 102. 257. Scytharum urbs I. 150-160.
Bethsemes I. 76.
Bethulia I. 184.
Bochartius I. 157. 250.
Boeth I. 333.
borith unguentum I. 193. 213.
Borysthenes I. 149. 150. 186. 202. 212. 215. 336.
Bosor I. 306. 307. 308. 309. 310.
Bosorra I. 306. 307. 310.
Bosporus I. 219.
Bosra, Bostra I. 87. 162. 310. 331. 353. II. 66. 99. 104. 115. 122. 123. 240. 272.
Bossuet I. 24.
Bruno Astensis II. 251. 275. 287.
Budini I. 195. 201.
Bugaeus I. 80.
bullae I. 86. 184.
Burnouf I. 52.
Byca I. 215.
Cabiri I. 242. 318. 319. 320. II. 105. 149. 153. 296.
Cades I. 78. II. 196.
Cadmus I. 160.

Caietanus I. 23.
Calmet. I. 24. II. 182. 216. passim.
Calvisius I. 24.
Cambyses I. 24. 28. 39. 42. II. 140.
canonica libri Estherae auctoritas I. 18.
Canopus I. 348.
Cappadoces I. 146. 229. 287.
Cappadocia I. 119. 146.
captivitas Babylonica I. 40. 41. septuaginta annorum I. 41.
Carcinites I. 216.
Carduchi II. 144.
Caria I. 33.
Carmelus I. 332. 354. II. 102.
Carna, Carana I. 306. 310.
Carnaea I. 310.
Carolus M. II. 406.
Carthan I. 314. 315.
Casanbonns I. 250.
Caspium mare I. 120. 130. 223. II. 142. 145.
Cassiodorus II. 185. 251.
Catiari I. 202. s.
Caucasns I. 223. 239.
Cedar II. 92. Gedrosi (?) II. 418.
Cedes I. 315.
Cedrenus I. 24. 156.
Ceillier I. 23.
Celtae I. 239.
Cenea I. 73.
Ceres I. 338. 340. 341. II. 99.
Cervae pro hominibus immolatae I. 318.
Chaldaei I. 27. 95. 120. 132. 134. 137. 138. 139. 145. 191. 200. 270. 283. 321. 344. eorum scientia I. 165.
Chaldaeus interpres II. 325. 412. passim.
Chaldaicus libellns Estherae I. 11. 12-17. 65.
Cham I. 270.
Chamys I. 348.
Chanaan I. 73. 75. 271.
Chananaei I. 78. 80. 84. 151. 160. 164. 201. 212. a Iudaeis separati I. 271. idololatriae auctores I. 270. 272. s. 289. eorum dei I. 175. 262-357. lingua I. 197.
Chavnm I. 216.
Chersonesus I. 215. 216. 288. 318. 355. II. 143.
Cherubim II. 315. s. 370.
Chevon I. 177.
chirographnm contra Iudaeos I. 4. II. 101. deletum II. 8. 449.
Chisianns cod. I. 12.
Choerilus I. 174.
Chom deus I. 177. 348.
Chonenias II. 175.
Christiani I. 293. 333. de Estherae libro I. 18. de Assuero I. 21.
Christus I. 20. 181. 224. 238. 267. radix generis hnmani II. 319. alter hominum generator I. 227. eius cum Adamo ratio II. 199. s. eius typns agnns II. 5. eius typus Mardochaeus II. 28. 37. 40-41. eius typi Mardochaeus et Moyses II. 371. omnes figuras complevit II. 30. tentatus a daemone II. 40. novnm testamentum dedit II. 23. apostolos sacerdotes iudicesque instituit II. 25. s. eius

cum Nicodemo sermo II. 440. s. de eius inimicis II. 185. obedientia II. 203. eius corpus II. 202. triplex precatio II. 347. clypeus noster II. 336. quadraginta dies post resurrectionem in terris moratus I. 190.
Chronicon Pasch. I. 21. Eusebii I. 22. Hieronymi I. 22.
Cicero I. 158. 299.
Cidraeus I. 248.
Cimbri I. 229. 238. 318. II. 64. 144. 146.
Cimmeria I. 149.
Cimmerii I. 149. 238. 340. II. 144.
Cinaei I. 88.
Cir I. 149. ubi? I. 203.
Circesium I. 137.
circumcisio I. 204. 293. II. 28. 128.
Cis I. 54. s. 91. 104. II. 39.
Clemens Alex. I. 21. II. 456.
Cleopatra I. 20.
Coelus deus I. 322-323. v. Iuppiter.
Colaxai I. 202. 203. 211.
Colchis I. 239. II. 143. 265. de ea Iesaias II. 89.
Collyridiani I. 317.
columba, deis sacra I. 291. 318. de ea psalmi inscripti II. 170. virgo II. 257.
Comosarya I. 301.
coniuratio I. 3. 6.
Core, filii eius II. 416.
Corem I. 73.
Cornelius a Lap. I. 24. II. 185. passim.
cornu, quid? II. 298.
corona I. 7.
Corrodi I. 19.
Cosmas I. 224. II. 69.
Cotys I. 219.
Crassus I. 171.
Croesus I. 319.
crux, quinquaginta cubitos alta I. 6. 246. II. 271. s.
Ctenus I. 217.
Ctesias I. 32. 261. 330. de Zara I. 245-249. de monumento Zarinae II. 153.
Cur I. 120. 149.
Curtius I. 259.
Cyaxares I. 24. 42. 58. 63. 167. 237. 246. 249. II. 160. Assuerus est I. 43-59. 260. patrem ulciscitur I. 44. Ninum obsidet I. 44. 239. II. 32. Scythas occidit I. 227-262. Ecbatanis an Susis habitaverit? I. 48. eius fortitudo I. 45. nomen explicatum I. 52. s. 352. a Ctesia Astibaras appellatus I. 246.
Cybele I. 335.
Cyprianus II. 400.
Cyprus I. 33. 292.
Cyrillus Alex. I. 278. II. 182. 200. 209. 251.
Cyrene I. 119. 120. 130. 149. II. 66.
Cyrus I. Persarum rex I. 26. 28. 39. 40. 41. 42. 50. 60. 63. 232. II. 32. 33. 105. 108. 246. 264. ei tribuitur victoria Mardochaica I. 232. 254. C. minor I. 22. 57. nomen explicatum I. 352.
Cyrus fl. I. 120. 130. 149.
Cythera I. 316.

Daemones I. 243.
Dagon I. 101. 290. II. 126. quis? I. 287. nomen explicatum I. 287.
Damasceni I. 109. 134. 138. 200. 332. 340. II. 105. de eis Ioel II. 60. ss. Amos II. 66. s. Iesaias II. 86. ss.
Damascus I. 107. 108. 110. 112. 116. 120. 129. 130. 131. 148. 149. 162. 194. 199. 202. 279. 317. II. 66. 84.
Daniel I. 49. 51. 255. eius aetas I. 60. Samuel nuncupatus II. 372. s.
Danubius I. 212.
Dareus rex I. 22. Assueri filius I. 51. apud Danielem quis? I. 51. Medus I. 24. Hystaspis I. 24. 28. 30. 35. 168. 174. 186. 195. II. 32. Medos vectigales facit I. 39. nomen explicatum I. 352.
David I. 61. 89. 92. 93. 97. 98. 100. 102. 105. 117. 171. 184. 189. 193. II. 163. 288. 320. passim. Idumaeos devicit I. 106-109. eorum mares occidit I. 107. s. 199. eius fortitudo I. 166. Christus II. 120. 129. 408.
Debbora I. 85. 153. II. 163.
Deioces I. 40. 41. 42. 50. Ecbatana condidit I. 47. Astyages appellatus I. 50.
Delphon I. 209.
Delus I. 204 338. 340.
Demeter I. 335.
Demetrius Phal. I. 249.
Demosthenes I. 199. 291.
depravatio morum certis temporibus II. 9. ss.
Derbices I. 173.
Dercetis, Derceto I. 330. 331. 333. 336. nomen explicatum I. 327. s.
De-Rossius I. 12.
De-Vignole I. 24.
Deuteronomium II. 4. 83.
De-Wette I. 19.
Diana I. 231. 288. 299. 303. 323. 327. 337. 340. II. 112. 420. Ephesia I. 204. 319. 335. 338. 339. 355. Tauria I. 330. 354. II. 113.
diapsalma, quid? II. 415.
Dido, nomen unde? I. 300.
dies, quid allegorice? II. 235. 444.
Dio Cassius I. 171.
Dio Chrysost. I. 255. de Sacaeis vel diebus sortium I. 257. s.
Diodorus Siculus I. 146. 203. 219. 247. 330.
Diodorus Tarsensis II. 25. 333. 339. 343.
Dionysus I. 158. 201. 207. s. 217. 219. 281. 291. 295. 302. 317. 330. 347. 349. 356. II. 83. 95. 99. 102. 214. 291. 293. sol fuit. I. 160. 280. nomen eius unde ortum? I. 159. unde in Graeciam venerit? I. 160. 280.
Dionysius Carth. I. 23. II. 140.
Dis I. 330. 337-340.
Di-Vence I. 23. II. 182.
Διώνη I. 291. nomen explicatum I. 299.

Dod I. 210. 286. 290. 295. quid significet? I. 283. 287. idem atque Adad I. 288.
Dodon, Iuppiter, nomen explicatum I. 290. oraculum a quibus conditum? I. 290. 295.
Dodonaeus v. Iuppiter et eunuchi.
Dor I. 85. 315. 354.
Dositheus I. 20.
Dothaim I. 115.
dracones I. 12.
Drimyius I. 21.
Δρόμος Ἀδάρ I. 354.
Du-Pin I. 24.

Ecbatana condita I. 47. munita I. 47. eversa I. 47. relicta I. 48.
ecclesia, fons II. 342. eius typus Maria II. 398.
Eden I. 135.
Eder I. 354.
Edessa I. 334.
Edissa I. 55. 301 v. Esther.
Edom I. 72. 105. 120. 135. 139. 140. 202. 204 276. II. 113. 115. 392. 393. 455. eius odium I. 73. regnum I. 16. adeps I. 161. s. de eo vaticinia II. 44.
Edrai I. 315.
Ἐδραΐν I. 353.
Eginhart II. 406.
Eglon I. 86.
Eichhorn I. 19. 25.
Elea, Ellenses. I. 185.
electi pauci II. 16.
Eleutheropolis I. 121.
Elias II. 14.
Eliphaz I. 73. 136.
Elisaeus I. 114. 115. 116. 127.
Ἐλλοί I. 293.
Emath I. 129. 135.
Emmor I. 119.
ἐνάρεες I. 320. s.
Endor I. 85.
Ennomassar I. 51.
Enoch II. 13.
Eostra dea II. 405. s.
Ἔπαφος I. 329.
Ephesii I. 338.
Ephesus I. 151.
Ephorus I. 173. 184.
Ephraim I. 85. 99. 155. II. 315.
Ephrem I. 177. 239. s. II. 86. 140.
Epirus I. 288. 294.
equi regii I. 7. Adoni sacri I. 296.
Ἥρα II. 99. unde nomen habuerit? I. 300.
Eratosthenes I. 174.
Esau I. 72. 109. 121. 162. 166 183. II. 121. v. Edom.
Esdrai I. 155.
Esdras I. 22. 286. II. 164. libri E. I. 59. s. E. Graecus I. 138.
Esphatha I. 207.
Esthera filia Abichail I. 13. vel Aminadab I. 56. a Mardochaeo adoptata I. 2. regina I. 3. regem adit I. 5. suos liberat I. 8. litteras scribit I. 10. solitaria I. 15. II. 254. eius ieiunium I. 5. 15. dolor ex Iudaeorum calamitate I. 4. ex eius victoria Deus cognitus II. 127. 458. s. de eius victoria psalmi II. 163-183.

250. s. eam non fuisse Amestrem I. 34. de eius tempore I. 20-25. eius tempus indagatum I. 57. s. cur petierit ut Amanis filii etiam caesi crucifigerentur? I. 104. eius historia media Hebraicorum et Graecorum scriptorum I. 142. eius nomen non Persicum I. 206. nomen explicatum I. 301. s. a Germanis pro dea habita II. 405. ss. fons appellata I. 78. 83. II. 107. 263. 291. s. 342. figuram Mariae gessit II. 37-40. 166. s. 256. 395. s.

Estherae liber, eius argumentum I. 1-11. Hebraice scriptus I. 11. Latine ab Hieronymo I. 11. in canone I. 18. historica auctoritas ei detracta I. 17. ss. restituta I. 17. ss. 261. primum post Moysem locum obtinet I. 140. 261. nomina in eo propria non Persica I. 206. 211. scriptus de Scytharum caede I. 227-262. appellatus vel volumen vel caput II. 202. eius scriptor Amalecitas simpliciter hostes appellat I. 77. s. cum Herodoto et Strabone consentit I. 237.

Estherae libellus Chaldaice I. 11. Latine I. 12-17. Estherae oratio I. 11. 15-17. 40.

Ἑστία I. 342.

Estius I. 24.

Ethan II. 175. 291. quid? II. 292.

Etrusci I. 201.

etymologicum m. I. 287.

Eva, eius imago Astis II. 38.

eucharistia II. 29. ss. 166. 189. s. 253. 385. 400. eius typi II. 26-31.

Eucherius I. 224.

Eudemus I. 343.

Evilmerdach I. 51. 62.

eunuchi I. 2. eorum exsectio castitatis approbatio I. 275. auctoritas I. 2. idololatriae seminatores I. 273. s. falsi prophetae I. 320-322. corybantes I. 333. Dodonaei I. 292-295. daemonum imagines II. 39.

Euphrates I. 334. II. 99. 318.

Europa I. 144. 224. 272. nomen I. 329. 338.

Europaei I. 160.

Eusebius Caes. I. 22. 23. 50. 156. 287. 310. 311. 312, 313. II. 86. 115. 193. 209. 251. passim.

Euthymius II. 169. 251.

Ewald I. 213. 251.

Exampaius I. 220.

Exodus II. 19.

Ezechias I. 132. II. 163. 398.

Ezechiel I. 278. 285. II. 203. 219. 239. 255. 298. 315. 323. 370. 402. 417. 423. 454. de re Estheriana II. 125-158. alter Moyses II. 141. s. Aaron nuncupatus II. 372.

Ferrandus II. 280. 286. 295. 327.

finis, in finem II. 177.

flumen I. 12. quid? II. 358.

foedera Dei cum hominibus II. 21-24.

Freia dea I. 328.

Gabaa I. 138.
Gabaon I. 153. 314. eius incolae mentiti II. 247. 326. 335.
Gabes I. 156.
Gad I. 97. 295. quid significet? I. 283. sol I. 284. deus fortunae I. 283. s.
Gadastarte I. 302.
Gaeus I. 2.
Gagaei I. 37. 63. 87. 100. 108. 121. 203. 206 217. 220. 249. II. 109. 141. 144. 299. Gagaea gens I. 211. 226. 260. II. 402. quae? I. 68-71. 108. 161. Scythica I. 223-226. de eis Balaam I. 81. s. 87.
Gai I. 34.
Galaad I. 99. 152. 307. 311. II. 239.
Galaaditae I. 75. 99. 101. 113. 126.
Galgal I. 292. 293.
Galatae I. 239.
Galilaea I. 156. 315.
Galli I. 239.
Galli, exsecti I. 292. 294. 337.
Gallia I. 238.
Gatham I. 73.
Ganion I. 307. 308.
Gaza I. 86.
Gebalene I. 75.
Gedeon I. 74. 86. 184. 343. II. 86.
Gelboe I. 106.
Geloni I. 195. 336. origo I. 200. s.
Genebrardus I. 24.
Genesis I. 87. 105.
gentes mari similes II. 217. 455.
ad coenam Mardochaei vocati II. 221.
Genubath I. 124.
Georgius Sync. I. 23. 50. 156.
Germani I. 260. 290. 294. 304. II. 128. 144. solem et lunam nunquam colebant II. 404. Estherae dies celebrabant II. 404. proselyti Iudaeorum II. 404. s. scriptores I. 18. ss. 57.
Gerra I. 120.
Gerri, Gerraei I. 120. 186. s. 203.
Gerrus I. 120. 150. 213.
Gerson I. 306. 307. 308.
Geryon I. 336.
Gesenius I. 19. 25. 178. 206. 208. 209. 211. 285. 301. 302. 307. 326. 331. II. 264.
Gesuri I. 92.
Getae I. 166. 244. II. 139. 161.
Geth I. 127. 128. 220.
Gezri I. 92.
Gnurus I. 218.
Gog I. 16. 260. II. 68. 211. 215. 261. 327. 402. 423. 436. 454. 462. de eo Ezechiel II. 138-158. quis? I. 81. nomen explicatum I. 80.
Gog deus I. 282.
Gomer II. 144.
Gomorra I. 271.
Gordon I. 24.
Gothi II. 161. 409.
Gozan I. 135.
Graeca libri Esth. interpr. I. 11. 20. 21.
Graeci I. 26. 28. 29. 50. 59. 108. 119. 141. 142. 148. 157. 160. 167. 174. 204. 266. 268.

294. 337. unde deos acceperint I. 268-270. 289. s. Romanorum magistri I. 290. Graecae mulieres I. 244.
Graecia I. 29. 30. 31. 160. 197. 204. 240. 274.
Graecus anonym. de Zara I. 248. s.
gratia et meritum II. 351.
Gregor Nyss. II. 169. 471. passim.
Grimm Iac. I. 143. 205. 211.

Habacuc de re Mardochaica II. 77-80. 164. s.
Haemus I. 214.
Haevernick I. 19. 25.
Halys I. 198. 239.
Hammoth I. 315.
Hanan I. 110.
Haneberg I. 25. II. 440.
Harbona I. 209.
Harduin I. 24.
Harpoxal I. 202.
Harpyiae I. 173.
Hazael I. 116. 126. 127. II. 59.
Hazon I. 279.
Hebraei I. 2. 33. 50. 59. 95. 118. 142. 146. 157. 194. 206. 266. 290. 294. scriptores I. 141. eorum mulieres I. 244. s.
Heeren I. 248.
Hegeus I. 32.
Hegia I. 32.
Heliopolis I. 278. 287. 296.
Helotes I. 196.
Heman II. 175. quid? II. 207.
Herbst I. 25.
Hercules I. 141. 264. 323. 336. II. 101. 389. 393. eius natura I. 344. ss. nomen explicatum I. 347.
Hermon I. 81. 84. II. 102. 307. 354. 437:
Herodotus I. 33. 35. 120. 136. 145. 146. 147. 148. 149. 158. 160. 167. s. 172. 195. 200. 201. 205. 214. 217. 218. ss. 226. 232. 238. 240. 245. 246. 260. 266. 268. 291. 322. 347. 352. II. 83. 89. 144. 153. historiae apud Graecos pater I. 141. de Medorum sub Persarum regibus conditione I. 39. de Cyaxare et Astyage I. 44-47. de Scytharum ludis I. 175. de eorum sacrificiis I. 181. de eorum legibus militaribus I. 183. s. de Scythis Eliensibus I. 185. de Scytharum sepulturis I. 186. s. 190-192. de Scytharum caede I. 233-236. de eorumdem deis I. 295. 303. 322. 323. 328. 336. 341. 342. 356. cum libro Estherae consentit I. 237. de Sauromatis I. 197. loci emendati, explicati I. 30. 298. s. 320-321. de Iphigeniae cultu I. 318.
Hesebon I. 79.
Hesiodus I. 173. 174.
Hesychius I. 178. 250. 294. 319. 321. de Sacaeis I. 251.
Hethaei I. 73. 116.
Hevaei I. 73. 84. 133. 271. 287. II. 88.
hiems, anagogice I. 460. 461. s.
Hierapolis I. 331. 334.
Hieronymus I. 11. 22. 28. 96. 119. 121. 122. 130. 173. 323.

283. 310. 313. 342. II. 3. 86. 115. 195. 209. 251. passim.
Hierosolyma I. 2. 58. 60. 100. 117. 124. 127. 128. 129. 137. 138. 154. 156. 184. 240. II. 272. 286. 287. 289. 810. 314. 335. 348. 359. 426. 438. Hieresolymorum prior eversio signum alterius II. 17.
Hilarius Pict. II. 181. 229. 242. 251. 310. 414.
Hippocrates de Scythis I. 163. 164. 172. 322.
Hispania I. 204. 238. 274.
historica libri Esth. auctoritas I. 18. ss. h. explicatio v. scripturae.
Holofernes I. 137. 138. 184. 239. II. 140.
Homerus I. 173. 174. 198. 293. 294. 295. 300.
homines ex carne et animo II. 130. eorum animi quando creentur? II. 137. h. mactati I. 275. s.
honor singularis I. 7.
Horatius I. 167.
Horeb I. 76. 80. 83. II. 262. 301. 324. 347.
Horraei I. 73. 74. 75. 79. 80. 84. 85. 97. 117. 119. 145. 195. 196. 200. 274. II. 327. Sacim I. 118. nomen explicatum I. 196.
hostes Iudaeorum I. 9. 10.
Hungari I. 197. II. 330.
Hupfeld I. 52.
Hur I. 76. II. 448.
Hus I. 87.
Hypacris I. 213.
Hypanis I. 212. 336.
Hyperboraei I. 354.
hypophetae I. 293. s.
Iabin I. 85. 87. 153. 155.
Iablonski I. 178.
Iacob I. 72. 109. 119. 162. 189. 190. 191. II. 119. 339. de eo Balaam I. 82. s.
Iacobus Edess. II. 134.
Iacobus Nisib. I. 91. 223. 310. de origine Amanis I. 61.
Iahaziel I. 125. II. 163.
Iair I. 54. s.
Iakson I. 24. 32.
Ἴακχος I. 158.
Iamnia I. 129.
Ianus, nominis origo I. 303.
Iaphetitae I. 143. 289.
Iaser I. 309.
Iavan I. 16.
Ἴδα nomen explicatum I. 300.
Idanthyrsus I. 186. 218.
Idithun II. 407. quid? II. 292.
idololatria, origo eius I. 262. progressus I. 265. ss. seminatores I. 268.
Idumaea I. 105. 107. 121. 126. 162. 166. 204. 256. II. 240.
Idumaei et Amalecitae I. 228. 260. 287. II. 252. 330. eorum origo I. 72-76. antiquissimae res I. 76-83. 84-87. a Saulo impugnati I. 87. s. Razone rege I. 105-109. cum Horraeis coniuncti I. 119. sub Hazaele Benadade Rasine I. 124-132. eorum regnum corruit I. 130. Assyriorum socii

I. 132-141. II. 71. 127. templum incenderunt I. 138. s. II. 71. a Graecis Scythae vocati I. 141-232. 260. sagittarii I. 101. 143. s. spoliatores I. 95. ss. 146. eorum sedes I. 148-150. urbs I. 150. ss. natura corporis et proprietates I. 161-165. crassitudo I. 161. bobus comparati I. 161. s. ingenium animique cultus I. 165. s. vitae genus moresque I. 169. s. ebriositas et incontinentia I. 171. s. ludi Martiales I. 175. ars lintearia I. 194. eorum servi I. 195. s. ex his Amazones I. 199. coloniae I. 203. s. Idumaica nomina propria in libro Esth. I. 206-211. quidam ex Abrahamo mores retenti I. 276. sese castrarunt I. 292. quo anno in Scythiam translati? I. 295. eorum deus patrius sol I. 348. s. superstitionis seminatores I. 357. turpitudinis auctores II. 18. de eis Amos II. 67. Abdias II. 69. Habacuc II. 77. Iesaias II. 91. s. Ieremias II. 120. s. Threni II. 124. Ezechiel II. 127. s. eorum peccata et poenae II. 110. s. 286. ss. 309. eorum occisio messi et triturationi comparata II. 74. 85. 107. cadavera proiecta II. 60. 80. 91. 103. 110. 132. Iudaeorum infidelium partes egerunt II. 110. 360. canibus similes II. 111. continuae cum Iudaeis inimicitiae II. 433. s.

Iebiaan I. 85.
Iecman I. 154.
Iehus I. 73.
ieiunium trium dierum I. 5.
Iemini I. 54. s. v. Beniamin.
Ieremias I. 63. 99. 100. 121. 139. 166. 191. 193. 250. 278. 313. II. 309. eius epistola I. 192. de re Mardochaica II. 118-125.
Ieroboam I. 129.
Ierusalem I. 54. 139. v. Hierosolyma.
Iesaias I. 156. 162. 284. 307. 317. 328. II. 122. 155. de re Estheriana II. 81-118. 165.
Iethson I. 309.
Iezâtha I. 208.
Iezrael I. 85. 150. 154. 155.
Igion I. 201.
ignis I. 341-345.
Ihelom I. 73.
India I. 158. 159. 205. 223.
Indo-Germani I. 143. 206.
insignia regalia I. 1. 9.
insulae, vectigales factae ab Assuero I. 11. 44. quid significent? II. 365.
Ioab I. 106.
Ioachaz I. 127.
Ioachim I. 2. 55. ss.
Ioannes Bapt. II. 15. eius typi Aaron et Ezechiel II. 372.
Ioannes Buxtorf I. 71.
Ioannes Chrysostomus I. 22. 259. II. 167. 209. 219. 224. 226.
Ioannes Evang. de Gog et Magog II. 158. eius typi Samuel et Daniel II. 373.
Ioannes Zonaras I. 23.

Ioas Amalecita I. 113.
Ioas rex I. 127. 128.
Ioatham I. 129.
Iob I. 97. 188. 282. s. 310.
Iobab I. 84. 87.
Ioel II. 327. 402. 423. de re Mardochaica II. 57-66.
Iouadab II. 274.
Iouas II. 279. 444.
Ionatha I. 102. 104. II. 81.
Ioram I. 126. 193.
Iosaphat I. 113. 114. 122. 124. 125. 126. II. 163. 401. eius vallis II. 61.
Iosephus Flavius I. 121. 149. 152. 156. 159. 310. 311. de Amane I. 7. de Assuero I. 21. ss. de die sortium I. 18. de Mardochaeo I. 61.
Iosephus patriarcha I. 91. 189. 191. 271. 278. II. 307. 315. 320. 323.
Iosephus Scaliger I. 24.
Iosias I. 285. Iosue rex et dux I. 76. s. 84. 91. 135. 153. 155. 292. 306. 312. 315. 332. II. 247. 321. in eius libro locus emendatus I. 309.
Iosue sacerd. I. 60. s.
Iphigenia I. 243. 288. 318. nomen explicatum I. 329. s.
Isaac I. 72. 139. 162. 175. 183. 190. signum mortis Christi et resurrectionis II. 27.
Isidorus Hisp. I. 23.
Isis I. 337. 339.
Ismaelitae I. 73.
Isocrates I. 171.
Israel I. 72. s. 97. 99. 108. 162. II. 432. eius Deus I. 15. eius redemptio I. 13. cum Iuda coniunctio I. 15.
Israelitae I. 110. 111. 113. 115. in deserto falsis deis serviebant I. 176. cum Iudaeis rursus coniuncti II. 299. 315. 437. de eis Balaam I. 82.
Issachar I. 153.
Issidones I. 149.
Ister I. 194. 212. 213. 214.
Italia I. 204. 238. 354.
Itali I. 98. 260. 275.
Iuda I. 55. 150. 154. 312. 332. II. 239. 263. denuo cum Israel coniunctus I. 15.
Iudaea I. 128. 129. 317.
Iudaei I. 16. 22. 28. 38. 110. eorum occisio constituta I. 3. sine pretio venditi I. 3. Amani invisi I. 68. eorum cum Idumaeis causa I. 76-83. ab Idumaeis impugnati I. 72-141. ab Amane condemnati typice mortui II. 19. 20. 94. 107. 291. 313. de hac typica morte Ezechiel II. 135. ss. a Mardochaeo convocati I. 5. maxima eorum moestitia ac contritio I. 4. II. 47. s. 73. s. 94. 119. 304. 316. 383. conversio II. 61. 88. 428. regeneratio II. 440. ss. ab Esthera liberati I. 8. hostes suos occiduut I. 9. 231. 261. II. 106. summa laetitia I. 9. II. 133. hostes suos quibus rebus a ceteris hominibus dignoscebant I. 63-67. praedam facere vetantur I. 89-90. sortium dies epulis celebrabant I.

253. hominem concremabant I. 259. eorum ceremoniae I. 3. librum Esth. canonicum habent I. 18. eorum de Assuero opinio I. 21. eorum reges I. 26. a Chananaeis diligentius quam ab Aegyptiis separati I. 271. a Deo electi I. 272. 290. arboribus similes II. 210. eorum infirmitas et ad idololatriam propensio I. 179-181. solem coluerunt I. 284-285. Astartam I. 316. s. eorum sacrificandi modus I. 182. sepeliendi ratio I. 187. 193. lugendi tempus I. 190. s. convivia lugubria I. 191. Susiani I. 10.
Iudas Macc. I. 152. 181. II. 115.
Iudicum liber I. 312. 342. 348. II. 58.
Iudithae liber I. 18. 27. 49. 58. 184. II. 58.
Iulius Afric. I. 312.
Iuno I. 299. 300. 337.
Iuppiter I. 144. 158. 159. 160. 173. 202. 212. 225. 277. 291. 296. Ammonius I. 288. ἀρότριος I. 287. Dodonaeus I. 288. s. 290. 294.
Iusti I. 25. 57. I. 25-37.
Iustiniani cod. I. 259.
Iustinus I. 163. 317.

Kelle I. 20.
Kircher I. 178.
Κόλος I. 221.
Κόρη, nomen explicatum I. 338.
Κρόνος I. 179. 219.

Lachis I. 133.
Lancellott. I. 24.
Lassen I. 52.
Latini I. 108. 141. 299.
latrunculi I. 54. qui? I. 95-101.
Lemnus I. 320.
leo Opi sacer I. 334. 335.
Leviathan II. 291. nomen explicatum II. 95.
Levitae I. 153. 307. 313. 315. II. 427.
libamina I. 275.
Libanus I. 333. II. 80. 102. 195.
Liber deus I. 158. 159. 171. 281. 307. 339. Apollo I. 280. cur cornua gerat? I. 339.
Libya I. 158. 288. 296.
Libyes I. 118. II. 144.
Lipoxai I. 202.
Livius I. 355.
Lous I. 252. 255.
Lucianus I. 170. 172. 222. 334.
luna dea I. 284. 291. 296-322. 346. eius natura et munera I. 296-298. nomina I. 298-305. 356. fana I. 305-322. parentes I. 322. apud inferos I. 338. regina coeli I. 356.
Lutherus I. 18. eius asseclae I. 19. 25. 261.
lux nova orta I. 9. 18. II. 368. a Deo creata II. 444.
Lycia I. 33.
Lycurgus I. 158.
Lycus I. 214. 218.
Lydi I. 235. II. 144.
Lydia I. 239.

Lygdames I. 239.
Lysimachus I. 20. s.

Maccabaei I. 280. II. 209. 286. 310. eorum libri I. 152. 311. de die sortium I. 18. liber tertius I. 21.
Macedones I. 26. 302.
Machir I. 85.
Macrobius I. 284. 288. 334. 338.
Madon I. 84.
Madianitae I. 86. 87. 88. 184. 188. 343. II. 86. 328. 331. locustis similes II. 58.
Madyes I. 219. quis? I. 241. s.
Maeleth, psalmi inscriptio II. 172. s. 343.
Maeotis I. 198. 214. 215. 222. 223.
Mageddo I. 85. 154.
Magi I. 19.
Magog I. 16. 81. Scythae dicuntur I. 224-226. Massagetae sunt I. 224. s.
Magophonia I. 19.
Manasses I. 137. 153. 154. 155. 306. 308. 314. II. 239. 315.
Mardocempad I. 62.
Mardochaica dies I. 18. v. sortium dies.
Mardochaeus Iudaeus I. 40. 55. s. ex Beniamin ortus I. 41. filius Iair Semei Cis I. 55. s. Estherae patruus I. 2. cognatus gentis Saul I. 91. exsul I. 2. II. 82. coniurationem indagat I. 3. Amanem adorare non vult I. 3. 13. II. 40. Amanem offendit I. 3. sacco indutus I. 4. II. 304. eius somnium I. 11. 12-13. 78. oratio I. 11. 13-15. 40. 70. primus post regem I. 7. calix ab eo ad Amanem translatus II. 297. maior domus I. 9. hostes interfici iubet I. 9. 231. eos occidit in convivio I. 237. II. 70. Amalecem delevit II. 47. cur liberos hostium mulieresque trucidari iusserit? I. 68. s. 77. a praeda abstinuit II. 128. eius victoria Cyro tributa I. 232. 254. eius victoria cum exitu de Aegypto comparata II. 222. eius triumphus II. 262. res Mardochaei typus redemptionis II. 118. 130. 381. dies sortium instituit I. 10. 249. II. 44. 108. hi dies ludi Sacaei vocati I. 251. ss. eius convivium typus eucharistiae II. 29. s. 166. 189. s. 253. 385. eius convivium in atriis templi i. e. in synagogis II. 401. apud suos magnus I. 11. II. 337. s. dilectus vocatus II. 302. quis et quo tempore? I. 54-56. 59-63. ductor ex captivitate Babylonica I. 61. magnum auri pondus offert I. 61. res eius praedictae II. 141. de eo Balaam I. 83. de eo Iesaias II. 115. ss. de eo Ezechiel II. 129. ss. cum Davide comparatus II. 129. Moyses appellatus II. 371. eius tempora cum Abrahami Moysisque temporibus collata II. 307. alter Iosue II. 321. s.

quasi radix populi sui II. 319. imago Christi II. 28. 37. 40-41. 111. 166. 199. 203. 229. 246. 249. 267. s. 276. 338. 371. mortem et resurrectionem Christi typice expressit II. 29. 166. eius nomen I. 63. desiderium patriae II. 205. ss.
mare, quid? II. 208. 216. s. 248. 308. 353. 356. pars australis II. 354. 381.
Maria II. 164. mater Dei II. 39. virgo et mater nostra II. 40. fons II. 342. de ea psalmus II. 250. eius imago Esthera II. 37. 40. 373. 395. s. similitudinem gessit ecclesiae II. 398.
Marini II. 400.
Maris I. 214.
Mars I. 175. 176. 178. 179. 236. 294. 341. 355. II. 103. eius acinaces I. 176. 177. s. Scytharum deus patrius I. 181. eius apud Scythas templum I. 177. natura I. 344. ss. nomina I. 346. ss. nomen explicatum I. 347.
Marsham I. 24.
Marsyas I. 167.
Martiales ludi I. 157. ss. 175. ss. 226. 230. s. 237. 355.
Masreca I. 87.
Massagetae I. 149. 172. 173. 201. 224. 254. II. 140. 142. 149. 161.
Matthaeus II. 12. parabola de operariis exposita II. 6. ss.
Mauaces I. 220.
Mauman I. 211.
Mavors, nomen explicatum I. 347.
Mayer G. C. II. 373.
Medi I. 28. 65. 135. 137. 145. 167. 221. 229. 245. 246. II. 143. cum Persis iuncti I. 37. s. 41. s. cum Persis facile commutati I. 232. qua conditione sub Persarum regibus? I. 39. s. publici consilii expertes I. 30. a Scythis victi I. 239. s. Medi et Israelitae Scythas occiderunt I. 233. s. apud eos ludi Sacaei I. 250. 253. s. eorum leges I. 4. 37. annales I. 3. 6. 11. 37. 59. reges I. 23. 24. 36. principes I. 1. 43.
Media I. 16. 37. 77. 135. 237. superior I. 149. II. 144. 145. 148.
Melampus I. 160.
Melanchlaeni I. 195.
Melcander I. 351.
Melcard I. 307.
Melchior Can. I. 23.
Melchisedech II. 27. s. 371.
Melchom I. 176. 348. 351.
Melita I. 319.
Men, dea luna I. 284. 303.
Menochius I. 23.
Mephaath I. 309.
Mercator I. 24.
Mermerus I. 248. 249.
Merodac I. 62. s.
Merus I. 159.
Mesesi Merdac I. 62.
Mesopotamia I. 71. 81.
Meza I. 73.
Michaeas I. 99. 113. 114. II. 402. de re Mardochaica II. 73-76.

Michaelis I. 19.
Midrasch Coheleth I. 194.
migrationes gentium II. 33. s. 357.
Milesii I. 215.
Minerva I. 300. 303. 337.
Misor I. 309.
Mithra I. 303.
Mithras I. 303.
Moabitae I. 79. 87. 95. 122. 123. 124. 125. 131. 305. 347. II. 239. 330. eorum deus patrius I. 348. s. 353.
Moloch I. 177. 178. 179. 348. 351. II. 113. eius natura I. 349. s.
Mongoli I. 205.
Morasthites I. 99.
mors typica et resurrectio II. 19-21.
Mortuum mare I. 81.
Mosoch II. 128. 142. 418.
Movers I. 177. 205. 250. 256. 259. 292. 301. 305. 327. 331. 350.
Moyses I. 37. 71. 75. 76. 84 87. 105. 125. 126. 165. 170.. 176. 179. s. 186. 191. 261. 271. 276. 280. 292. 306. 308. II. 4. 125. 161. 163. 216. 288. 448. servus Dei I. 16. de rebus Idumaicis I. 76. ss. de rebus Mardochaicis vates II. 43-51. 436. de die sortium II. 322. eius nomine nuncupatus Mardochaeus II. 371. s.
Musae I. 216.
Museum Florent. I. 335. 339.
Mylitta I. 298. II. 113. nomen explicatum I. 299.
Mysi I. 173.

Naaman I. 114.
Nabodan I. 51.
Nabonassar I. 51.
Nabopolassar I. 51.
Nabuchodonosor I. 2. 27. 47. 55. 60. 132. 137. 139. 239. 245. II. 32. 33. 123. 145. 217. 274. 348. Phraortem occidit I. 41. 54. eius nomen I. 62.
Nahat I. 73.
Nahum de re Mardochaica II. 76.
Naparis I. 213.
Natalis Alexander I. 24.
Nathan I. 285. 286. 322.
Nave I. 91.
Nebo I. 178. 331. 352.
Nehemia I. 60. II. 164.
Nehusthan II. 291.
Nephthali I. 85. 110. 150. 153. 312. 314. 315. II. 85. 263.
Neptunus I. 356.
Nergelassar I. 51.
Nero II. 234. 360. 366.
Neuri I. 195. 201.
Nicanor I. 181. 280.
Nicephorus I. 23. II. 185. 225.
Nicolaus Damasc. I. 249. de Zarina I. 249.
Nicolaus Lyr. I. 24.
Niebuhr I. 19. 205. 236.
Nilus I. 158. 212.
Ninus urbs I. 44. 51. 239. 241. 269. II. 260. ab Assuero eversa I. 52. de ea Nahum II. 76.
Nisan I. 231.
Noe, salvus cum septem II. 17. Dei cum eo foedus II. 21. eius sacrificium II. 26.
Nomades v. Scythae

nox, quid significet? II. 444.
numerus caesorum I. 10.
Nysa I. 157. 296. 317. de eius nomine I. 157-159.

Oarus I. 214.
Oceanus I. 277. 326.
Ochozias I. 126.
octava, pro oct. II. 177. 179.
Odomantes I. 204.
Oeder I. 19.
Og I. 76. 79. 82. 84. 108. 155. 157. 346. 354. Amalecita I. 80. quis? I. 81. eius magnitudo I. 161. lectus I. 81. nomen I. 80.
Ὀγγόσυρος I. 203. 295. nomen explicatum I. 302.
Ὄγκα I. 203. nomen I. 30.
Οἰόρπατα I. 303.
Οἰτόσυρος I. 295.
Omar I. 73.
On, Dionysus. I. 209. 281. 287. 290. 295. 299. II. 102. 257. sol I. 278. s. II. 236.
Oolibama I. 73.
Opoea I. 218.
Ops, Opi, dea. I. 212. 218. 225. 231. 337. 338. 350. 355. eius natura I. 323-326. nomina I. 326-330. fana I. 330-337.
Ordessus I. 213.
ὀρθωσία I. 327.
Oricus I. 218.
Origenes I. 34. 80. s. 172. 295. II. 3. 209. 341.
Orotal I. 299. nomen explicatum I. 282.
Orus I. 281.
Osee I. 99. 279. 285. de Mardochaeo II. 51-57. 164.
Osiris I. 281. 295. nomen I. 302.
Otanes I. 35.

Paeones I. 204.
Palacium I. 216.
Palaestina I. 150. 157. 311. 316. 333. 356. II. 144. 240. 341.
Palaestinenses I. 101. 105. 106. 109. 117. 119. 126. 129. 131. 150. 152. 154.
Palaestinus I. 211.
Pangaeus I. 319.
panis I. 15. s.
Panticapes I. 213.
Paphus I. 292. 316. 329.
Paralatae I. 202. 203.
Paralipomenon libri I. 87. 100. 105. 193. 307. locus emendatus I. 122.
Parthi I. 246. 247. 248.
Passaglia II. 402.
Paulus ap. II. 209. 300. 379. eius de idololatria verba I. 263-266. typicam explicationem commendavit II. 3. s.
Pausanias I. 199. 205. 216. 291. 292. II. 143.
Pelasgi I. 299.
Persae I. 21. 24. 28. 35. 65. 137. 141. 145. 148. 186. 195. 230. 248. 303. II. 143. cum Medis iuncti I. 37. s. 41. s. Medorum res ad eos translatae I. 232. apud eos ludi Sacaei I. 250. 253. s. 257. cum Hebraeis consentiunt I. 146. eorum principes I. 1. 43. reges I. 21. 22. 23. 26. 36.
Persicum mare I. 33.
Persis I. 16. 38. 236.

Petavius I. 23.
Petra I. 75. 121.
Petrus ap. II. 108. 286. 388.
Phacee I. 129. II. 81.
Phagor I. 82.
Pharau I. 78. 121.
Pharao I. 271.
Pharisaei II. 272. 277. 281. 376. 399. eorum imaginem gesseruut Idumaei II. 233. passim.
Pharnacia I. 200.
Pharsandatha I. 208.
Pharurim I. 258. v. Purim.
Phasis I. 214.
Phermestha I. 208.
Philadelphia I. 353.
Philistaei I. 184. 287. 316. 332. II. 330.
Philo I. 287.
Philometor I. 21.
Phineus I. 173.
Phoenices I. 50. 194. 205. 269. 295. 316. 333. 356. idololatriae semiuatores I. 272. s. 288.
Phoenicia I. 160. 215.
Phoratha I. 208. 213.
Phraortes I. 27. 43. 53. Arphaxad libri Iudithae I. 49. Ecbatanis solium constituit I. 47. eam urbem munivit I. 47. eius tempus I. 54. Assyrios adortus I. 44. a Nabuchodonosore occisus I. 41. 54. 58.
Phrural I. 21. v. Purim.
Phryges I. 335.
Phul I. 50. s.
Pilassar I. 50.
Piudarus I. 293.
pisces, deae Opi sacri I. 336.
pistor I. 189.
Plato I. 170. 171.
Plinius I. 146. 148. 157-159. 196. 203. 214. 221. 222. 333.
Plutarchus I. 170. 171. 239.
Pluto I. 330. 339. 340.
Pompeius II. 153.
Pontus I. 200. 236. 239. II. 151.
Pontus Euxiuus I. 130. 149. 168. 229. 239. 336. 340. II. 142.
praetores I. 9.
Priapus, nomen eius explicatum I. 329.
Prideaux I. 24.
princeps exercitus I. 189.
prophetae, falsi a veris distinguendi II. 4.
proselyti I. 9. II. 220. 378. 420. in Asia ei, qui Sacaeos celebrabaut II. 403. etiam Germani II. 404. ss. cautabaut II. 414. ss. 421. 430.
Proserpiua I. 158. 337-340.
Protothues I. 219.
Psalmi I. 98. II. 40. quomodo explicandi? II. 1. ss. explicati II. 182. ss. de re Estheriana scripti II. 163. ss. de redemptione II. 167. graduum II. 413. s. 435. a quattuor choris cantati II. 415. s. eorum tituli II. 168-181.
Psammetichus I. 137.
Ptolemaeus, Dosithei I. 20.
Ptolemaeus Lysimachi pater I. 20.
Ptolemaeus Philop. I. 21.
Punicum nomen I. 209.
Purim, uou Persicum I. 206. 208. sortes I. 11. 286.

Pyretus I. 213.
Python I. 128.

Quadraginta, numerus mysticus II. 36. quadraginta anni in deserto I. 16.

Rabboth I. 81. 353.
ῥαβδομαντεία I. 286.
Rabsace I. 133. 136. 137. 148. II. 133. 185.
Rabsacim I. 138.
Rabsarim I. 133.
Rachel I. 91.
Rahab II. 353. quid significet? II. 339. s.
Raheiaia I. 60. s.
Rahuel I. 73.
ῥαιφάν I. 178.
Rama I. 110.
Ramoth I. 113. 126. 307. 308.
Rampsenit I. 337.
Raphaei I. 76. 80. 135. 155. 161. II. 87. 93. 346.
Raphaim I. 155.
Rasin I. 128. 129. 130. 131. II. 81. 84. 87.
Razon I. 100. 105. 107. 108. 209. 279.
Rebecca I. 72.
Rechabitae I. 139.
regeneratio II. 440.
Regum libri I. 98. 101. 114. 130. 285. 313. 348. 350. 352. II. 82.
Relandus I. 157.
Remigius Antiss. II. 275.
Reseph I. 135. 136.
Rhabanus Maurus II. 140.
Rhea I. 328. Silvia I. 336. 355.
Roboam I. 117. 124.
Rohoboth I. 87.
Roma I. 204. II. 108. 334. 387. 425. a quibus condita? I. 354. s.
Romani I. 135. 144. 184. 242. 250. 290. 294. 302. 323. 329. 336. 354. II. 286. 310. eorum cum Scythis coniunctio I. 355. matronae Romanae I. 244.
Ros, Russi II. 142.
Ruben I. 308.
Rufinus Aquil. II. 61.

Sacae I. 119. 133. 136. 137. 138. 139. 142. 148. 174. 220. 243. 246. 247. 249. 251. II. 142. 146. a Indaeis occisi I. 229. ss. vespis similes II. 83. Arabes vocati I. 148. servi I. 255. II. 64. lingua I. 134. nomen I. 144-146. v. Scythae.
Sacaea vel Sacaei ludi, in Asia celebres I. 250. unde nomen? I. 250. s. ex Sacarum clade orti I. 251. s. II. 152. cum sortium diebus collati I. 252. s. Cyro tributi I. 254. in eis usus Scythicarum vestium I. 254. Amanis vitae imitatio I. 257. de eis Estherae liber I. 253. de eis Hesychius I. 251. et Strabo I. 251. 254.
Sacasena I. 229. II. 154.
sacerdotes variorum temporum II. 24. ss.
Sacim I. 124. qui? I. 118. ss.
sacrificia, variis temporibus II. 26-31. sacrif. gentium futurorum vaticinia I. 275.
Sacus I. 319.

sagittarii I. 101. ss. 143. s.
Saiem I. 119.
Salianus I. 23.
Salii exsecti I. 294. 355.
Salinae I. 128.
Salma I. 176. quid? I. 178.
Salmana I. 86.
Salmanassar I. 133. II. 32. 314. nomen I. 51.
Salmydessus I. 216.
Saiomo I. 108. 109. 117. 124. 154. 289. 313. 316. II. 163.
Samaria I. 99. 110. 111. 114. 115. 116. 127. 129. 134. 156.
Samna I. 73.
Samothrace I. 204. 319. II. 149.
Samson I. 287.
Samuel I. 70. 87. ss. 101. 105. 113. 161. II. 200. eius origo II. 373. eius nomen Danieli tributum II. 372. s.
Samys, sol I. 154.
San, Xan, Dionysus I. 207. 278. 299. 303. eius cultus I. 282. nomen I. 282.
Sanapis I. 329. s. nomen explicatum I. 339.
Sannacheribus I. 133. 134. 135. 136. 148. II. 143. 299.
Sara I. 271. Mariae figura II. 38.
Saraia I. 60. s.
Saraparae I. 221.
Sardes I. 31. 239.
Saron, Sarion II. 102. 195.
Sartana I. 154.
satrapae I. 1. 4. 43.
Saturnalia I. 250.
Saturnus I. 287. 329. 340. 346.
Saulius I. 220.
Saulus Idum. I. 87.
Saulus rex I. 70. 83. 84. 87. 97. 105. 113. 114. 287. 316. II. 116. 153. 182. 427. passim. eius bellum Amaleciticum I. 87-94. Sauli et Mardochaei facta inter se collata I. 90-94. Adami imago II. 199. s. eius occisores I. 101-104.
Sauromatae I. 163. 170. 173. 184. 195. 201. 204. 216. II. 143. 150. eorum origo I. 195. s. 199. lingua I. 200 nomen I. 196.
Saxones I. 145. II. 192.
sceptrum I. 5. 8.
Scholz I. 25.
Sciiurus I. 172.
Scopasis I. 219.
scribae I. 4. 190.
scriptura s. quomodo explicanda? II. 2-42. 228. s. 368.
Scyles I. 218.
Scythae I. 141. II. 139. eidem sunt atque Amalecitae I. 141-232. Gog vocati ex veterum testimoniis I. 223-226. eorum caedes descripta libro Estherae I. 227-262. Scythae gentes ad migrandum moverunt I. 238. emigrarunt I. 239. cum Assyriis iuncti I. 239. Nabuchodonosoris socii I. 240. eorum innumerabilis exercitus I. 240. II. 88. s. 145. 327-332. Medos vincunt I. 240. II. 337. quo tempore in Asiam irruperint? I. 241. Asiae imperarunt I. 233. 240. s. a Cyaxare occisi I. 227-237. inter epulas I. 171. 232. 233. 236. II. 70. excisi I.

235. II. 72. 121. 148. 161. 218. 284. noctu I. 236. II. 218. coenati et ebrii deleti I. 237. II. 70. eorum cadavera bestiis proiecta II. 55. 60. 103. 154. postea coacervata II. 55. ubi sepulta? II. 92. 151-154. 254. s. 449. sepulcrum eorum muro circumdatum II. 233. plaustra combusta II. 219. eorum caedes olivarum perceptioni comparata II. 87. et vitis putationi II. 91. vindemiae II. 116. de hac caede Iesaias II. 104. s. Ezechiel II. 140. ss. de eis Abdias II. 69. ss. Michaeas II. 73. ss. Iesaias II. 86. ss. 95. ss. locustis similes II. 58. 68. 77. vespis II. 83. et bruchis alatis comparati II. 89. 101. sagittarii, Sacae, spoliatores appellati I. 143-147. II. 83. 100. ferae arundinis II. 264. omnia corripuerunt II. 78. de nomine Scytha I. 143. 144. Amurgii I. 145. σκολόται nominati I. 146. eorum sedes I. 148-150. Scythopolis I. 150-160. corporis natura et proprietates I. 161-165. Nomades I. 164. 173. 174. II. 291. 318. pinguetudo I. 164. II. 87. ingenium animique cultus I. 165-168. quid de eorum immanitate iudicandum? I. 166. ab antiquis defensi I. 173. s. vitae genus moresque I. 169-175. in plaustris degebant I. 169. II. 67. ἱππάκη vescebantur I. 70. equos castrabant I. 170. Elienses diversa animalia non conducebant I. 185. a suilla abstinebant I. 184. intemperantia et incontinentia I. 171. s. II. 111. 282. turpitudo II. 62. iracundia I. 170. dexteritas I. 170. crudelitas I. I. 172. homines mactabant I. 176. quomodo sacrificaverint? I. 181. s. leges militares I. 183. s. arma II. 55. 105. 150. signa militaria II. 96. 289. sanguinem bibebant I. 183. inimicorum capita ad duces deferebant I. 183 s. calvis pro poculis utebantur I. 183. s. eorum compotationes I. 183. 184. eorum ludi Martiales I. 175. s. eorum dei I. 175. 262-357. sepulturae I. 185-194. II. 280. 301. nihil sepulcris sanctius I. 186. super mortuo carnem incidebant, capillos tondebant I. 187. s. pateras aureas in sepulcris ponebant I. 188. pollutio ex mortuo I. 192. s. reges diu regnabant I. 189. gentes Scythicae I. 194. servi, liberi I. 196. non ex India venerunt I. 156. in extremam Asiam delati II. 63. omnium gentium natu minimi I. 201. s. Sc. regii II. 202. lingua I. 202. 205-223. coloniae I. 203. s. 274. Scythicae mulieres I. 245. idololatriae seminatores I. 274. s. 318. duplex hariolorum genus I. 285. oraculum Dodonaeum condiderunt I. 289-295. eorum exi-

tium imago rerum futurarum II. 216.
Scythes I. 144. 200. 319. 336.
Scythia I. 120. 202. 204. 205. 211. 225. 226. 319. 356. II. 127. 142. fines I. 194. s. eius flumina I. 212. ss. de ea Iesaias II. 89. s.
Scythopolis I. 150. 332. unde nomen habeat? I. 156. ss. eius incolae I. 194.
Sehon I. 79. 80.
Seir I. 73. mons I. 78. s. 82. 84. 117. 119. 123. 131. 195. II. 66. nomen explicatum I. 196. de eo Iesaias II. 91. de eo Ezechiel II. 132. ss.
σειρός I. 221.
Σελλοί I. 293. s.
Selmon II. 257.
Semei I. 54.
Semiramis I. 245. 248.
Semitae I. 140. 143. 201. 203. 289.
Semla I. 87.
Sepho I. 72.
Septuaginta interpretes I. 4. 10. 22. 34. 81. 95. 98. 119. 123. 156. 176. 208. 210. 284. 285. 308. II. 113. 224. passim.
Serapis I. 329. 340. nomen explicatum I. 338. s.
Seraris I. 24.
Serebaeus I. 61.
serpens aeneus II. 28. in cruce suspensus II. 96.
Servius I. 291.
Sesach I. 117. 124.
Seth, imago Christi II. 27.
Setho I. 136.
Sevarphaim I. 134. 135. 351.
Siceleg I. 92. 102.
Sichem I. 99. 119. II. 239. 257. eius incolae I. 74.
Sidon I. 332.
Sidonii I. 271.
Sikard I. 24.
Silyn I. 222.
Simon I. 121. 189.
Sin I. 78.
Sinda I. 216.
Sinope I. 198. 340.
Sion I. 99. 279. II. 339. 367. 377. 425. passim.
Sisara I. 85.
Sixtus Sen. I. 23.
σκαλμή I. 221.
σκολότης quid? I. 147.
σκυθοπισῖν I. 171.
Smerdes I. 39.
Sobaei I. 105. 106.
Sodoma I. 271. II. 122.
sol, deus I. 225. 276-296. 344. ss. antiquorum de eo opiniones I. 277. s. nomina I. 378. ss. fana I. 286. ss. parentes I. 322. χθόνιος I. 338.
Sophocles I. 158.
Sophor I. 81.
sortes I. 3.
sortium dies I. 10. 18. 249. II. 301. cum ludis Sacaeis collati I. 252. de eis Strabo I. 251-254. de eis Berosus I. 255. de eis Dio Chrysostomus I. 257. de eis Moyses II. 322. Ezechiel II. 154. psalmi II. 320. 401. epulis celebrati I. 253. s. in eis ignes accensi II. 219. s. Paschalibus proximi II. 29.

typus eucharistiae II. 29. s. apud Babylonios I. 252. s. 255. apud Medos I. 253. s. 257.
Spargapeithes I. 218.
Sparta I. 320.
Spartani I. 196.
spoliatores I. 95. ss. 146. s.
Stephanus Byz. I. 136. 157. 353.
Strabo I. 120. 136. 148. 170. 173. 174. 200. 204. 221. 245. 253. 261. 273. 310. 311. 334. 336. de Sacarum caede I. 229-233. de Amane et Amadatha I. 243. de Sacaeis vel sortium diebus I. 251. 254. de Sacarum sepulcro II. 151. ss. cum libro Esth. consentit I. 237.
Stryagaeus I. 249.
Strymon I. 204. 211.
Stygius I. 330.
sues, Adoni invisi I. 295. Scythis invisi I. 184. Marti sacri I. 346.
Suidas I. 23. 96. 146.
Sulpitius Sev. I. 23.
superstitio, certis temporibus fracta II. 31-33.
supplicationes I. 5.
Sur I. 88. 92.
Susa I. 29. 31. 54. 90. 100. 230. 234. II. 266. caput regni II. 1. 2. ibi decreta exposita I. 4. 9. sedes Assueri I. 46. 48.
Susiani I. 10. psalmi inscripti pro Susianis II. 168. 237. 267. 314.
Symeon I. 132. 153.
Symmachus I. 81. II. 99. 196. 211. passim.
Syrgis I. 214.
Syri I. 119. 146. 184. 200. 204. 213. 222. 269. 289. 317. 332. 340. solem coluerunt I. 288.
Syria I. 82. 107. 109. 130. 139. 158. 169. 204. 226. 281. 285. 317. 327. 334. 356. II. 87. 142.
Syrus interpres II. 196. 310. 341. 414. passim.

Taberemon I. 109.
tabernaculorum festum I. 179. s.
Tabiti I. 342. s.
Tacitus I. 340.
Talmud Bab. I. 331. 334.
Tamyrace I. 216.
Tanach I. 154.
Tanaeis I. 149. 150. 194. 195. 212. 213. 214. 222. dea II. 65. nomen explicatum I. 299.
Tapheth I. 342.
Targitaus I. 202.
Tauri I. 195. 219. 318.
Tauricus isthmus I. 216. 288.
Taurii ludi I. 242. 355. II. 106. 153.
Ταυϑί I. 343.
Taxacis I. 219.
Tebath I. 343.
Tebeth I. 342.
Tecua I. 125.
Temerinda I. 222.
Tenac I. 85.
tenebrae I. 12. a luce separatae II. 444.
terra, dea I. 323-326. nomina I. 326-330. fana I. 330-337. cum ea Abrahamus comparatus II. 216. populum significat Iudaicum II. 219. 296. 360. 450. v. Opi.

Tertullianus I. 172.
Teutones I. 238. II. 64. 144. 146.
Thabor I. 85. II. 354.
Thaeman I. 135. 136. 166. II. 120. 123. de eis Ezechiel II. 125. ss.
Thalaestris I. 219.
Thalassar I. 219.
Thales I. 241.
Thaminasadas I. 356.
Thamna I. 73. 74. 85. 92. II. 112. 350. 353. 392.
Thamnassar I. 135.
Thamyris I. 216.
Than, Dionysus I. 207. 299. II. 214. unde nomen? I. 282. II. 95.
Thares I. 210.
Tharra I. 3. 210.
Tharsis II. 226.
Tharthac I. 133.
Therthan I. 133.
Thasus I. 319.
Thebae I. 288.
Thebani I. 300.
Theglathphalassar I. 130. 138. 149. II. 32.
Thelassar I, 135.
Theman I. 73. 87. v. Thaeman.
Themiscyra I. 199.
Theodoretus I. 81. 121. 173. 224. II. 121. 196. 209. 238. 251. 465. passim.
Theodorus II. 220. 234. 465. passim.
Theodosianus cod. I. 194.
Theodotio II. 142. 212. passim.
Theophilus I. 318. II. 365.
Theophrastus I. 170.
Theophylactus I. 317.
Thermodon I. 198. 200.
Thermopylae I. 32. 34.
Thiratha, dea I. 331.
Thoas I. 219.
Thogorma II. 144.
Thraces I. 192. 195. 216. 255. 302. 354.
Thracia I. 204. 211. 319. 355.
Threni II. 124.
Thucydides I. 171.
Tiarantus I. 213.
Tiglath I. 50.
Tigranes I. 39.
Tigris I. 336.
Timnas I. 218.
tituli psalmorum II. 168-181.
Tobias I. 51.
Τομοῦροι I. 294.
torcularia, de eis psalmi inscripti II. 171. 321.
Trapezus I. 216.
Traspies I. 202. s.
Trieres I. 229.
Troglodytae I. 118. 145. 196. 197. 204. 226. II. 83. qui? I. 118-124. 195.
Troiani I. 198.
Turci I. 145.
Tyana I. 219.
Tyras I. 212. 215.
Tyrreni I. 201.
Tyrii I. 300.
Tyrus I. 151. 332. II. 330. 341.
Tzetzes I. 156. 249.

Varro I. 221.
vaticinia, de eis explicandis II. 1. ss. 43. 44. ab aliis aliter exposita II. 5. patres de eis consentiunt II. 42.

Venus I. 231. 297. 320. 329. 330. II. 102. 195. coelestis I. 286. 291. 301. 316. 327. eius stella I. 326. natura I. 323-326. nomina I. 326-330. fana I. 330-337.
veritas II. 351.
Vesta I. 341-344. 346. 355. unde nomen? I. 342. nomina I. 342. s.
vini ministrator I. 189.
Virgilius I. 197.
vocationes divinae, certis temporibus II. 12-16.
volucres I. 16.
Vossius I. 250. 255.
Vrania I. 292. 297. 316. v. Venus coelestis.
Vranius I. 136.
Vsser I. 24.
Welte I. 25.

Xenophon I. 50. 242. 317. II. 145. 260.
Xerxes I. 21. 22. 24. 39. 57. 240. II. 33. eius mores I. 26-35. eius bellum Graecum I. 30-31. regni amplificatio I. 32-33. non fuit Assuerus I. 25-37. eius nomen I. 52.
Xisuthrus I. 53.

Zabulon I. 85. II. 85. 263.
Zacharias I. 28. II. 441. sacerdos II. 164.
Zamolxis I. 243.
Zara vir I. 73. 87.
Zara dea I. 248. 307. 338. II. 99. 308. nomen explicatum I. 302. s.
Zares Amanis uxor I. 6. 37. 77. 141. 261. Zarina vocata I. 245. de ea Ctesias I. 246-249. regina Sacarum I. 247. eius dictum I. 68. 245.
Zarina v. Zares.
Zarinaea I. 248.
Zeb I. 184.
Zebee I. 86.
Zela I. 251. ibi dies sortium vel ludi Sacaei celebrabantur I. 251. 253. Scythae sepulti II. 152-154.
Zeripha I. 331. 338.
Zogan, in Indis Sacaeis I. 255. Amanis personam suscepit I. 255. ss. cruci affigebatur I. 258. vel comburebatur I. 259. eius nomen I. 255. ss.
Zorobabel I. 60. s. II. 140.

NIHIL OBSTAT

P. D. Carolus Vercellone Sodal. Barnab. Procutor Generalis
et D. Bernardus Smith O. S. B. Censores Deputati.

IMPRIMATVR

Fr. Dom. Buttaoni O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATVR

Fr. A. Ligi Bussi Archiepiscopus Iconien. Vicesgerens.